WIDENER LIBRARY
HX JVCA -

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM, ANNO MDCCXLV publicata.

LIPSIÆ,
Publicis sub D. AUGUSTINIANI, & Privilegio Regiæ Majestatis Polonicæ & Electoralis Saxoniæ.

29.93

BP 431.1.2

A 1879 Aug 9 1

Paine bequest.

Digitized by Google

Lectori Salutem!

Pacata nunc tandem Germania, & Saxoniæ inprimis noſtræ dulciſſima quiete reddita, alacres ad ſua otia redeunt, afflictiſſimæ inde ab aliquo tempore, Muſæ noſtræ, &, inter publica Europæ univerſæ gaudia, inter amiciſſimas magnorum Principum conſenſiones, inter votivas populorum civiumque conclamationes, ſuæ etiam felicitatis in futuras ætates omnes bonum lætumque omen capiunt. Nimirum ita in fatis nuper fuerat, ut, pervagatus diu regiones quasque exteras, ad ipſos tandem beatiſſimæ Saxoniæ fines inauſpicatus terror Martis perveniret, &, qui ita olim commendati Superis videbamur, ut in ipſo horum gremio ſedes nobis eſſet domiciliumque conſtitutum, repente, tali coorta tempeſtate, quæ ſæpe potentiſſimis etiam imperiis triſte ac luctuoſum attulit exitium, non ſolum publicæ privatæque tranquillitatis jacturam faceremus, ſed ſummis etiam & inauditis antea calamitatibus objiceremur. Quarum, ſi quis ſit, qui aut ullum ſibi fuiſſe ſenſum neget, aut deponere, dum vivit, memoriam poſſit, hunc inter feras beſtias, non inter homines, educatum, hunc ad barbaros, quorum naturam & mores imitatur, ablegandum, hunc vel unum illis dignum verberibus, putabimus, quibus nos immerentes nuper, nec malæ rei nobis conſcios, vis quædam potentior, & cui non tremenda? caſtigavit. Nam, ſi florentiſſimarum urbium everſiones, ſi rerum patriarum diſturbationes, ſi optimorum civium occiſiones, nullam habere lachrymarum & doloris ſummi materiam putentur, vel hoc uno nihil excogitari ſive noſtra, ſive patrum, memoria triſtius calamitoſiusque poteſt, quod abſtractos a talis Principis imperio nos vidimus, quo nec ſapientiorem, nec ſtudioſiorem civium ſalutis, nec, ut verbo dicamus, meliorem, orbis terrarum tulit, quo vix ullus unquam majori jure appellari pater patriæ a ſuis meruit, cujus denique in populo numerari, cujus legibus parere, cujus celſiſſimas virtutes propius intueri, vera illa & omnium votis expetenda felicitas habetur. Ea malorum omnium velut ſumma fuit, cui ſi hoc etiam acceſſiſſet, ut diuturna & longinqua eſſet, præſtitiſſet ſane, excedere ex hac vita, quam ita ſine luce, ſine die, ſine Numinis noſtri præſidio, vivere. Eſt igitur, cur, ita temperatam manſuetudine & bonitate iram fuiſſe Deorum, gaudeamus,

Digitized by Google

ut, ab ipſo hujus tragœdiæ initio haud procul adeo abeſſe finem, & qui, regionem hanc intrantes, funera, perniciem, triſtiſſima omnia, ſecum tulerant, eosdem ſubito, mutata rerum facie, modum ſtatuere offenſionibus bellorum, blandiorem nobis vultum oſtendere, conſilia pacis meditari, fœdera et amicitias offerre, bisque ſanctiſſime connexis, noſtræ omnium proſpicere ſaluti, juſſerint. Quæ fortunæ noſtræ, nuper proſtratæ & oppreſſæ, nunc erectæ & confirmatæ, repentina converſio, quo minus inter medios turbines ac fluctus exſpectata nobis, hoc lætior jucundiorque, accidit, diſcimusque memorabili hoc argumento, eſſe quoddam cœleſte Numen, cujus providentia animos hominum quodam velut nutu regere, fortunæ ſævienti frænum injicere, turbulentas tempeſtates diſſipare, ſoles, disjectis nubibus, in orbem revocare, ſalutem tueri Principum, cives afflictos recreare, patriam reparare deſtructam, ſciat. Fruimur nunc igitur, & utinam frui deſinamus nunquam! his in tempore nobis redditis, his optimo cuique exoptatis, his in magno Deorum bono habendis, pacis otiis, felicitatis publicæ jam novam velut ætatem auſpicantes, in longiſſima ituram ſecula, & aureæ illi ſimilem, Poetis decantatæ. Quantum inter ſe bellorum & pacis tempora diſcrepent, vix quisquam dicere nobis ipſis melius ſciat, qui nuper ſanguine undantes agros, peſſime habitas civium fortunas, protrita commercia, Muſas diſſipatas ejectasque, vidimus, nunc florentem omni ex parte Saxoniam, animos civium exultantes, reſtitutam commerciorum libertatem, inſtaurata Apollinis templa, redditum ſtudiis honorem, videmus. Tam ex omnium voto converſæ ſubito patriæ fortunæ nos ipſi, reipublicæ Saxonicæ tenuiſſima portio, inſignem fructum capimus, excitatque hæc in animis noſtris inuſitatam quandam, de literis merendi optime, alacritatem, nuper imminutam valde, aut, ut verius dicamus, exſtinctam prorſus, hoſtium, tergo noſtro inſidentium, prorſus triſtiſſimis conſiliis. Habent igitur, qui aut nobis ipſis, aut bonis illis artibus, quarum incrementa ad ſalutem rerum publicarum plurimum momenti habent, toto animo ſunt dediti, cur perpetuam hanc nobis pacem cupiant, &, ut Lipſia hæc noſtra, ſicut regina urbium, & AUGUSTI clementiſſimi ocellus, ſic illuſtre domicilium Muſarum, & artium nobiliorum officina, eſſe diu pergat, denique ut ita ſemper, ſicut nuper, a Conſule ſapiente regatur, pie nobiſcum religioſeque precentur.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXLV.

ΤΑ ΤΟΥ ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΑΠΑΝΤΑ, &c.

hoc eſt,

HIPPOCRATIS OPERA OMNIA, CUM VARIIS Lectionibus, non modo huc usque vulgatis, verum ineditis potiſſimum, partim depromtis ex Cornarii & Sambuci Codicibus, in Cæſar. Vindobonenſi Bibliotheca hactenus aſſervatis & ineditis, partim ex aliis ejusdem Bibliothecæ MStis libris, ac denique ex Mediceis Laurentianis MStis Codicibus collectis; quarum ope ſæpenumero Græcus contextus fuit reſtitutus. Acceſſit Index PLINI copioſiſſimus, cum Tractatu de menſuris & ponderibus. Studio & opera STEPHANI MACKII, Eliſabethæ Chriſtinæ Aug. Aulæ Medici.

Tomus I.

Viennæ Auſtriæ, ex typographia Kaliwodiana, 1743, fol. maj.

Alph. 4 plag. 8.

Splendidiſſima hæc eſt, ſive typorum acumen & elegantiam, ſive ipſius chartæ nitidiſſimæ formam regiam, ſive denique induſtriam Editoris, ſpectes, *Hippocratis*, venerandi Medicorum parentis, editio, quam induſtriæ & indefeſſo Eruditiſſimi Clariſſimique *Mackii*, Medici Vindobonenſis, labori artis ſalutaris filii, doctiores reliquis ac nobiliores, maxime acceptam referunt. Scilicet merebatur omnino tanti dignitas viri & æſtimatio,

ut, quamvis is ſæpius ab eruditis, atque magnis iis quidem cum in critica arte viris, tum in ſalutari, fuiſſet editus, ita tamen prodiret aliquando, ut obſcuriores, qui adhuc reſidui erant, loci tollerentur, & contextus ipſe Græcus, quam emendatiſſime poſſet, exhiberetur, Latina autem corrigeretur translatio, & priſtinæ ſuæ formæ totus *Hippocrates* reſtitueretur. Nam, doctorum inprimis Virorum interpretationes quod toties diſſentiebant inter ſe, non alio plane ex fonte provenire ſæpiſſime potuit, quam quod contextus ipſe ſcatebat mendis, & vera toties deſtituebatur lectio. Clariſſimus igitur *Mackius* de re pariter Medicorum, ac de omni literaria, cum laude meritus haberi voluit, quod laudabile arripuit conſilium, fontem illum, unde aquæ limoſæ ſubinde ac inſalubres, propter temporum injuriam, hauriebantur, purgandi, & efficiendi, ne eloquens ille olim diſertiſſimusque *Hippocrates*, veluti elinguis ac indiſertus aliorum culpa, a legendo deterrere multos videretur. Nec infelici ſane ſucceſſu in propoſito perrexit ſuo, ſiquidem eam ingreſſus viam eſt, quam in ejusmodi percurrere ſtadio neceſſum habet, ſi quis ſuo recte munere perfungi velit. Partim enim manu ſcriptos in auxilium vocavit, eosque, ut putat, optimæ notæ, Codices, quorum ſibi copiam Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ Cuſtos, Cl. *Nicolaus Forloſia*, Neapolitanus, ex illuſtriſſimo illo Manuſcriptorum theſauro fecerat; tum vero etiam duo inſuper, quamvis typis jam impreſſa, non minimi tamen interdum pretii, exemplaria, ex ſingulari Auguſtiſſimi quondam Cæſaris, *Caroli VI*, indulgentia, contulit; quorum utrumque permultas Lectiones Variantes, atque alterum quidem manu *Joannnis Sambuci*, alterum autem *Jani Cornarii*, habuit adſcriptum. Hæc illa ipſa ſunt exemplaria, de quibus *Lambecius* in *Comment. Biblioth. Vindobon. Lib. VI pag.* 154 multis olim expoſuit, & quorum idem uſum in *Hippocrate* plenius intelligendo veluti plane ſingularem eximiumque commendavit. De priore quidem, *Joan. Sambuci*, retulit *Lambecius*, incredibili illud ſtudio & labore, continere in margine ſuo, Codicis *Aldini*, & *Tarentini* alicujus, *Fontem-*

blenſis

Digitized by Google

blenſis etiam, & pervetuſti alius exemplaris, Varias Lectiones manu ſcriptas. De altero autem illo, *Jani Cornarii*, affirmavit, plurimas habere variantes, de quibus ipſe ſcripſiſſet *Cornarius*, ſe non exigua eas impenſa ſibi comparaſſe. Doctiſſimus itaque Editor, *Sambuci* hoſce & *Cornarii* Codices in ſubſidium arceſſens, complures, illorum ope, & emendavit locos *Hippocratis*, & reſtituit. Cum enim in aliis editionibus ſenſus ſubinde nullus, & incongrua plane verborum textura, appareret, hujus exemplaris beneficio contextus a mendis multis purgatus eſt, & deſperata ſubinde loca ſanitati ſunt ſuæ & priſtinæ reddita. Adducamus autem ex his impreſſis, priusquam ad alios MStos Codices perveniamus, quibus Cl. *Mackius* uſus eſt, duos potiſſimum, eosque ex multis, locos, ut partim utilitas horum exemplarium, non in totum ſpernenda, partim vero etiam, quid in hac nova editione ſit præſtitum, innoteſcat. In libri *de Septimeſtri partu Cap. III p. 258* hæc habet *Hippocrates*: σκοπεῖν γὰρ χρὴ τὸν μέλλοντα ἰητρὸν ὀρθῶς ϛοχάζεσθαι τῆς τῶν καμνόντων σωτηρίας, θεωρεῦντα μὲν, περιττὰς πάσας, &c. Id eſt, *etenim Medicum, qui de ægrotorum ſalute recte conjectare volet, animadvertere oportet, ut omnes impares quidem dies in contemplationem adhibeat.* In vulgaribus, quæ huc usque prodierant, editionibus legebatur: περὶ τὰς πάσας, *circa omnes dies.* Sed ex *Sambuci* editione emendavit recte *Mackius*, περιττὰς πάσας, *impares omnes dies.* Qua nihil certius eſt emendatione. Nam de imparibus diebus, inprimis de primo & ſeptimo, & de ſeptimo menſe, *Hippocrates* fuerat in antecedentibus locutus, atque nunc ſtatim addit: τῶν δὲ ἀρτίων τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην, *ex paribus vero decimam quartam.* Ut taceamus, præpoſitionem περὶ, verbo θεωρεῖν junctam, plane ſuperfluam eſſe in lectione priori, cum θεωρεῖν ſimpliciter accuſandi requirat caſum. In *Libro II de Morbis mulierum* locus eſt, quem ipſe *Foeſius* corruptiſſimum arbitratur, nec ex Codicibus emendari poſſe: ταῦτα οὖν χρὴ σκεπτέσθαι ἐς ὅλον τὸ σῶμα καθεζόντα, ὅταν παρέοντα λυθῇ νοσήματα, *hæc igitur ſpectanda ſunt, ad totum perſpiciendo corpus, cum*

præsentes morbi soluti fuerint. Sed medela huic loco affertur ex *Cornarii* Codice, si scribatur ὅταν τὰ παρέοντα ἔλθῃ νοσήματα. Facilis est & optima emendatio, *cum præsentes morbi advenerint.* Neque enim observandum est, quando *abscesserint* denuo morbi, sed inprimis, quando *præsentes* fuerint. Atque hujus quidem generis emendationes nonnullæ ex *Sambuco* & *Cornario*, in variis Lectionibus, huic editioni subjectis, reperiuntur, quas ad ipsum contextus sensum multa conferre posse, neminem præterire potest. In quibus tamen adducendis ea videtur usus esse Cl. *Mackius* cautione, ut, si quam duriorem & audaciorem (si quidem eam sic arbitratus est,) videret a *Cornario*, aut *Sambuco*, prolatam emendationem, eam in contextum non receperit, sed in Notis tantum, & nude quidem, adduxerit, quemadmodum mox videbimus. Præter hos autem impressos duos Codices, aliis etiam MStis, iisque numero quatuor, ex Vindobonensi Bibliotheca usus est doctissimus Editor, quos ante eum neminem adhuc ex *Hippocratis* Editoribus consuluisse, ipse quidem affirmat. E quorum uno locum huc usque plane deperditum, neque ex alio ullo Codice eruendum, feliciter restituit. Legitur ille in fine libri *de Morbo sacro pag. ult.* &, quod tam bene emendatus est, in ipsa Præfatione adducitur. Nempe omnes huc usque impressi habent: τοῦτο οὖν δεῖ τὸν ἰητρὸν ἐπίστασθαι, καὶ τὸν καιρὸν διαγινώσκειν ἑκάστου, ὡς ἂν τὸ μὲν ἀποδώσει τροφὴ καὶ αὐξήσει, τὸ δὲ ἀφαιρέσει, καὶ μειώσει. Quorum quidem, ut sunt, verborum hæc sententia est: *Hoc igitur oportet medicum scire, & opportunitatem cognoscere cujuscunque rei, uti hoc quidem tribuat alimento, illud vero auferat & minuat.* Vidit autem recte *Foesius*, in verbis ὡς ἂν τὸ μὲν, ac sequentibus, mendum subesse, neque vero quidquam ausus immutare, vertit Latine: *quodque huic quidem per alimentum incrementum dabit, illud vero detrahet & imminuet.* At hic Vindobonensis MStus Codex egregiam hanc sistit verborum structuram: ὡς ἂν τῷ μὲν ἀποδώσει τὴν τροφὴν καὶ αὐξήσει, τῷ δὲ ἀφαιρέσει καὶ &c. id est, *quo modo huic quidem dabit alimentum & augebit, huic vero detrahet ac imminuet.* Quem verborum sensum & planum

planum esse, & omnino commodum, nemo non perspiciet. Sed satis, loco speciminis, ex eo Codice. Praeterea Mediceum aliquem Codicem, in Laurentiana Bibliotheca Florentiæ asservatum, consuluit Vir Clarissimus, cujus varias Lectiones ex humanitate Amplissimi Viri, *Angeli Mariæ Riccii*, Eloquentiæ Professoris, accepit. Nec nullum, uti testatur, fructum cepit ex *Æmilii Porti* emendationibus; præsertim ex vasta & copiosa variantum Lectionum mole, quam *Hier. Mercurialis*, & potissimum *Anutius Foesius*, viri non sine magna laude nominandi, in suis editionibus cumularunt, quarum uberrima segete mirum in modum adjutum se fuisse profitetur. Quotquot etiam ab initio inde, ad hæc nostra usque tempora, editiones *Hippocratis*, & versiones quotquot, & quotquot MStorum Codicum varietates, editæ jam partim, partim huc usque latentes, fuere; oculatissima *Mackius* noster & solerti diligentia contulit, ut emendatiorem contextum Græcum, translationemque, literis mandaret, quantum fieri posset, consentaneam. Atque quidem, quod ad ipsius contextus Græci correctionem & emendationem attinet, laudanda omnino Viri Cl. est moderatio, qua vulgatam lectionem non temere immutavit, sed lectores tantum de scriptionis dissimilitudinibus in Notis admonuit, suumque ipsis arbitrium ac libertatem reliquit, qua ex iis ipsi, quam præstantiorem judicarint, possint eligere; nisi forte tales occurrerint loci, quos manifesta veritas redarguere visa est. Tum enim integrum sibi esse statuit, clamantibus sic omnibus Codicibus, corruptam lectionem immutare. In quo sane utroque melius longe fecit, quam qui in edendo *Hippocrate* diligentiam ipsius præcessere. Nam ipse *Anut. Foesius*, quem modo adduximus, Vir certe Græce doctissimus, & in *Hippocrate* non minus, quam in ipsa arte, versatus, ea tamen se adstrinxit, nescio qua, religione & verecundia, ut, cum manifesto sæpissime vitiatam esse Græci contextus scripturam, partim ex MStorum Codicum lectione, partim ex veterum testimoniis, videret, perversam nihilo minus lectionem mordicus retinuit, & aliquando versionem etiam ad eam conformavit.

Vidit quidem & agnovit *Foesius* menda Codicum, atque in Animadversionibus suis veram sæpe lectionem restituit; at pervulgatam tamen maluit & inconcinnam in contextu lectionem retinere. *Hieronymus* autem *Mercurialis*, qui præcessit *Foesium*, totam *Frobenianam* editionem, cum omnibus erroribus, evulgavit, quorum quidem partem satis multam in Latina versione correxit, sed exinde quoque effecit, ut multis ea inde in locis ab oratione Græca discrepet. Quod nullo omnino modo probari poterit. E contrario *Lindenus* tanta est in immutando, detrahendo, supplendo, *Hippocrate* usus libertate, & nulla quidem nixus aut antiqui scriptoris, aut MSti Codicis, autoritate, ut recte omnino Viri doctissimi, inter quos *Patinus* est, & *Freindius*, Anglus Medicus, judicaverint, multiscium hunc virum, ingenio suo abusum, in *Hippocrate* pariter, ac in *Celso*, emendando audacissime versatum esse. Quis autem non videt, in utroque ab his viris peccatum esse? Et quis non lubens fatebitur, magis probandum esse Cl. *Mackium*, quando eas offensiones data, quoad fieri potuit, opera evitavit? Quemadmodum vero MStis pariter Codicibus, tum vero etiam impressis omnibus, non male usus est Cl. Edisor; ita neque parva cum diligentia eruditorum hominum Animadversiones, unde aliquid lucis affulgere *Hippocrati* possit, excussit, ac in suam jussit editionem immigrare. Quo loco certum est, tales nonnunquam & emendationes occurrere, & translationes, quæ varia Principis Medicorum menda tollunt, & graviores quosdam interpretum errores detegunt. Multi quidem nos esse in adducendis exemplis ejusmodi possemus, sed unum afferre præstat, unde pateat, non vanam a Cl. *Mackio* in nova editione adornanda operam consumtam. Scilicet *in Epidemiorum Libro V, edit. Foesianæ, pag. 115* sic legunt vulgati: τῷ μαγείρῳ ἐν ἀκανθῳ κύφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο. Quæ totidem etiam verbis *Libro VII p. 1228* iterantur. *Hippocratis* interprētes, *Calvus*, *Cornarius*, *Mercurialis*, *Foesius*, *Charterius*, ita ad unum omnes vertunt: *Coquo in spina gibbositas ex phrenitide facta est*, eaque versione, dici non potest,

poteſt, quam ſibi mirifice placeant. At *Thomas Reineſius*, vir κριτικώτατος, *ad Neſteros Epiſt. XXXVIII*, pro κύφωμα, *gibboſitas*, leviſſima immutatione κώφωμα, *ſurditas*, ſcribendum, cenſet. Nam, febricitantes, inprimis qui maligne laborant, ὑποκώφους, ſeu *ſurdaſtros*, eſſe, affirmat, &, cum delirio ſint proximi, omnino τυφώδεις & ſtupidos. Deinde *Acantho*, urbe Macedoniæ aliqua, ægrotaſſe iſtum coquum, arbitratur, *niſi Acanthus* (ſic enim pergit,) *peculiaris in Coo inſula locus eſt: quem in* ſpinam, *quam Græci* ἀκάνθαν, *nos* ἄκανθον, *appellant, puerili errore transformarunt interpretes omnes.* Igitur, ἐν ἀκάνθῳ, liquet, vertendum eſſe *Acanthi*, ſeu *in urbe Acantho.* Qua interpretatione, dicite omnes, quid rectius eſſe poſſit? Præſertim cum *Hippocrates* ipſe *Epidemior. Lib. III ſect. 2 ægrot. 4* ſcribat: *Philiſtæ, continua febre laboranti, & phrenitico*, ſurditatem *contigiſſe, quæ* eos quo Acanthino *ſimilis fuiſſet.* In Græca igitur *Hippocratis* oratione quoniam varia adhuc menda occurrerunt, dubium omnino nullum eſt, quin & in Latina translatione nec pauciora, nec exigua, ſuperfuerint. Itaque, operam ſe dediſſe, Doctiſſ. Editor ait, qui & ex hac ratione officio rite ſuo perfungi poſſit, indeque admiſſos a reliquis errores ſtuduiſſe in ſua verſione, quam plane novam ſe feciſſe, in Præfatione docet, corrigere, & exacte, aut potius, quomodo ipſe loquitur, ſicuti humana tuliſſet imbecillitas, ad mentem *Hippocratis* Græcam, transferre. Nec poteſt in univerſum negari, plurimis in locis eam ita comparatam eſſe translationem, ut prorſus referat archetypum ſuum, & Græco contextui reſpondeat, & ſubinde Commentarii inſtar ſit, quo ipſe *Hippocrates* melius intelligatur. At enim vero, quemadmodum vix nobis perſuaſit Vir doctiſſimus, novam penitus eandem eſſe, (ſi ab iis fortaſſe receſſeris locis, qui *Sambuci* & *Cornarii*, aut MStorum, opera ab ipſo ſunt reſtituti,) quoniam *Foeſii* interpretationem, utpote ad *Hippocratis* mentem præ ceteris accommodatam, deinde inſulſam *Cornarii* alteram, quam, invito contextu Græco, in ſua editione *Lindenus*, filius, retinuit, & ipſum, infinitis in locis, retinuiſſe *Mackium* noſtrum, nonnunquam

quam autem præter rem correxiſſe, aut potius depravaſſe, utriusque inter ſe collatio luculenter demonſtrat; verum præterea eſſe etiam hoc videtur, Clariſſimum Editorem humani ſubinde quidpiam, uti ſolemus nos omnes, expertum eſſe. In pervolvendo enim hanc elegantem, & prorſus ſplendidam, editionem, viſi nobis ſumus obiter & velut ἐν παρόδῳ hæc obſervaſſe: *Pag. 3 lin. 14* ὑποκριτὴς, per *biſtrionem* bis redditur, cum in genere *actorem*, & pro diverſa ratione ſeu *comœdum*, ſeu *tragœdum*, ſignificet. Deinde ad Græcum contextum minime transferri debuit: *quemadmodum enim illi formam quidem, veſtem ac faciem*, (verte *ſtolam & larvam*,) *biſtrionis induunt, neque tamen biſtriones ſunt*; *ſic* & &c. Melius omnino ad ſenſum *Lindenus*, ſecutus *Cornarium*, ſic habet: *quemadmodum enim illi figuram quidem & habitum ac perſonam eorum, quos referunt, habent, illi ipſi autem vere non ſunt. Pag. 4* circa finem ſic ait *Hippocrates*: δύο γάρ, ἐπιστήμη τε καὶ δόξα. ὧν τὸ μὲν ἐπίστασθαι ποιεῖ τὸ δὲ ἀγνοεῖν. *Mackius* vertit: *Duo ſunt enim ſcientia & opinio, quarum illa quidem ſcientiam, hæc vero ignorationem, facit.* At, quæſo, quid eſt *ſcientia facit ſcientiam?* Recte quidem Græce dicitur ἐπιστήμη ποιεῖ ἐπίστασθαι, Latine autem debebat transferri *ſcientia facit certitudinem*, id eſt, certi evadimus ſcientia. Præferenda igitur eſt ipſa *Lindeni* translatio, quamvis nondum accurata, quæ habet: *duo enim ſunt, ſcientia & opinio, quarum altera quidem ſcire facit, altera ignorare. Pag. 8 lin. 4* occurrunt verba: καὶ ἐγὼ τῷ λόγῳ οὐκ ἀπιστέω. Non ſatis hæc accurate vertit doctiſſimus Editor: *atque hancce rationem non improbo.* Ita debuit: *equidem credo dicenti*, aut *fidem habeo ei, qui hæc dicit. Pag. 9* αὐτόματον *ſpontaneum* vertit doctiſſimus Editor. Transferendum potius eſt *caſu, ſine ratione, fortuito*, aut ejusmodi vocabulo. Nam, τὸ μὲν γὰρ αὐτόματον, οὐδὲν φάινεται ἐὸν ἐλεγχόμενον, ſignificat: *ſine ratione, deprehenſum eſt, nihil accidere.* Satis enim hæc demonſtrant, quæ ſequuntur. Porro, quod additur, τὸ δὲ αὐτόματον, ἐν φάινεται ἐόλην ἔχειν

ἔχειν ὑδεμίην, ἀλλ' ἢ ὄνομα μοῦνον, hæc verba nihil aliud volunt, quam *id, quod fortuitum dicitur, nihil* (*non-ens*) *eſt, & nomen merum*, nempe notione nulla ſubjecta. *Pag. 17 lin. 14* οἱ δημιουργοὶ τῶν ἀ. π. τεχνέων πολλὸν ἀλλήλων διαφέρουσι καὶ κατὰ χεῖρα, καὶ κατὰ γνώμην, *Cornarius, Lindenus, Mackius*, transferunt: *differunt tum manu, tum mente.* Hoc autem eſt vocabulis nimium inhærere. Mens eſt: *differunt & opere & ſententia. Pag. 21 lin. 26* & ſeq. in tota periodo a verbis inde, *etenim vir laborans morbo neque difficili*, usque ad, *qui eum delinquere admoneat*, ſenſus habetur nullus in verſione, & in Græco contextu longe alia eſt verborum poſitio, quod contemplanti patebit. *Pag. 37* ab initio ſtatim legitur: δεῖ δὲ τοῦτον σκοπέειν τάδε, περὶ τὴν ψυχὴν σώφρονα. Secutus eſt *Lindenum* Editor doctiſſimus, ac ita transtulit: *ut animum habeat modeſtum.* Mallemus *incorruptum*, aut, in genere, *virtute præditum*, quod latiſſime patet vis verbi σώφρον. *Pag. 58* τὰς ὑποφασίας τῶν ὀφθαλμῶν convertit Cl. *Mackius* vocabulo, neſcimus ex qua lingua petito: *ſubapparationes oculorum. Pag. 195* elegantiora ſunt, ſed ob id paulo obſcuriora, Cl. *Mackii*, quam interpretum priorum, verba. Satis hic accuratus in vertendo *Lindenus*, nec negligenda hujus interpretatio videbatur, quem deinde ſequitur *Mackius*, hæc *Hippocratis*: ἀλλὰ τῆς μὲν γνώμης τὸν ἐπίλογον τὸν αὐτὸν ποιέονται, ita vertendo: *ſententiæ ſuæ epilogum eundem efficiunt.* Sed hic & ipſe ſit obſervationum noſtrarum epilogus. Quarum nos quidem longe plures poſſemus afferre, ex quibus pateret, Virum doctiſſimum a Græco contextu nonnunquam (venia verbo ſit,) aberraſſe, dum aut novam tentavit translationem, aut antiquam retinuit. Sed hæc leviora ſunt, quam ut ideo ſuum editioni pretium, ſplendorque integer ac incorruptus, ſervari non poſſit. Quod ad Notas & Animadverſiones attinet, quas præſtantiſſimus Editor ſingulis ſubjecit paginis, eæ ſubinde perbreves ſunt, & partim editorum exemplarium, partim manu exaratorum Codicum, varias ſcriptiones exhibent, ac oſtendunt, quænam ipſi cor-

rectior visa, & in contextum recepta fuerit. Pauci sunt loci, ubi fusiorem adjecit explanationem, ac ubi Græca quædam quorundam Codicum Scholia ex *Sambuco*, aut aliis, adjecit. Nemo itaque Commentarium integrum, aut explanatum *Hippocratem*, in ista editione quærere potest, sed ex *Galeno* & *Erotiano* interdum, item ex *Suida*, *Hesychio*, & aliis Paraphrastis antiquis, quasdam voces inveniet, quæ eadem ab iis significatione sumuntur, qua ab *Hippocrate* sunt adhibitæ. Si gustum harum observationum & exempla quædam desideras, en pauca hæc accipe: *Pag. 4 n. 13*, ὕπαρ καὶ ἔναρ proverbialem locutionem esse, evincit *Mackius*, & ex *Homeri Odyss. τ vers. 547* petitam, ac significare *inter vigilandum & inter dormiendum*, aut opinione, aut re vera. *Pag. 27 n. 83* talia adjicit: ἄραδον *Erotianus* exponit ταραχώδη κίνησιν, καὶ σάλον, *turbulentam quandam motionem & tumultum.* Ἄραδος *Hesychio* exponitur ἡ ἀπὸ τῶν γυμνασίων τῆς καρδίας κίνησις, *ex vehementiore exercitatione cordis palpitatio.* Quam notionem secutus *Nicandri Scholiastes* in *Theriacis* videtur, ἄραδον κακὴν, κακὴν κίνησιν exponens. Ἄραδος γὰρ λέγεται, ut scribit, κίνησις σώματος μετὰ γυμνασίας καὶ ἀλγηδόνος, *corporis motus cum exercitatione & dolore* &c. *Pag. 31 n. 125* legitur: καταστρέσαι est *humi sternere, deprimere, dejicere*, & μεταφορικῶς pro *componere, sedare*, sumitur. Dicitur tamen tropice de humoribus, qui evicti sunt & concocti. *Pag. 55 n. 50* sic fatur *Mackius*: ἀκέεσθαι & ἀκέεσθαι idem est, quod θεραπεύεσθαι, *mederi, sanare*, ut apud *Homerum Iliad. X vers. 2*: ἀκέοντό τε δίψαν, *sitim sanabant*, hoc est, *sedabant*, aut *restinguebant. Pag. 85 n. 50* ad verba *Hippocratis*: παρὰ βασιλέος λεγόμενον κύμινον, *quod a Rege nomen duxit Cuminum*, hæc commentatur Cl. Editor: Cuminum Æthiopicum Regium *Hippocrati* dictum, testatur *Dioscorides Lib. III Cap. 68* & *Plinius Lib. XX Cap. 15*, quia efficacius ex Ægypto judicatur. Probabilius tamen est, sic dictum per ἀντένφασιν, quod regia mensa dignum esset. Cuminum autem potum aut illitum colorem pallidum reddit, unde *pallens* dicitur, ut *pal-*

Digitized by Google

ut *pallentes curæ*, quod pallorem inferunt. *Pag. 92 n. 7*, quid ſit ἠπίαλος, exponit; nempe *febris* eſt, *in qua calor & rigor ſimul ſunt.* Latini *querqueram* dicunt, de qua *Lucilius* apud *Feſtum*, *Pag. 196 n. 11* ad illa verba, τὸν δὲ Μελίσσον λόγον ὀρθοῦν, obſervat *Mackius*, in margine Codicis Florentini hoc Gloſſema haberi, quod integrum apponemus: Μελίσσος καὶ Παρμενίδης Φυσικοὶ Φιλόσοφοι· ὁ μὲν ἓν τὸ ὂν λέγων καὶ ἄπειρον. Παρμενίδης δὲ πολλὰ τὰ ὄντα καὶ πεπερασμένα. Ἀμφότεροι δὲ ἐξελέγχονται ἀπὸ Ἀριστοτέλους τοῦ μεγάλου Φιλοσόφου μὴ δοξάζοντες ὀρθῶς. Ἀποδεικνύει γὰρ ὁ Φιλόσοφος οὗτος ἐν τῇ Φυσικῇ ἀκροάσει, ὅτι πάντα κατ' εἴδος τὰ ὄντα ὑπό τινα γένη ἀνάγεται· ὥστε δέκα εἰσὶ τὰ ὄντα καὶ πεπερασμένα, id eſt, *Meliſſus & Parmenides, Phyſici & Philoſophi, alter, unum ens & infinitum eſſe, dicebat; Parmenides autem multa entia & finita. Ambo ab Ariſtotele, magno Philoſopho, redarguuntur, quod non recte opinentur. Oſtendit enim hic Philoſophus, in Phyſica auditione, quod entia omnia, ſecundum ſpeciem ſumta, ad quædam genera reducuntur, ita, ut entia decem ſint & finita.* Cujusmodi alia adhuc in ſequentibus, ex eodem Codice, gloſſemata adducta ſunt. *Pag. 210* varias τοῦ νόμου ſignificationes apud *Hippocratem*, profert, nempe, notare τὸν λόγον, τὴν νέμεσιν, τὸ ἔθος, *rationem*, *indignationem*, & *morem.* At enim vero *Mercurialis* etiam teſtatur, hanc vocem & *inſtituta*, & *paſcua*, *regionem*, ac *claſſem*, apud *Herodotum* ſignificare; cujus linguam *Hippocratis* dialecto affinem eſſe, nemo neſcit, qui in utroque Autore non oſcitanter verſatus eſt. Hujus igitur generis obſervationes quædam *Mackianæ* inveniuntur; quarum tamen, uti diximus, haud ſanæ multæ ſunt; cum reliquæ varias unice Lectiones ex Codicibus MStis, aut editis exemplaribus, exhibeant. Sæpiſſime tamen loci *Galeni*, atque alii paralleli, adſcripti ſunt, qui vero ad intelligentiam ipſius *Hippocratis* parum conferre poſſe videntur. Perplacet autem nobis, quod Editor Doctiſſ. cuivis libro Medici ſui hiſtoriam libri ipſius aliquam, quamvis perbrevem, ſufficientem tamen, ac ſat elegantem, præmiſit; in qua de Autore libri genuino, & contentis

ejusdem, uti & de illis, agit, qui illustrarunt eundem, & explicarunt. Quisquis igitur sit Autor harum observationum: (nam de illis in Præfatione nihil *Mackius* commemoravit,) putamus autem, in multis esse *Renatum Charterium*, aut alios; hoc tamen certum est, multum adjumenti ex earum lectione conferri iis posse, qui eo melius librum ipsum *Hippocratis* quemlibet intelligere cupiunt. Miramur autem majorem in modum, quomodo acciderit, ut ne verbo quidem meminerit *Mackius* propositi *Trilleriani*, de nova *Hippocratis* editione adornanda; cum tamen omnibus constet, Virum hunc longe doctissimum a sexdecim inde, & ultra, annis aliquam hujus Medici editionem meditari, jamque A. 1728 Commentationem edidisse, qua ex instituto animum suum aperuit, & eruditos ad conferendas symbolas invitavit. Edita est Lugduni Batavorum in 4, adjuncto, loco speciminis, libello *Hippocratis de Anatome*, critice & philologice illustrato. Ipse Vir Celeberrimus jam ante, in *Epistola medico-critica*, propositum suum annuntiaverat. Ex cujus etiam *Observationibus criticis*, quæ ante annos aliquot Francofurti in 8 prodierunt, jam nunc vel maxime Opus hoc ab eo urgeri, intelligimus. Ipsæ etiam hæ Criticæ Observationes non parum prodesse Cl. *Mackio* potuissent, quod multis in locis *Hippocrates* tentatus est, illustratus, correctus etiam, & ex MStis Codicibus emendatus. Nisi forte Vir doctissimus, contra suum esse finem, arbitratus est, talia indicare, & conferre, quod Commentarium in hunc Autorem scribere in animum non induxerit, sed *opus ejusmodi longum ac laboriosum*, (nam hæc ipsa ejus verba sunt,) *ac suas superans vires, doctorum virorum curæ studioque relinquere.* Deinde ipsum etiam, qui luculentum tamen conscripsit in ὄρκος *Hippocratis* Commentarium, *Meibomium* Cl. Editor aut nescivit, aut nos nescimus, quare in Historia & Notis eum non adduxerit. Sed hæc obiter. Ceterum, quod ad *Hippocratis* Operum divisionem attinet, atque in suas classes descriptionem, illam est secutus Editor, quam ex *Erotiani* mente *Foesius* insti-

Digitized by Google

inſtituit, in Sectiones octo, aut Claſſes, *Hippocratis* libros tribuendo. Conſtat autem, longe aliam diviſionem, in acutiſſima illa *Hippocratis* cenſura, *Hieronymum Mercurialem* inſtituiſſe. In hujus igitur editionis *Tomo*, quem recenſemus, *primo* tres tantum Sectiones occurrunt. Exhibet enim Sectio I τὰ τεχνικὰ Libris VII; Sectio II τὰ σημειωτικὰ Libris VI; denique Sectio III τὰ φυσικὰ καὶ αἰτιολογικὰ Libris XIV. Librorum autem diviſionem in certa Capita a *Charterio* petiit *Mackius*, ejusdemque argumenta præpoſuit, &, ſicubi deerant, adjunxiſſe ſe alia affirmavit; id quod tamen, indicaſſe eum mallemus, ubi tandem contigerit. Præterea, a principio ſtatim, notitiam addidit brevem, & tractationem, *de veterum ponderibus ac menſuris*, dubii eam quidem Auctoris, utilem tamen omnino, immo vero ad intelligendam medicaminum quantitatem, quæ ab *Hippocrate* præſcribuntur, neceſſariam, ne nimirum, in iis adhibendis, error, aut defectu, aut redundantia, cum ægrotorum periculo ac damno, admittatur. Et ea quidem laudabili opera lectores a moleſto labore, aliunde conquirendi illarum rerum cognitionem, quæ in multis ſcriptoribus ſparſæ ſunt & diſſeminatæ, humaniſſimus Editor levavit. Denique & ad alias editiones accommodavit hancce præſentem, adducendo in margine paginas, nominatim utriusque *Baſileenſis*, Græcæ & Latinæ, *Frobenianæ*, *Foeſianæ*, *Theod. Zuingeri*, & *Mercurialis*. Ad finem autem Operis totius *Galeni* adhuc *Exegeſin Hippocratis*, & *Erotiani Lexicon*, & *Herodoteas phraſes*, Cl. *Mackius* adjiciet, ac *Petri Pini* Indicem in *Hippocratis* Opera, Venetiis A. 1597 impreſſum, ſuæ editioni accommodabit. De quorum utilitate & neceſſitate in ultimo hujus editionis *Tomo* plura dicentur.

JO. GEORG. WALCHII, S. T. D. ET PROF. Publ. Miſcellanea ſacra, ſive Commentationum, ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſanctioresque diſciplinas pertinentium, Collectio.

Amſtelodami, ſumtu Zachariæ Rombergii, 1743, 4 maj.
Alph. 4 plag. 22.

Digna hæc eſt Autore ſuo S. Ven. Collectio. Digna hæc ei ipſi viſa, quam Auguſtiſſimo Danorum Monarchæ, *Chriſtiano VI*, Regi prorſus Chriſtiano, conſecraret. Coaluit vero Sylloge ipſa ex variis Commentationibus Academicis, quæ nunc demum uno volumine ſunt comprehenſæ. Honorem habemus hortationi doctorum virorum, quæ tantum valuit, ut laborem hunc Vir elogio noſtro major ſuſceperit, deſideriis aliorum ac uſibus publicis velificaturus. Licet enim ipſe, qua eſt modeſtia, ſibi nihil tribuat; noſtrum tamen eſt, dotes ingenii ac judicii, quibus Autorem Deus dignatus fuit, maximi facere. Contulit ipſe ſe omnino ad hoc Opus ita perficiendum ornandumque, ut illud ſe aliis ex merito & pretio ſuo commendet, ſibique conciliet fautores. Ordinem ſervavit in eo exſtruendo, non a ratione temporis petitum, ſed argumentorum conditioni, rerumque ipſarum nexui, accommodatum. Ipſas lucubrationes accurate ab integro perlegit omnes, & ad emendandum eas adhibuit curas poſteriores, & illarum nonnullas acceſſionibus locupletavit. Argumenta, quæ in illis ediſſeruntur, ex vario ſanctiorum diſciplinarum genere ſunt depromta. Nonnullæ earum pertinent ad Hiſtoriam eccleſiaſticam, præcipue ad iſtam illius partem, in qua res ævi Apoſtolici Chriſtianæ commemorantur. Ita expoſuit *de Apoſtolorum inſtitutione catechetica*, ad *Ebr. VI, 1, 2*; *de Hymnis Eccleſiæ Apoſtolicæ*; *de uſu orationis Dominicæ apud veteres Chriſtianos*; *de Hymenæo & Phileto*, ad *2 Tim. II, 17, 18*; item *de formulis ſalutandi Apoſtolicis*, iisque, quibus legati Servatoris in principiis Epiſtolarum ſuarum uſi fuerunt, ac *de Tito, viro Apoſtolico*. Generis hujus quoque ſunt ea, quæ *de Samoſatenianis neotericis*, in Auguſtana Confeſſione memoratis; *de Antiſcripturariis*, ac præcipue de *Joanne Laurentio Schmidio*, architecto Pentateuchi *Moſaici* Wertheimenſis; *de peccato originis, & de transſubſtantiatione*, a Romani Præſulis ſectatoribus excogita, enarravit. Aliis Commentationibus pertractantur ſelecta argumenta, quæ deſumta ſunt ex iis divinioribus diſciplinis, quæ ad

capita

capita ſalutaris noſtræ cognitionis, & interpretationem oraculorum ſacrorum, feciunt. Huc ſpectant Diſſertationes *de Providentia Dei ex calamitatibus piorum demonſtrata; de ſtatu mortuorum & reſurgentium*, ubi *Thomæ Burneti* errores repelluntur; *de morte & reſurrectione fidelium cum Chriſto*, ad *Rom. VI, 1 ſeq. de diverſis vitæ ſanctioris gradibus*; *de Epiſcopo, patre ſpirituali*; *de ſervo Dei juſtificante*, ad *Eſ. LIII, 11*; item *de Epiſcopo, unius uxoris viro*, ad *1 Tim. III, 2*; ac *de ſenſuum externorum auctoritate in rebus fidei*. Omnes has Commentationes ipſe conſcripſit. Præter iſtas autem nonnullæ aliæ volumine hoc continentur, quas ſibi Cel. Autor non integras vindicat. Conſiliis tamen, auſpiciis, operæ, emendationi, & amplificationi, ipſius fere univerſa debentur. Huc refer Diſſertationes *de Hiſtoria pædobaptismi quatuor primorum Seculorum*; *de Clemente Alexandrino, ejusque erroribus*, *de Pelagianismo ante Pelagium*; *de Hypocriſi hæreticorum*, *maxime vetuſtiorum*; *de Lollardis*, Seculi XIV teſtibus veritatis; ac *de methodis variis, Theologiam tradendi*. Hiſce Commentationibus ſubjecit duas alias, quarum altera exponitur *de hæretico orthodoxo*, altera *de Orthodoxia cathedraria*. Conſecravit eas recitationibus ſolennibus, munere Decurionis intra Ordinem theologicum fungens, illam vera *Fr. Gotth. Gotteri*, hanc Cel. *Frid. Andr. Hallbaueri*, honoribus theologicis tribuendam exiſtimavit. Addidit denique Appendicem Meditationum ſacrarum, quibus feſtos, eosque ſummos, Chriſtianorum dies pro more civibus Academicis indixit. Meditatio prima inſcripta eſt *de Spiritu adoptionis*, ad *Rom. VIII, 15*. Secunda *de Divinitate Spiritus ſancti, doxologiis veterum Chriſtianorum confirmata*, agit. Tertia *de Seculo Spiritus ſancti*, quod fanatici homines & olim creparunt, & adhuc exſpectant, exponit. Habes inibi digniſſima lectu de *Joachimo*, Abbate Benedictino, qui erroris de ſeculo Spiritus ſancti quaſi ſemina ſparſit, de *Amalrico* Pariſienſi, qui errorem propagavit, de libro, qui æternum Evangelium inſcribitur, ejusque autore, de *Ubertino*, *Joannis de Parma* auditore, ac libro, cui nomen *onus Eccleſiæ*. Quarta inſcripta eſt *de Divinitate Spiritus ſancti ex Symbolo Apoſtolico demonſtrata*. Quinta

Pag. 769. 777. 779.

Pag. 784. Quinta *de veterum Symbolorum in Articulo de Spiritu ſancto diſcrepantia* exponitur. Sexta agitur *de Patribus Apoſtolicis, divinitatis Spiritus ſancti teſtibus.* Egregiis bellariis hæc cœna abundat. Septima tractatur *de recentioribus Pneumatomachis.* Primordia inibi capiuntur a *Macedonio.* Decurrit tractatio *ad Joannem Bidellum, Franciſcum Joſephum Burrhum,* 797. *Jo. Caſp. Weſtphalum*, ad Socinianos, ad *Mich. Servetum*, ad Modaliſtas, & nominatim ad larvatum *Liberium de Sancto Amore*, ad *Hermannum Deuſingium*, ad *Stephanum Nye*, & *Joannem Campanum.* 807. Octava inſcripta eſt *de Elencho Spiritus ſancti*, ad *Jo. XVI, 8*; nona *de Templo Spiritus ſancti*, ad *1 Cor. III, 16*, & *VI, 19*, nec non *2 Cor. VI, 16*; 810. decima *de Interceſſione Spiritus ſancti*, ad *Rom. VIII, 26*, quam admittit effectivam, non vero formalem; undecima *de Spiritu Chriſti*; 819. duodecima *de Spiritu Lætitiæ*, ad *Pſ. XLV, 8*; 825. decima tertia *de Pulchritudine fidelium.* Meditatione XIV *de Corpore Chriſti cæleſti* differitur; XV *de Paſtoribus Bethlehemiticis*; XVI *de Paupertate Chriſti*; 866. XVII *de Chriſto ſine patre & matre*; XVIII *de Tempore adventus Meſſiæ idoneo*; & XIX *de Jeſu primogenito Mariæ.* Non eſt, quod, Lector, plura ex hoc præclariſſimo tibi vireto decerpamus. Fructibus in eo ſingulis ſua eſt præſtantia, ſuus nitor, uſus, & excellentior gloria. Perſpicuitas inibi cum argumentorum dignitate, cognitio hiſtorica cum judicio theologico, antiquitatis forma, in utramque partem ſpectata, cum ſeculi noſtri felicitate & monſtris in contentionem adducta, ſtili ornatus cum rerum delectu ac pulchritudine, amiciſſime certant. Librum ſcilicet indicamus, qui, quam ut a nobis prædicetur, eſt dignior, nec tam laudandus, quam legendus & attente verſandus.

JO. JENSII LUCUBRATIONES HEſychianæ. Obſervata in ſtilo Homeri. Vetera Epigrammata Græca, pro anecdotis prodeuntia.

Rotterodami, typis Jani Danielis Beman, 1742, 8 maj. Alph. 1.

In Præ-

Digitized by Google

In Præfatione Cl. Autor, poſtquam, Codicem & Pandectas e Græco translata eſſe, demonſtrarit, veteres & pulvere conſperſas meditationes ſubito ſe, ait, exquiſiiſſe. Ita factum eſſe, ut inciderit in *Heſychium*, cujus vocabula ab aliis intacta, & tamen corrupta e veteribus Poetis depromta, eſſe, olim animadverterit, nunc magis etiam correxerit, immerito reprehenſa vindicarit, & bonas contra emendationes firmarit. De *Heſychio*, præter ea, quæ ipſe de ſe memoret, parum conſtare, dicit, ipſum autem Lexicon ab alio inchoatum, poſtmodum a pluribus auctum, multarumque vocum, eodem ſimilive modo expoſitarum, aut alibi longe aliter, quam alibi, ſcriptarum, repetitionibus cumulatum, lectorem viſurum eſſe, ſperat. Interea lectoribus Poetarum Græcorum, & LXX interpretum, & Novi Teſtamenti, neque minus antiquitatum ſtudioſis, utilem judicat *Heſychium*, quamvis adhuc maculis teterrimis inquinatum. Negat tamen Autor, ſe ullas aliorum emendationes vidiſſe, præter illas in *Schreveliana* editione exhibitas, & a ſe nominatim ex aliis allatas. Si quæ igitur exſtent, uti exſtare non dubitat, eas a ſe compilatas videri non vult. Nos, ſi quid noſtrum judicium valet, doctiſſimo Autori confirmamus, neminem doctum hodie aut tam inertem, aut tam iniquum, eſſe, ut ex ſimilitudine cogitationum alterutrius ſcriptoris furtum ſuſpicetur. Doctus enim profecto non eſt, quin ex ſua norit experientia, multos in easdem cogitationes incidere poſſe, & quidem vel eodem, vel alio atque alio, tempore. Pergit Autor literatiſſimus narrare, ordinem vocabulorum magis ſe reſtituiſſe, quam ullum ante ſe alium; itemque ex *Homero* magis, quam aliunde, ſua quæque repetiiſſe, fontibus tamen ſuis rivulos quosque aſſignaſſe. Spirituum item & accentuum diverſitatem diligenter ſe attendiſſe ſcribit, ubi *Heſychius* nihil tale monuerit; ubi autem ipſe monuerit, ibi ſe recte putat concludere, diverſos libri *Heſychiani* Autores eſſe, quorum unus ante ſpirituum & accentuum inventionem vixerit, alter poſt eandem. Præterea, confuſos & coacervatos articulos diremiſſe, ait, ſe ac ſegregaſſe; diſtractos contra conjunxiſſe, ab aliena litera inchoatos ſanaſſe, confuſas item αι & ε debite permutaſſe.

Hæc omnia multis exemplis illustrat Autor, additis monitis quibusdam de utilitatibus, quas Poetæ ex Lexico *Hesychiano* consequantur. Nos, exempla ipsa ab Autore potius sumenda, putamus, quam huc referenda; cum sine comparatione & *Hesychii* & Poetarum veterum nequaquam satis intelligi queant, quippe ex contextu orationis illorum demum elucentia. Pergimus ergo ad Autoris observata in stilo *Homeri*. Hic denuo præfatus, magis sibi *Homerum* placere, ait, nunc, quam olim, &, animadvertere se, putat, *Homerum vel legisse sacras Veteris Testamenti tabulas, quatenus illæ Homeri ætate prostabant; vel rerum, in illis traditarum, potissimum illarum stili, ignarum non fuisse, ut qui sæpe ad illarum stilum formarit suum, vel alluserit.* Tum se quoque ait insulsa quædam in personis & actionibus personarum *Homericarum* observasse. Denique, similia *Homeri* & *Virgilii* loca deprehendisse. Præsertim *Homeri* artem prædicat exprimendi per metrum rerum ipsarum naturam. Id quod *Virgilium* imitari dicit, quantum Latinæ linguæ ratio patiatur, in *Georg. III, 420,* & *v. 276,* & *130 seq.* Ut de observationibus Autoris Lector noster judicare possit, exempla quædam hic proferemus. Ad *Iliad. A. v. 5* adscribit: *Sapienter ac graviter mala publica ad divinam Homerus refert providentiam,* &c. Mox pergit: *Versus 64 ita dispungendus:* Ὅς κ' εἴποι, ὁ, τι τοσσον &c. *uti recte fit v. 85.* Subjungit tum: *Versu 77 videtur omnino legendum* ἡ μὴν, *non* ἦ μὲν *Juratur enim; ac* τὸ, ἦ μὴν, *ordinaria est Græcis formula, jurijurando præfigi solita.* Similiter *A, 154,* negat *Achilles,* boves, aut equos, sibi abactos esse, id est, magnam injuriam factam, sicuti *1 Sam. XII, 3.* Ad *Iliad. A, 194,* ubi *Pallas* irato *Achilli* subito de cœlo interveniisse dicitur, Autor, id ita accidisse, ait, ut *Achilles* ipse mentem subito immutarit. *Versu 234,* ubi *Achilles,* sceptrum suum, negat, folia & frondes protruturum, Autor arripit occasionem, de magnitudine miraculi in baculo *Aaronis,* flores & fructus proferente, differendi. Ad *Iliad. A, 388,* hæc habet annotata: *Artificiose durissimi tardissimique Spondæi ad minantis gravitatem effingendam adhibentur.* Quam in rem citat etiam *Iliad. B, 544,* & *Iliad. Γ, 348.*

Iliad.

Iliad. A, 509, inhumanam *Thetidis* petitionem, Autor putat, esse, quæ propter filium Græcis omnibus mala inferri velit. Indignatur etiam, quod *Jovi* & *Palladi* mendacia tribuantur alibi. Sed hæc talia mira non videri debebant Autori, qui meminisse potuerat, antiquarum gentium Deos fere homines fuisse, a quibus, præsertim male educatis, mentiri non est alienum. Ad *Iliad. B, 5 - 35*, monet Autor, nuncios iisdem fere verbis uti, quibus mandans ipse usus fuerit, quod etiam ex *Iliad. Θ, 416*, confirmat. Sed hæc est communis Oratorum & Historicorum apud Græcos consuetudo, a *Vigero* & aliis dudum annotata. *Iliad. Γ, 35*, ὠχρὸς, *pallidus*, videtur Autori doctissimo pro *pallore* poni, uti νεκρὸς, *mortuus*, pro *cadavere*. Sed, ut per se quisque videt, diversa utriusque vocabuli ratio est & significatio. Cadaver enim non est mors ipsa. *Iliad. Δ, 257-265*, miratur Autor, *Idomenei* virtutem prædicari, integra pocula exhaurientis. Sed, vetustatis multa fuisse vitia, meminerunt librorum vetustorum lectores. Ad *Iliad. Z, 266*, ubi *Hector* a se pollutis sanguine *manibus Jovi* libari posse negat, hæc res ad *Davidem*, ob bella templum Dei condere vetitum, applicatur, *1 Reg. V, 3, 1 Chron. XXIII, 8*. Sed *Hector* manibus ablutis *Jovi* libare posse videbatur; *David* post bella diu intermissa templum Deo condere posse non videbatur. *Iliad. H, 193*, *Ajax* præcipit suis, ut, dum ipse cum *Hectore* pugnet, illi *Jovem* submissa voce orent de victoria hero impertienda. Doctissimus Autor hæsitat, quid de tacita illa precatione sentiendum sit; suspicatur denique, *Ajacem* de barritu suorum metuisse. Verum preces tacitæ veteribus usitatæ & cordi erant, quo consilia & preces adversariorum disturbarentur, neque ad tacitas preces novis precibus reprimendas & intervertendas perpellerentur. Vid. Cel. *Jo. Conr. Schwarzii* Annotationes ad *Theophrasti Charact. Cap. XIX Sect. 11, 12. Iliad. Θ, 19 seq. Jovi* potentiam ridiculam tribui, præscientiam negari, imo præsentissimam rerum scientiam eripi, notat Autor literatissimus. Sed *Jupiter*, quamvis Deus haberetur, tamen olim homo fuerat; homini autem humana tribui vitia, quid miremur? Hi tales Dii erant θέοι, non φύσει. *Iliad. Θ, 160*, queritur Autor de *Eustathii* & reli-

quorum Scholiastarum socordia, qui veram rationem locutionum κακὴ γλήνη, & τοι δαίμονα δώσω, non expedierint. Autor vero querimonia supersedere, & hæc desiderata explere, potuerat, debuerat. Quod ita fortasse fieri poterat, ut, quia *Diomedes* nec armis, nec telis, recte utebatur, & solo hostium adspectu perterrebatur, malo lucentis oculi ludibrio decipi diceretur. Et, cum splendor ac lux oculi divinum quiddam habere crederetur, & idcirco divinitati cuidam tribueretur; belle *Hector Diomedi*, falsa oculorum specie delusо, *Dæmonem* daturus dicitur. Si citra poeticum lusum rem intelligere velis; meminisse te, Lector, jubemus, animum hominis vel autorem, vel certe comitem, esse lucis oculorum, quam qui non habet, ei animus, seu *Dæmon*, dandus est. *Dæmones* quidem vulgo animi e corpore digressi olim dicebantur. Videntur ergo errare, si qui δαίμονα διδόναι idem volunt valere, quod *interficere*. Venimus jam ad Epigrammata, quæ cum Autore pro ineditis communicata sunt. Ut Lector & Epigrammatum, & annotationum, capiat gustum, utriusque rei proponemus exempla. *Epigr. CXVI*:

Ην παρίης ἥρωα, Φιλοπρήγμων τε καλεῖται
Πρόσθε ποτ' Ιδαίης κείμενος ἐν τριόδῳ.
Εἰπεῖν οἷον ἐπ' ἔργον ἄγεις πόδας, ἐυθὺς ἐκεῖνο,
Ευρήσεις σύν σοι πρήξιος ἐυκολίην.

Huc annotat Autor: *Totum hoc Epigramma non capio.*

Epigr. CLIV:

Τῆς οἷος γενεὴ μὲν ἀγαρρικὴ ἐντὸς Αραξέω
Υδωρ πιλοφόροις πίνεται Αρμενίοις
1) Χεῖται δ' ὃ μήλοις ἅτε πω μαλακοῖς ἐπὶ μαλλοῖς,
Ψεδναὶ δ' ἀγροτέρων τρηχύτεραι χιμάρων
Νηδὺς δὲ τριτάκις ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐκ δὲ γάλακτος
Θηλη ἀεὶ μαζῷ πλήθεται 2) ἐθαλίῃ·
Βληχὴ δ' 3) ἀσσοτάτω τερενῆς μυκήματι μόσχου·
Αλλα γὰρ ἀλλοῖαι πάντα φέρουσι γέαι.

1) Lege Χαῖται, 2) ἐυθαλίῃ, 3) ἀσσοτάτη.

In *Hesychianis* non pœnitendus cuiquam videri debet doctissimi Autoris labor. Observata omnibus facile veniunt in meurtem

tem eruditis. Epigrammata denique, ſi nondum edita ſunt, ad illuſtrandas antiquitatis varias partes omnino pertinent, ac proinde Autori novam & uberiorem literatorum gratiam conciliant.

ELEMENS DE L' ASTRONOMIE.
id eſt,
CASSINI ELEMENTA ASTRONOMICA.

Pariſiis, ex Typographia Regia, 1740, 4 maj.
Alph. 3½, Tabb. æn. 6.

TABLES ASTRONOMIQUES, &c.
id eſt,
CASSINI TABULÆ ASTRONOMICÆ Solis, Lunæ, Planetarum, Fixarum, & Satellitum Jovis & Saturni.

Pariſiis, ex Typographia Regia, 1740, 4 maj.
Alph. 1 plag. 5, Tabb. æn. 5.

Quam hereditario jure accepit inſignis *Caſſini* Aſtronomicæ ſcientiæ gloriam, eam ita conſervavit atque adauxit, ut non impune molimina ejus a quocunque cœleſtium amatore ignorari poſſint. Quæ vero jam præ manibus habemus Opera, eo minus omittenda nobis erant, quod omnem rem aſtronomicam compendio quaſi complectantur. Monet illuſtris Autor in prioris Voluminis Præfatione, defuiſſe adhuc Elementa Aſtronomiæ Gallica lingua ſcripta, quod in tantis, quæ hæc ſcientia Galliæ debet, incrementis mirum fere videtur. Atque hoc ipſi in cauſa fuit, cur patrium ſermonem in ſcribendo Opere eligeret, eruditis præterea per univerſam Europam ſatis familiarem. Eam vero methodi legem ſibi dixit, ut nihil ſumeret, niſi ſufficienter cognitum, a ſimplicioribusque ad magis compoſita progrederetur. A quibus regulis tamen tunc recedendum ipſi fuit, cum ita complicata ſunt Problemata cœleſtia, ut ad omnino ignota non pateat acceſſus, niſi quædam non ſatis adhuc cognita ſupponendo. Lectores vero poſtulat, elementari Geometria, triangulorum utriuſque generis calculo, & iis ex Sphæ-

rica Aſtronomia, quæ nemo harum rerum paululum curioſus ignorat, imbutos. His igitur præſuppoſitis, diverſas, quas Aſtronomi excogitaverunt, corporum mundanorum coordinationes explicat, deinde refractionum & parallaxium naturam perſcrutatur. His Prolegomena abſolvuntur. *Liber I* de ſtellis fixis agit, *II* de Sole, *III* de Luna, *IV* de Saturno, *V* de Jove, *VI* de Marte, *VII* de Venere, *VIII* de Mercurio, *IX* de Satellitibus Jovis & Saturni. Quæ ſingulis *Libris*, quove ordine, tractentur, ut Lectoribus copioſe indicemus, neceſſarium nobis non videtur, cum non poſſint non in ejusmodi Syſtemate multa notiſſima obvenire. Igitur Operis ſpecimina ſelegiſſe quædam ſufficiet, hoc tamen adhuc monito, pleraque exemplis aut veris, aut ſuppoſitis, dilucide explicata eſſe, ut non poſſit huic libro ille exemplorum defectus objici, qui egregiorum alias *Elementorum Aſtronomicorum Davidis Gregorii* uſum aliquatenus vel imminuit, vel incommodum reddit.

Refractionum inveniendarum duas methodos Autor tradit. Altera ſideris, cujus elevatio ſupra horizontem quadrante inveſtigata eſt, veram altitudinem ex data ejus declinatione, elevatione poli, prætereaque tempore horologio accurato menſurato, determinat, differentia inter utramque altitudinem, refractionem indicante, altera refractiones duabus diverſis altitudinibus debitas poſtulat, indeque erutam ſuperficiei refractivæ ſupra terram altitudinem, quam, ponendo, radium refractum in recta linea poſt refractionem ad oculum progredi, 2000 hexapedarum determinat, multo anguſtioribus limitibus circumſcriptam, quam tota athmosphæra.

Motum fixarum in longitudinem determinaturus Autor, ſuas obſervationes cum antiquiſſimis, quarum exſtat memoria, comparat. Spica Virginis *Hipparcho* obſervata eſt in 24° ♍ & Cor Leonis in 29° 50′ ♋. Noſter reperit anni 1738 initio primæ longitudinem in 20° 11′ 45″ ♎, & altero in 26° 11′ 40″ ♌. Annis ergo 1866 in illa variatio longitudinis 26° 11′ 45″, in hac 26° 21′ 40″, habetur, unde prior dat motum longitudinis annum 50″ 32‴, altera 50″ 50‴. Similiter cum oculo Tauri, *Aldebaran* dicto, & Corde Scorpionis, procedit,

Digitized by Google

cedit, de quibus *Ptolemæi* obſervata adhuc exſtant, deinde ad *Albategnii* atque *Tychonis* obſervationes progreditur, mediumque inter diverſas, quæ ex ſingulis his oriuntur, determinationes ſumendo, ex obſervationibus *Hipparchi*, *Ptolemæi*, & *Albategnii*, infert motum longitudinis annuum 51″ 31‴, ſed 50″ 20‴ ex *Tychonicis* atque *Copernicæis*, & 50″ ex obſervationibus, ſub initium Academiæ Scientiarum inſtitutis. In Tabulis vero ſuis eo utitur, qui ex antiquiſſimis obſervationibus oritur, ſcilicet 1° in 70 annis, cum variatio, in poſitione fixarum diverſis anni temporibus notata, impedimento eſſe potuerit, quo minus verus earum locus ſatis accurate definiretur. Ut de magnitudine fixarum aliquid definiret, Jovem planetam ſelegit, cujus dimenſiones poſt ſolis lunæque exactiſſime præ reliquis aſtris notæ ſunt, eique Sirium comparavit. Lumen fixæ diminuit vitrum objectivum teleſcopii 34 pedum ita tegendo, ut non niſi ſesquidigiti diametro apertura relinqueretur, qua arte Sirium ſatis bene terminatum, radiisque, quos alias vibrare ſolet, privatum, conſpexit. Ad Jovem idem teleſcopium direxit, &, diverſis vicibus comparatione inſtituta, diametrum ejus decies majorem Sirii diametro judicavit. Exiſtente ergo tum Jovis diametro 50″, Sirii 5″, reperitur. Quodſi ergo Sirius eadem ſaltem, qua Saturnus, diſtantia, hoc eſt, 100000 diametris Telluris, a nobis remotus ſtatuatur, plus quam duabus vicibus majorem diametrum tellure habebit, minorem adhuc, quam in quocunque cœleſtium Syſtemate, aſſignari ipſi queat. Ceterum, variationes, Pariſiis in locis fixarum obſervatas, tam parvas eſſe, narrat, ut magis ad aberrationem lucis *Bradlejanam*, quam ad annuam, quam vocant, parallaxin, referendæ videantur.

Sub *Libri ſecundi* initium ample de maculis ſolaribus tractat. Phyſicorum de illis varias hypotheſes recenſet, cui ipſe addictus ſit, non declarat, quod & alibi, ubi de natura cœleſtium conjecturæ exſtant, facere ipſum notamus. Quæ, Geometria opitulante, de loco motuque macularum, revolutione Solis circa axem, & ſimilibus, cognoſci poſſunt, dilucide perſequitur. His abſolutis, obliquitas Eclipticæ eum occupat, quam noſtro

ævo 23° 28′ 20″ invenit. Deinde potiſſimas, quæ ſuperſunt, obliquitatis eclipticæ obſervationes ſequenti Tabula repræſentat:

Obſervatores.	Tempora.	Obliquitas.	Suppoſita variat. annua.
Eratoſthenes	ann. 230 ante C. N.	23° 51′ 20″	23° 51′ 20″
Hipparchus	140 ——	— 51 20	— 50 17
Ptolemæus	140 poſt C. N.	— 51 10	— 47, 0
Pappus	390	— 30, 0	— 44, 7
Albategnius	880	— 35, 0	— 38, 21
Arzachel	1070	— 34, 0	— 36, 8
Prophatius	1300	— 32, 0	— 33, 27
Regiomontanus	1460	— 30, 0	— 31, 35
Copernicus	1500	— 28, 24	— 31, 7,
Waltherus	1500	— 29, 16	— 31, 7,
Dantes	1570	— 29, 55	— 30, 18
Tycho	1570	— 31, 30	— 30, 18
Gaſſendus	1600	— 31, 0	— 29, 57
Caſſinus	1656	— 29, 2	— 29, 19,
Richerius	1672	— 28, 54	— 29, 6
Obſervatores Pariſienſes.	1738	— 28, 20	— 28, 20,

Columna dextima conſtructa eſt ſumendo inclinationem 23° 28′ 20″ pro anno 1738, & ponendo, eam imminui 1′ 10″ annis 100, ut colligitur, ſi *Eratoſthenis* tempore fuerit 23° 51′ 20″. Hinc igitur, cum non ſatis inclinationes, calculo repertæ, cum obſervatis conſpirent, dubitare licet, num re vera uniformis aliqua contingat variatio, an potius, quas animadvertimus, differentiæ obſervationibus antiquorum non ſatis accuratis debeantur. Præterea poſſent etiam variationes hæ motui alicui in axe terræ attribui, qui, in circulum quaſi rediens, reſtitueretur. *Copernicus* enim conjecit, limitem maximæ inclinationis eſſe 23° 51′ 20″, & minimæ 23° 28′, quod motu aliquo librationis in axe telluris explicare conatus eſt.

Quæ de Apogei Solis motu tradit, ſimiliter notari merentur. Mirum enim in modum diſcrepant inter ſe numeri, quibus apogei motus definitur, conferendo locum ejus obſervatum

tum 1738 in 8° 19′ 8″ ♑ cum obſervatis antiquorum. Tunc enim motus apogei annuus ex obſervatione *Hipparchi* fieret 1′, 3″, *Ptolomæi* 1′ 14″, *Albategnii* 1′ 7½″, *Arzachelis* 1′ 51 1/2″, *Copernici* 0′ 25″, *Tychonis* 1′ 7″, *Kepleri* 1′ 6½″, *Riccioli* 0° 34″. Quibus penſitatis, Aſtronomi quidam in eam cogitationem devenerunt, orbem telluris ſemper ad idem cœli punctum dirigi, *lineæque*, per Aphelium ejus ac Perihelium ductæ, motum, perinde ac ſtellarum fixarum variabilem poſitum, ex præceſſione æquinoctiorum, aut poli telluris circa eclipticæ polum motu, naſci. Pro anno ſolari definiendo rurſus æquinoctiorum obſervationes Græcorum atque Arabum, *Waltheri*, *Copernici*, *Tychonis*, reliquorumque, excutit, nec non, quomodo Solſtitiorum ope, aliisque methodis, idem inveniri queat, oſtendit. Lunæ atmoſphæram noſtræ ſimilem negat, quia facies ejus non ita varietur, ut videtur variari debere, ſi pro diverſa quantitate ſituque vaporum aliter aliterque lucis radii *inde ad nos reflecterentur*, neque aſtra alia a *luna tecta mutationem* aliquam *figuræ*, aut *coloris*, *patiantur*. *In Saturno* ſub finem Martii anni 1719, quo tempore annulus videri deſierat, teleſcopium 114 pedum monſtravit tres faſcias obſcuras, rectilineas parallelas, media debilior reliquis, umbra erat annuli in corpus planetæ projecta, reliquæ diſtinctius apparebant, & meridionalis latior erat ſeptentrionali. Inde colligitur, eas eſſe circulares, & in planis annuli plano parallelis. *Menſe* Auguſto A. 1696 viſæ ſunt duæ faſciæ ſimiles fere, circumferentiæ annuli exteriori meridionali exacte parallelæ, paululumque incurvatæ, ita ut convexitas anteriora annuli in figura tum deſcripta reſpiceret. Ellipſis autem, quam tunc annuli apparentia repræſentabat, conjugatum axem habebat paulo minorem, quam dimidium tranſverſi, oculusque ſupra planum annuli gradibus circiter 26 elevabatur. Hæ igitur faſciæ, ſi cohærentes fuiſſent globo Saturni, apparere debuiſſent forma ellipſium, ellipſi, quam annulus exhibebat, ſimilium, ſed obſervatio paululum ſaltim incurvatas eas oſtendit, uti appareret ellipſis ejusdem fere cum annulo majoris diametri. Similiter in aliis faſciarum obſervationibus nunquam ea curvatura in illis animadverſa eſt, quæ oculi ſupra annuli

planum elevationi reſponderet. Unde conficitur, non corpori Saturni has faſcias cohærere, ſed ingentem diſtantiam inter eas & globum ipſum interjacere, ut non niſi pars peripheriæ ipſarum in diſco planetæ appareat, ex regulis opticis multo minus curva, quam foret ellipſis ſimilis, globo cohærens. Reliquum faſciarum, cum per teleſcopia conſpici non poſſit, neceſſario materia conſtare debet, luci reflectendæ parum idonea. Comparari ergo queunt cum nubibus telluris noſtræ, intercipientibus lucem, non reflectentibus. Præterea, cum curvedinem habeant exteriori annuli circumferentiæ ſimilem, fere eandem a centro Saturni habere debent diſtantiam. Proinde, ſi nubes ſunt in atmoſphæra pendentes, conſequens eſt, ut atmoſphæra hæc Saturnum complectatur. De ipſo vero Saturni annulo hæc habet: Ex luce ejus, non debiliori multum luce ipſius Saturni, recte inferri, eſſe eum corpus ſolidum, lucem reflectens, exiguæ craſſitudinis reſpectu reliquarum dimenſionum, poſſeque haberi pro congerie Satellitum, fere in eodem plano circa planetam revolventium. Huic hypotheſi obſtare videtur, quod Satellites hi, ſecundum leges *Keplerianas* circa primarium revoluti, non ſemper annuli figuram ſint exhibituri, ſed, ut in reliquis planetis obſervamus ſæpe, vel omnes, vel maximam partem ad unum primarii ſui latus exſtituri. Ea vero difficultas remota jam eſt in Monumentis Academiæ Anni 1715, ponendo plures Satellitum circulos, tot ſcilicet, quot ad latitudinem annuli efficiendam requiruntur. Tum enim cujusvis circuli Satellites, æqualiter a centro diſtantes, eodem tempore revolutiones ſuas abſolvent, &, licet alius circuli tempus periodicum non idem ſit, tamen, ſimilibus ejus partibus in ſimilium locum ſuccedentibus, annuli phænomena non mutabuntur. Præterea, ſi & hoc ſupponere non velimus, dici poterit, eos, atmoſphæræ Saturni incluſos, ab eo in gyrum rapi, non obſervatis legibus *Keplerianis*, quæ de corporibus extra atmoſphæram planetæ exiſtentibus tantum valent.

Veneris motum circa axem ex maculæ alicujus revolutione definivit *Caſſinus*, ſenior, 23 circiter horarum. Ea de re litem ipſi movit *Blanchinus*, Venereis obſervationibus celebris.

Patris

Patris defenſionem ſuſcepturus Autor noſter, nihil habet, quod veritati atque exactitudini obſervationum *Blanchiniarum* objiciat, ſed, inferri ex illis, credit, quæ non neceſſario conſequantur. A. 1726 die 26 Febr. teleſcopio *Campaniano* 88 palmorum viſæ ſunt *Blanchino* cum multis aliis Romæ tres maculæ in diſco Veneris h. 5, 45′, & tribus horis poſt rurſus tres prioribus ſimiles, ſimiliterque in diſco Veneris poſitæ. Has cum pro iisdem habeat *Blanchinus*, colligit, non potuiſſe interea Venerem plus quam octava ſui parte circa axem revolutam eſſe, niſi ſitu macularum noſtri reſpectu notabiliter variato. Sed interrupta fuit tum temporis obſervatio, Palatio Barberino Venerem obſervatoribus occultante, ut non niſi tribus horis poſt, ſcilicet $8^h\,40'$, conſpici rurſus potuerit. Intermedio tempore qui motus macularum fuerit, conſpici non potuit. Fieri itaque potuiſſe exiſtimat, ut macula una, per revolutionem conſpectui noſtro ſubducta, quæ media ante ex tribus erat, proxime acceſſerit ad circulum, *hemiſphærium planetæ nobis conſpicuum ab altero inconſpicuo dirimentem*, hujus in locum devoluta ſit ea, quæ ante prima erat, eique ſucceſſerit alia, ante non conſpecta, præterea ex opticis rationibus una eademque macula in alio loco hemiſphærii nobis obverſi conſpecta, aliam aliamque figuram induere potuit; igitur ex tribus maculis, quas altera vice *Blanchinus* vidit, duas ſaltem prius ipſi fuiſſe viſas, tertiam de novo acceſſiſſe. Hoc modo igitur ei obſervationi, quæ præ reliquis Parentis ſententiæ obſtare videbatur, occurrit, ceteris idem fieri poſſe affirmat. Equidem directio motus Veneris alia etiam *Blanchino* reperta eſt, a Septentrione verſus meridiem ſcilicet, oppoſita plane *Caſſinianæ*. Sed, hæc apte inter ſe cohærere, oſtendit. Nam die 20 April. A. 1667 Venus exiſtebat in $14°$ ♍, diſtans ſaltem $2^s\,6°$ a Polo boreali revolutionis ſuæ, qui a *Blanchino* in $10°$ ♐ ſtatuitur, unde conficitur, polum illum fuiſſe in parte obſcura Veneris nobis tum obverſa; ſed d. 9 Febr. A. 1726 Venus in $17°$ ♋ diſtabat $7^s\,3°$ a Polo boreali, qui tunc in parte planetæ Soli expoſita, a nobisque averſa, reperiebatur, ut non potuerit non motus macularum, Aprili A. 1667 apparens, a meridie ſeptentrionem

verſus in parte Veneris telluri tunc obverſa, contrarius plane *Blanchino* apparere. Præterea, ipſa *Blanchini* obſervata cum revolutione, quam Parens poſuerat, conſpirare, oſtendit. Nam macula, quæ in obſervatione d. 14 Febr. A. 1726 erat prope marginem borealem Veneris, ſequentibus diebus verſus meridiem proceſſit, in diſcoque planetæ a 14 ad 20 Febr. apparuit, qua die medium tranſierat, & ad cornu meridionale appropinquabat. *Blanchinus* ergo, ex motu fere 90°, in 6 diebus facto, motum diei unius fere 15° infert. Jam, ſi macula 23^h fere revolvatur, ſequitur, ut ſpatio 24^h percurrat globum integrum, & præterea fere 15° a meridie verſus ſeptentrionem, adeoque ſex diebus integris ſex revolutiones, & præterea 90°, abſolvat, quibus pro apparentiarum conditione a ſeptentrione verſus meridiem progredi viſa eſt. Quodſi ergo maculæ, quæ in Venere d. 9 Febr. apparuerant, eundem in locum, ubi primo animadverſæ fuerunt, reverſæ ſint die 5 Mart. poſt 24 dies 8 hor. ſequitur, ut intra hoc temporis ſpatium contigerint revolutiones 25 integræ, unde quantitas revolutionis unius prodit 23^h 22′, parum a *Caſſiniana* differens. Deinde P. *Brigæ*, ex Soc. Jeſu, Profeſſoris Mathematum Florentini, objectiones, Patris hypotheſi factas, quas *Blanchinus* libro ſuo inſeruerat, refellit. His, quæ de Venere habet Autor, unicum adhuc addemus, non eam felicitatem Aſtronomis Pariſienſibus contigiſſe, ut maculas in Venere conſpexerint. Nam *Blanchini* laboribus excitati, adhibuerunt vitrum 114 pedum in foco, ex optimis, quæ *Hartſœkerus* elaboraverat, præterea & *Campanianum* 120 palmorum, hoc eſt, 82 pedum, *Blanchino* ipſi poſt tentamen inſtitutum probatum. Nullæ vero maculæ A. 1729 temporibus maxime faventibus reperiri potuerunt, nec ſenior *Caſſinus* vel maximis teleſcopiis quas in Italia viderat, maculas in Gallia reperire potuerit, forte quod cœlum hic non ſatis ſerenum ſit.

Satellites Jovis, cum eadem fere luce, ac primarius ſuus, radient, ſæpius evaneſcunt viſui noſtro, quando intra nos & Jovem tranſeunt. Interdum tamen eo loco, ubi conſpici deberent, macula obſcura apparet, minor umbra ipſorum, ex quo efficitur,

Digitized by Google

efficitur, ineſſe illis maculas obſcuras, non viſibiles, niſi hoc modo, cum in alio Satellitum poſitu apparentem ſaltem eorum magnitudinem imminuant Nam & aliquando umbræ Satellitum in diſco Jovis majores multo ſatellitibus ipſis apparent, dum ſcilicet lucidam ſaltem Satellitis partem videmus, obſcura nihilo minus cum ea conjunctim umbram projiciente. Hos vero Satellites circa axem ſuum revolvi, rationes aliquot confirmant. Sæpius enim maculæ illorum non apparent in linea, per eos ad terram ducta, ſæpius plane non videntur. Unus idemque Satelles in eadem a diſco Jovis diſtantia diverſæ magnitudinis apparet. Quartus Satelles interdum reliquis minor, interdum primis duobus major, videtur, umbraque ejus in Jovem projecta major ſemper eſt umbris horum duorum. Rurſus tertius Satelles interdum reliquis omnibus major, interdum primis duobus æqualis, apparet. Denique non eodem tempore idem ſatelles ſemper diſcum Jovis tranſit ita, ut interdum 10′, interdum 6′, inter ingreſſum egreſſumque interſint, quod explicari poterit, *ponendo*, nos pro Satellite integro partem ejus lucidam accipere. Eadem quidem phænomena provenire poſſent a variationibus, in maculis Satellitum ipſis contingentibus, ut videmus, tales in Jovis maculis contingere, ſed motum localem in Aſtronomia præferendum cenſet Autor generationi & corruptioni, ſi utroque idem phænomenon æque convenienter intelligi poſſit. Simile quid de quinto Saturni Satellite conjicitur, qui ſæpius tertio major apparet, interdum vero minus minusque lucidus exiſtit, viſuique tandem ſe omnino ſubducit.

Hæc decerpenda ex toto Opere duximus, quod & facile extra libri contextum intelligi poſſint, & amœnitate ſua ſe commendent. Jam paucis adhuc de Tabulis dicemus, quas calculorum in notitia temporis annua Academiæ Pariſienſis fundamentum eſſe, notum eſt. Utitur vero Autor hypotheſi elliptica *Keplerianâ*, negligendo *ſimplicem*, tum quod nulla ratio appareat motus *angularis* uniformis circa focum, in quo non eſt Sol, tum quod ea hypotheſi in planetis, quorum magna eſt excentricitas, non videatur cum obſervationibus conſentire. Ex obſervatio-

ſervationibus, quibus Tabulas ſuperſtruxit, inprimis illas Parentis ſui, deinde *Maraldi*, & aliorum, nominat. Reliqua, quæ formam uſumque Tabularum ſpectant, ita comparata ſunt, ut nec fructum, nec jucunditatem, habitura eſſet eorum recenſio.

DAVIDIS CORNELII DE COURCELLES, MED. Doct. Icones muſculorum Capitis, utpote faciei, aurium, oculorum, linguæ, pharyngis, oſſis hyoidis, colli, ut & eorum, qui capiti annectuntur, cum expoſitione papillarum cutanearum icone ſingulari, harumque explicatione.

Lugduni Batavorum, ex Typographia Dammeana, impenſis Autoris, 1743, 4 maj.

Plag. 10, Tabb. æn. 8.

Et deſcriptiones accuratæ, & icones elegantes, partium humani corporis fabricam egregie declarant. Quo major vero defectus iconum perfectiorum in Anatomicorum ſcriptis obſervatur, eo majore laude ii excipiendi ſunt, qui eundem ſuo ſtudio atque impenſis ſupplere annituntur. Cl. itaque Autor, qui ante aliquot annos icones muſculorum plantæ pedis expoſuerat, nunc quoque muſculos capitis ſimili & forſitan perfectiore labore delineatos, & æri inciſos, exhibuit. Inſtitutum vero hoc ipſe Autor in Præfatione his deſcribit verbis: *Abſit interea, ut, quas ſiſto, icones quid novi oſtendere dixerim; perveſtigarunt hanc plagam jam pridem Celeberrimi Anatomici, Verum egi, ut Geographus, novam Mappam delineans, cognita modo repetit, verum exactius, diſtinctius, diviſa ſiſtit, in aliorum delineationibus præterviſa ſcitu jucunda, nec minus neceſſaria, conſpectui contemplantis offert.* Icones igitur tantum, non vero amplas deſcriptiones, promiſit & exhibuit, bene facturus, ſi deſcriptiones etiam dediſſet, inprimis cum ipſe ſcribat, ſe aliorum opera cum opere naturæ comparaſſe, & *hinc* inde detecta interjeciſſe. Iconibus perpulchre delineatis brevem tantum explicationem Latinam adjecit, uberiorem vero deſcriptionem anatomico-phyſiologicam, ut Chirurgis practicis patria

triæ ſuæ ſatisfaceret, Belgico ſermone elaboravit. *Tabula I* Muſculi faciei, remotis integumentis communibus conſpicui, delineantur, quibus in ſecunda & tertia icone delineatio papillarum cutanearum, in parte cutis, ex brachio deſumta, præparatarum, additur. De his tamen dubitamus, an veræ papillæ cutaneæ ſint, cum maceratio præter cuticulam quasdam partes ex ſuperficie cutis detraxerit, & pili in papillularum ſic dictarum verticibus erumpant. *Tabula II* alios muſculos, qui, præcedentibus reclinatis & reſectis, in ſitu ſuo conſpiciuntur, & in his nonnullos oculorum, narium, & auriculæ, proponit. *Tab. III* alios circa labia, buccas, & maxillam inferiorem, poſitos muſculos, & eos, qui oculi bulbum movent, exponit. In his tribus *Tabulis* facies in recto ſitu, ad dextram, vel ſiniſtram, partem non nihil declinata, conſpicitur, *Tabula* vero *IV* caput ita inverſum ſiſtit, ut pars occipitis & baſis menti cum muſculis ibi poſitis ſimul conſpiciantur. In *Tabula V* caput oblique vertici inſiſtens oſtenditur, & muſculi, ſub lingua prioribus ſubjecti, nec non illi, qui caput movent, & primæ ac ſecundæ vertebræ adhærent, delineantur. *Tab. VI* caput, vertebris colli remotis conſpicuum, pharyngis poſteriorem partem muſculoſam, & muſculos, a proceſſu ſtyloideo deductos, exhibet. *Tabula VII* caput vertici inſiſtens, & inprimis muſculi palati mollis & uvulæ, conſpiciuntur. *Tab. VIII* tandem linguam a capite ſeparatam cum linguæ & nonnullis oſſis hyoidei muſculis exponit. Ex hoc vero, quem ſimul indicavimus, partium ſitu facile apparet, latiſſimum colli ſterno-maſtoideum, cleidomaſtoideum, coracohyoideum, ſterno-hyoideum, ſternothyreoideum, nec non palatopharyngæum, & conſtrictorem iſthmi faucium in ſitu perfecto, delineatos non eſſe, ſed tantum paſſim quodammodo indicari; id quod etiam de nonnullis muſculis, poſticæ parti calvæ annexis, & muſculis ad caput pertinentibus, anteriori parti colli vertebrarum incumbentibus, notandum eſt. Muſculi auris internæ, nec non muſculi laryngis interni, huc quoque ſpectantes, prorſus omiſſi ſunt. Illos vero, quos delineare, & in ſitu ſuo oſtendere, potuit, muſculos ſollicite præparavit, licet quædam, quæ prorſus novæ videntur, muſculorum

inſer-

inſertiones, e. g. Riſorius *Santorini*, a maſſetere deductus, eidemque firmiſſime adhærens, ad varietates potius, quam ad conſuetos naturæ modos, pertinere videantur. Nomina muſculorum utplurimum cum *Albini* nominibus, in Anatome muſculorum hominis exhibitis, conveniunt, & inſertiones, quas icones oſtendere potuerunt, ſollicite annotatæ ſunt. Optandum itaque, ut Cl. Autor, qui hactenus rem anatomicam ſuis laboribus adjuvare anniſus eſt, in poſterum quoque in his & ſimilibus laboribus ſtrenue pergat.

EXERCITATIO MEDICO-CHIRURGICA de Scirrho & Carcinomate, in qua etiam fungi & ſarcomata pertractantur, Autore JOANNE GRASHUIS, Medico Amſtelædamenſi.

Amſtelædami, apud Iſaacum Tirion, 1741, 8 maj.

Plag. 8.

Obſcuris his, neque ſatis adhuc enodatis, morbis lucem aliquam affuſurus Doctiſſ. Autor, initio ſtatim veterum recentiorumque Medicorum ſententias cognitas huc uſque & exploratas expromſit, ut brevem hic & nervoſam ſingularium horum ex Pathologia capitum hiſtoriam habeamus. Temporum itaque ſeriem, & ſcriptorum ætatem, dum utcunque obſervare allaborat, ut ſemper, quid recentior ſcriptor præ antiquiori attulerit, intelligatur, hanc ſibi ipſe legem dixit, ne quid ex antiquiori jam Autore annotatum, ex alio, apud quem idem inveniretur, denuo recenſeret, ſed tantum illa, quæ ab iis, qui anteceſſerunt, non commemorantur, exponeret. Ab hac lege quod identidem diſceſſerit, ratio hæc fuit, quod, quæ veteres tradiderunt, a recentioribus magis illuſtrantur, vel probantur, vel alium denique longeque diverſum in finem adducuntur. Aliquando tamen, quo minus ſeries veterum præcipue interrupta videretur, eorum quoque tribus, quod ajunt verbis, mentionem injecit, qui, quod peculiare eſt, nihil reliquerunt. Locos Autorum, in hunc uſum collectos, ſive integros, ſive in epitomen contractos, in ordinem quendam ſyſtematicum redegit, ut

Digitized by Google

ut hac ratione ex quovis Autore methodica quædam ſcirrhi & cancri deſcriptio exhibeatur. Eo inprimis reſpexit, ut, quæ ad ſuam de ſcirrho & cancro opinionem proxime accedunt, ſumma fide enarraret, ne quidquam cuiquam detrahere voluiſſe videretur. Plures prætermiſit plane, in quibus nihil, quod rectius eſſet meliusque traditum, quam in reliquis, invenit. Ceterum Hiſtoricum tantum egit Noſter, non Criticum, quod ab omni eorum dogmatum cenſura abſtinendum putavit. *Capite* igitur *I* veterum de ſcirrho & cancro opiniones uſque ad *Avicennam*, *Capite* autem *II* ſententias recentiorum ſcriptorum, a *Veſalio* exorſus, exponit, in quibus plurium adhuc, e. g. *Stahlii*, *Kortholti*, mentio facienda fuiſſe nobis quidem videtur. Eandem plane operam in fungo & ſarcomate collocavit, idque eam ob rationem, quod hæc cum ſcirrho & carcinomate multa habere communia putet. Eodem conſilio *Cap. IV* ſarcocelen ſimili ratione pertractat, ut hinc cognoſcatur, hunc morbum modo ad ſcirrhum ſine cancro, modo ad fungum ſine ſarcomate, referri, haud levi indicio, magnam eſſe inter hos affectus cognationem. Quin imo confirmatus hinc ipſe potiſſimum fuit in ea, quæ ipſi ſuborta erat ab aliquo tempore, ſuſpicione, morbos hos eſſe non congeneres tantum, ſed, a levioribus quibusdam differentiis ſi receſſeris, perfecte eosdem. Quod ut magis pateat, *Capite V* ad ſuas ipſius ſententias clare ediſſerendas progreſſus, affectuum horum, ſcirrhi ſcilicet & cancri pariter atque ſarcomatis & fungi, inter ſe phænomena comparat, eorumque ſimilitudinem ex apparitionibus externis, definitione morbi utriusque, ſignis diagnoſticis, cauſis, effectibus, & ſymptomatibus, prognoſi in utrisque communi, & ſimilibus demum curationis indicationibus, oſtendit, aliqua vero ſimul diſcriminis momenta ad examen revocat, & diſſolvit. *Sexto Capite* veram ſarcomatis & fungi ſedem indagare conatus eſt, ut ex his detectis ſcirrhi quoque & cancri natura, eorumque vera ſedes, erui poſſet. Fungus ſcilicet & ſarcoma ex membrana celluloſa, pinguedinis ſede, quæ ubique & inter omnes corporis partes adeſt, variæ licet craſſitiei, ſuasque habet arterias & venas, per eandem reptantes, diſtenta,

disrupta, & degenerante, naſcuntur, quod unctuoſa & lubrica materies, fungo adhærens, ejusdem laxitas & fragilitas, incrementum ſubitaneum, ipſa ocularis inſpectio, comprobant, neque fungi color ruber contrarium indicat. Sanies venenata ex cruda & corrupta pinguedine, ut facilis fit oleorum & pinguedinis corruptela, hominum vero fungo vel ſarcomate correptorum emaciatio & contabeſcentia, ex colliquatione materiæ pinguis. Neque minus conſtitutam hypotheſin corroborant fungorum indoles, omnis doloris expers, vicinarum partium ſimiles affectiones, hæmorrhagiæ frequentiſſimæ, medicamenta nocentia, vel juvantia, cauſæ remotæ, vel antecedentes, & facilis fungorum regeneratio. Fungus vel tumor albus articulorum fit, glandulis mucilaginoſis articulorum male affectis. Orta enim iis in glandulis inflammatione, ſive alio quocunque tumore, vel oſſis leviori facta ſubluxatione, moleſtiſſimæ neceſſario compreſſioni, attritui, & contuſioni, pro ratione ſui ſitus exponuntur, hincque eædem mutationes in tunica celluloſa glandularum vaſis intertexta, eaque jungente, orientur, quam alibi in glandulis ex cauſis ſimilibus, hincque ſarcoma, fungus, ſcirrhus, cancer, quocunque nomine vocetur, emerget. Quæ vero de fungo & ſarcomate huc uſque ediſſeruit, ea ſcirrho quoque & carcinomati convenire, ob inſignem horum inter ſe morborum analogiam, *Cap. VII* oſtendit. Scirrhi autem nomine intelligitur Noſtro tumor durus, ſolidus, glanduloſus, a parvo principio lente increſcens, difficulter reſolubilis, ſua natura facile in cancrum degenerans, quæ ſingula momenta fuſius poſthæc explicantur. Cum vero omnis cancer oriatur ex ſcirrho; ſcirrhi definitio cancro etiam congruit, modo incrementum tumoris, doloris ſenſus major minorve, intima corruptio, rupturam minitans malignam inſanabilem, vel ipſa ruptura, reliquis characteribus adjiciatur. Hinc ſcirrhi & cancri ſedem itidem in membrana celluloſa collocat, idque ex difficili ſcirrhi reſolutione, lento ejus incremento, doloris abſentia, ac diuturna ejus in eodem ſtatu perſeverantia, probat. Quod ſupereſt, docte ſolerterque ſingula explanat, &, quod experientia, quod ratio, ſuggerit, probe in uſum ſuum convertit.

Utinam

Utinam ex his ipſis, quæ de natura & genio tam difficilium morborum exponit, aliqua eos, ſi non exſtirpandi penitus, ſaltem leniendi & mitigandi, ratio erueretur!

STATUS MILITIÆ GERMANORUM PRINCIPALIS & acceſſoriæ veteris & medii ævi, quem ad illuſtrationem Juris publici & feudalis Germanici ex veterum monumentis enucleavit, uſuque practico firmavit, BERNH. CLEM. METTING.

Altonaviï, typis Henrici Chriſtiani Hüllen & Hæredum, 1742, 4.

Alph. 3 plag. 13.

Partes hujus argumenti nonnullas paſſim novimus tractatas fuiſſe. Nemo autem exſtitit eruditorum, & antiquitati Germanicæ amicorum, qui ex profeſſo illud ſuſceperit ediſſerendum, ornandum, uſuque practico condecorandum. Reſervata fuit hæc gloria, quam ei gratulamur pro eo ac debemus, Conſultiſſimo Autori, qui hoc altum ingredi haud recuſavit, alga fucoque impeditum. *Elium Ryxnerum*, *Erneſtum Brotuffium*, aliosque de re torneamentaria ſcriptores, neglexit merito, ſiquidem in eis ante Seculum XIII multi fictionum nævi tam alte inſederunt, ut præſtet, eos penitus faſtidire, quam quisquiliis eorum refellendis immorari. Prolegomena Autor tractationi præmiſit, in quibus de voce *militiæ*, de diviſione militiæ, ex jure & facto repetita, de juribus militiæ principalis generalibus, de duplici militum principalium ordine, nobilibus & ingenuis, de juribus militiæ acceſſoriæ generalibus, de jure Nobilium qua militum imperii acceſſoriorum, de jure Nobilium, qui aliis Nobilibus facti ſunt acceſſorii, dicti *Mittelfreye*, de jure Nobilium, qui Clericis facti ſunt acceſſorii, de jure Nobilium acceſſoriorum, ſive medioximorum, de juribus ingenuorum, qui facti fuerunt acceſſorii, & de ordine tractandorum, expoſuit. Diſſeruit vero in *Sectione prima* de militia Germanorum, qualis illa exſtitit tempore ineuntis Monarchiæ Ro-

manæ. In *Sectione ſecunda* ætatem Merovingicam militarem
Pag. 59. contemplatur. In *Sectione tertia* ad ætatem Carolingicam procedit. *Sectione quarta* de militia Germanorum Seculorum XI & XII differit. *Quinta* militiæ Germanorum uſque ad inter-
289. regnum eſt dicata. *Sexta* exponit ſtatum militiæ Germanorum inde uſque ad annum 1460. Appendix, hiſce ſubjecta, pri-
597. mordia recentioris militiæ repræſentat. In calce exhibetur Hendecas problematum, in ipſis rerum argumentis occurrentium,
637. ex ſtatu veteris militiæ decidendorum. Quærit enim Autor, an ordinum imperii huic vel illi liceat eſſe neutrarum partium in bellis imperii; an bella privata mutua Ordinibus Imperii ſint
640. interdicta; an inter Nobiles in diviſionibus liberorum æqualitas, an inæqualitas, jurium vigeat; an regimen inter miniſteriales & municipes, diviſioni exemtos, conſtituat ſolitarium regimen totius territorii gentilitii, & dependentiam portionum
648. fraternarum inducat; an dominus territorii jure prohibeat, ne ſubditi ſub domino extraneo mereant, vel faciant ſtipendia; an Miniſteriales ſuo domino contra Imperium debeant opem ferre armatam; an ex declaratione ſufficientiæ armorum, an ex annis Latii, dependeat ſuſcipiendi regiminis ratio in Nobili
652. adulto; an de allodio vulgari in dubio ſervitia equeſtria ſint præſtanda; an ii, qui militiæ ſunt capaces, jure civitatis tam in imperio Germanico, quam in ſpecialibus rebus publicis, gau-
657. deant; an ſequela militaris, quam noſtri vocant *Landfolge*, in locum acceſſoriæ militiæ veteris fuerit ſurrogata. Hic negando reſpondet. Pergit quærere, an viri militares & municipes a Domino territoriali tam ad regimen territorii univerſi, quam ad regalia, quæ vocant, minora, admittendi ſint, & quo jure teneant prædia, ob militiam ſibi a dominis conceſſa, atque
660. quo jure immunitatem a tributis, ſive adæratione ſervitiorum equeſtrium, queant tueri. Subſcribit in hujus quæſtionis reſolutione Conſ. Autor Ill. *Joanni Petro de Ludewig*, & Cel. *Strubenium* relinquit, ſecus ſentientem. Sed a meta ad carceres. In *Sectione prima* Autor de univerſali civium militia, de militia equeſtri & pedeſtri, de prærogativa Nobilium in comitiis ac in poſſidendo territorium majus, nec non in capeſſendis rei-

publicæ

Digitized by Google

publicæ muniis, differit. Adjungit præterea doctrinas de prærogativa Nobilium ratione liberioris & excellentioris dominatus in proprium territorium, de prærogativa Nobilium in militia equeſtri, *in libertate aſſumendi miniſteriales*, de modo deveniendi *in militiam* equeſtri, de militia civium ſolorum, & de militia conductitia. Ut ſingula capita Cel. Autor curate perſequatur, continuō *Tacitum*, *Cæſarem*, *Diodorum Siculum*, *Strabonem*, & quicquid ducum viæ nanciſci potuit, ob oculos collocavit. Notat ſtatim ab initio, crimina apud Germanos militaria exſtitiſſe nonnunquam hæc potiſſimum, transfugii, deſertionis, & ſubtractionis. Diſtinguit cum *Tacito ſcelus* & *flagitium*. Illud enim cum damno alterius erat conjunctum; hoc haud æque. Agros a Germanis fuiſſe per integras familias diviſos, eosque quotannis per vices in alias tranſiiſſe, comprobat ex locis collatis *Taciti Ann. II, 13, de M. G. 26*, & *Cæſaris B. G. IV, 1*. Maritum in uxorem ac ſervos tenuiſſe jus vitæ necisque, oſtendit. Nobiles *militiæ equeſtri*, ingenuos pedeſtri, *operam dediſſe*, monet. Ordo uterque fuit hæreditarius. Nobilitatem alii inſignem, alii quoque regiam ſtirpem, jactarunt. Principes dicti etiam Nobiles, qui veſtitu, nomine, prærogativa, in comitiis alibique viguerunt. Agros, quos *Tacitus ſecundum dignationem* partitos eſſe tradidit, Autor egregie illuſtrat, Nobilibusque portiones majores fuiſſe attributas, evincit, ac, *Cæſarem* ſibi haud reclamare, oſtendit. Magiſtratus, per pagos jus reddentes, ex Nobilibus deſumtos eſſe, contra *Grotium* monet. Miniſteriales, quos adſciſcendi jus fuit Nobilibus, olim dicti fuerunt familiares, clientes, comites, ambacti, famuli. Ambactum quaſi *angebakten*, *adglutinatum*, fuiſſe dictum, ſuſpicatur Autor. Scuta equitum proprio & inſigni colore fuiſſe notata, ex *Diodori Siculi Lib. V pag. 307*, & *Tacito de M. G. Cap. 6, 7*, oſtendit. De Celtarum famulis, equum alium equiti adducentibus, locum *Pauſaniæ* laudat. Milite conductitio Germanos caruiſſe, monſtrat Autor, addens, miniſteriales victum, non feuda, accepiſſe. Liceat addere, feuda demum ab Imperatoribus Seculo IV fuiſſe conceſſa, eamque eſſe feudorum originem, teſte *Jornande*. Subſtitiſſe morem militandi

Pag. 33. 56. 11. 13. 26. 31. 42. 45.

tandi veterem tempore Merovingidarum, Autor demonſtrat.
Pag. 75. Adjungit idem, Regibus venationes & foreſta ceſſiſſe ita, ut multa manſerint foreſta communis juris. Feuda nunc uſu trita.
94. Miniſteriales omnes equis adhibitos fuiſſe, negat. *Plebem* tunc inferiorem militum ordinem eſſe appellatam, it comprobatum.
101. Servos adhuc ad ruſticana ſervitia affixos, & ab omni militia excluſos fuiſſe, monet. Reges & Nobiles cœpiſſe militibus con-
123. ductitiis uti, fatetur. Sub Carolingidis easdem Nobilium perſtitiſſe prærogativas, affirmat, evincens, eis multa adhuc foreſta, venationibus apta, fuiſſe communia, poſſeſſionesque ingenuorum apud Saxones fuiſſe imminutas, *tertio* quoque paſſim translato in Franciam, qui ſacramentum fidelitatis fregerat. Officia reipublicæ potiora, Scabinatus in pagorum judiciis, majores dignitates eccleſiaſticæ, advocatiæ Eccleſiarum, &c. Nobilibus reſervata. Comites, a *Carolo M.* Saxonibus im-
131. poſitos, fuiſſe nobiliſſimos Saxones, patet ex *Fragmento Annalium*, Chronico quod *Nibelungi* ſubjectum, ad A. 782, & Autore Vitæ *Ludovici Pii pag. 364.* Nobiles dicti ſunt *Meliores.* Eorum alii tenuerunt allodia, alii vero *vaſalli* Regum eſſe ma-
135. luerunt, ut Regibus eſſent cariores. Horum fuit, clypeum inſtar ſigni fidelitatis Regi præferre, ac alia miniſteria expedire.
143. Clericis ſucceſſu temporis nobilitas perſonalis accrevit. Nobiles autem Laici tenuerunt territoria, quibus appellatio *dominationum* adhæſit. Sub Carolingidis jam miniſteriales in militia equeſtri Nobilibus additi fuerunt. Nobilibus feuda indulta ſunt copioſiora, ut hi numerum miniſterialium ſuorum amplificare poſſent. Miniſteriales hi dicti fuerunt *famuli*, *knapen*,
150. ac potiores eorum potuerunt etiam cingulum merere. Ex ingenuis multi, ut fierent miniſteriales, & equites militarent, *Ca-*
155. *rolus Calvus* juſſit. Clerici, quorum eccleſiæ ex domanio regio fundatæ, debebant militatum mittere caſatos, ſeu beneficiatos. Miniſterialium veſtes laqueis diſtinctæ, ſeu laqueatæ, fue-
161. runt, ſi ſequimur Noſtri pronuntiatum. Nobiles hac ætate *Carolingica* cingula geſtarunt, baltheis aureis & gemmeis cælaturis inſignia. Peregrini & Judæi a militia manſerunt excluſi.
166. Liberos eos tunc quoque appellatos eſſe, qui alias Nobiles dicebantur,

cebantur, invito *Strubenio* contendit. Liti, nisi prius a dominis propriis libertatem obtinuissent, ad munia ecclesiastica adhiberi haud potuerunt. Ministeriales a Regibus & Nobilibus instructi sunt *novi*, qui dicti sunt *in casam dimissi, casati, inbeneficiati*, species militiæ conductitiæ & tributaria. Ministerialium dignitas cum vita ipsorum exspiravit. Hi exstiterunt ministeriales rustici, cœpitque hoc tempore observari discrimen inter ministeriales aulæ, belli, & ruris colendi. Vasalli dominici, qui intra casam Regis serviebant, habebant suos æque casatos vasallos, ac ecclesiæ & Reges ipsi. Existebant hoc ævo vasalli etiam, qui præter victum & arma haud receperant feuda. *Henricus Auceps* statuit, ut fratrum natu maximus exuvias patris, *Heregewede*, sibi vindicaret, quæ olim inter familiam omnem masculam & agnatos fuerat divisa. Militibus adhuc licuit libere de societatibus domesticis statuere, & privatim bellare. Libertatem posteriorem restrinxit *Conradus II* æque ac *Henricus III.* A. 1075 *Treuga Dei* in Diœcesi Leodiensi fuit recepta. *Foresta* pleraque Seculis X & XI Clericis *fuerunt tradita*, vel donata. Bona Domanica in donationes Clericis indultas exhausta, atque feuda exstiterunt Ducum, Comitum, ac reliquorum regni procerum. Nobiles adhuc in comitia regni venerunt, ac prædia sua auxerunt mirum in modum. In certaminibus singularibus paritas natalitii honoris in censum venit. Nobilitatis proprium adhuc exstitit, vexillis suis uti, licet Episcopi & Abbates eum morem sequerentur, dum ministeriales sub propriis signis educebant. Cingulo Nobiles meliori & ornatiori usi sunt, quam ingenui. Ludi, quos *Henricus Auceps* instituit militares, a torneamentis sunt distinguendi. Quantum ad Seculi X & XI militiam conductitiam attinet, sic differit Noster: *Respublica hoc ævo per intermedios milites Nobiles milite conductitio uti cœpit, cui non solum hoc stipendii beneficia, sive feuda, assignata, verum & ipsa hæreditaria facta sunt, unde illud novum militum genus, improprie quidem, sed ob necessitatem, eos a militibus Nobilium ex allodio sustentatis distinguendi, militum reipublicæ appellatorum ortum traxit. Nobilium autem milites conductitii, sive ministeriales, nec qui-*

Pag. 170. 171. 181. 212. 248. 260. 283. 286.

ne quidem omnes beneficia, quæ simul tributum pependere, a suis dominis acceperunt, multo minus horum beneficia omnia facta sunt hæreditaria. Nam & nummaria conductio fuit usitata. Seculo XII Nobiles liberæ conditionis, vulgo *Sendbare*, distincti sunt a ministerialibus, ac *Principes* dicti. Ipsi adhuc, cum populus comitia frequentare desiisset, comitia imperii frequen-
Pag. 312. tarunt, ac electioni Imperatoris interfuere. Ipsi *Sendbare* dicti sunt ex *synodo*, id est, apti ad Synodum, seu legitime accedentes ad comitia, quæ sæpius *synodorum* nomine venerunt.
337. Ad munia Scabinorum in judiciis Scabinorum jam admissi fuere *Medioximi*, sive Nobiles ministeriales, per nexum ministerialem passi jacturam plenæ libertatis. Ducum electio desiit. *Villici* dicti, quos nunc vocamus præfectos, *Amtmænner*. Fue-
360. runt ex hisce, qui sese vocarunt *Burckgravios*. Terræ allodiales cœperunt dici Comitiæ & Comitatus. Nobiles titulo *Dei gratia* uti cœperunt. Infeudationes cœperunt distingui in eas, quæ *libere & absolute* fiebant, ac in illas, quibus nexus ministerialis & Landsassicus adhæsit. Ministerialium regni munia exstiterunt & imperio propria, & alio nexu Ducibus de-
414. vincta. Ipsi hoc ævo primum cingulo donati sunt, antea cingulo ingenuorum usi. Armigerorum triplex fuit genus, militisque vocabulum tribus significatibus fuit insigne. Torneamentis armigeri nec interfuerunt, nec concurrerunt, licet ad-
417. essent. Ministeriales quoscunque ante interregnum a Nobilibus distinctos fuisse, contendit Autor, ac Ill. *Strubenii* argu-
426. menta, in contrarium prolata, refellere conatur. Ad *Sigismundum* usque Imperatorem, & ultra, Nobiles militiæ imperii fuisse adstrictos, idem contendit. Nobiles sub finem Seculi
457. XIII *ingenuos* quoque ipsos appellatos fuisse, docet. In interregno a Nobilibus derelictum esse jus eligendi Imperatorem,
467. tradit. Barones tamen ac Nobiles comitia adhuc frequentarunt imperii A. 1356. Placita, sive Consilia, Nobilium, vulgo
471. Austregas, nondum ignoravit *Carolus IV* A. 1377. Nobiles autem ipsimi mirum in modum & opibus & prædiis & autoritate fuerunt in expeditionibus cruciatis, aliisque turbis domesticis, exuti. Feuda *nobilia* Seculo XIV admodum fuerunt nota.

Regalia

Digitized by Google

Regalia jura cœperunt ea dici, quæ majoris momenti ſunt, & vix in Nobilem vulgarem cadunt. De territorialis ſuperioritatis fundamento & indole monuit Autor nonnihil, addens, jura, quæ vocantur *Herrlichkeiten*, eſſe Nobilibus in ſuis territoriis tribuenda. *Nobiles Dominos*, oſtendit, dictos fuiſſe *Landesherren*. Vulgares miniſteriales poſt Interregnum dictos fuiſſe *Nobiles* & *Dominos*, teſtimoniis adductis tradit. Militaribus muneribus hi a militibus diverſi exſtiterunt. Ingenuis exſtinctis, Nobiles ad peditatum mittendum coacti. Judæi Seculo XIII ad militiam ſubeundam compulſi. Ruſtici cœperunt ad bella gerenda adſciſci. Plerique tamen eorum illam ob cauſam manumiſſi. Perpetuo milite conductitio gaviſi Nobiles. *Maximilianus I* tandem novum conductitii militis genus inſtituit, primo quidem ex municipibus, vel etiam ex militaribus, conſcriptum, deinde autem ex ruſticis quoque lectum. Perpetuus vero miles conductitius omni ævo fuit uſitatus. Delibavimus potiora ex volumine, quo præſtantia Nobilium & *antiquitas militiæ Germanicæ ſtudioſiſſime fuit demonſtrata.* Nobis jam non vacat in ſingula pronuntiata inquirere. Teſtimonia & argumenta traditorum ex monumentis & librorum & Diplomatum atque chartarum hic non manu, ſed ſacco, fuerunt exhibita, & liberaliſſime effuſa. Annotationibus inſunt egregia ex antiquitatibus gentis noſtræ conſulta, dogmata, & decreta. Non poſſumus facere, quin Autori doctiſſimo diligentiam adamantinam, & ipſam tractationis gloriam, pro eo ac debemus, gratulemur, ex qua notitiam plurimarum antiquitatum Germanicarum in poſterum licebit haurire.

Pag. 505. 511. 515. 569. 593. 629.

TRACTATIO JURIS PUBLICI PRUthenici, de Pruſſia nunquam & nulli tributaria, Autore SAM. FRANC. GRÜTTNER, Elbingenſi Pruſſo.

Dantiſci, apud Georgium Marcum Knoch, 1741, 4. Plag. 7.

Hiſtorica maximam partem eſt hæc tractatio, ejusque Autor Clariſſ. in ea de regionibus Boruſſorum ex primis, quantum potuit, initiis inde commentatus fuit. Poſtquam enim

de primis Pruſſiæ incolis, Venedis, Galindis, Sudinis, ac Stavanis, & de eorum republica populari, expoſuit, de Æſtiis, ſeu Gothis, qui Boruſſiam occuparunt, dicere orditur. Æſtiis ſeſe conjunxiſſe Boruſſos, (id eſt, confines Ruſſis,) hisque porro Alanos, refert. Alanum ſenem, nominatim *Waydewuthum*, eis præfuiſſe, memorat. Pruſſorum respublica prima ex ariſtocratia & democratia fuit conflata, ac in Supanos & plebejos diviſa. Poſtea Romani ex Wallachia in Pruſſiam venerunt, atque ceteris incolis aggregarunt ſeſe. Quæ cum ediſſeruiſſet Autor, negavit ac pernegavit, Pruſſos a *Boleslao I*, Poloniarum Rege, victos eſſe, tributumve Polonis pependiſſe. E contrario Pruſſi, hoc arbitro, Maſoviam vaſtarunt, eamque ſuæ ditioni ſubjecere. Eodem jure negavit, Boruſſiam a *Vladislao Jagellone* A. 1410 poſt cladem Tannenbergenſem fuiſſe ſubactam. Largitur tamen, ab illo partem occupatam fuiſſe, licet hæc, elapſo nondum ſemeſtri, ad ordinem redierit. Contendit deinceps, jus imperio Romano in Pruſſiam eſſe nullum, *Julium Cæſarem* in Pruſſiam haud veniſſe, nec eo pedem intuliſſe *Druſum Germanicum*, aut *Domitianum* Cæſarem. Duo poſteriora momenta nemo, opinamur, ætate noſtra in claſſe
Pag. 24. veritatum centebit. Negat ad hæc, *Ottonem III* Pruſſos imperio ſubmiſiſſe Germanico, vel Imperatoribus in alienas disjunctasque regiones jus fuiſſe, quas tamen aliis donare ſuſtinuerint. Veſtigia anteceſſorum ipſi creditur preſſiſſe *Fridericus II*, qui Ordini Equitum Teutonicorum Mariano Boruſſiam donaverit, de alieno liberalis. Primum Boruſſis Epiſcopum dedit *Cæleſtinus III* Papa Monachum Olivenſem Ordinis Ciſtercienſis, *Chriſtianum a Freuenwalde*, A. 1215. Quem adjuvit *Conradus*, Maſoviæ Dux, evocatis eo fine fratribus Ordinis Enſiferorum e Livonia ab *Alberto*, Rigæ Epiſcopo, & Ordinis, A. 1204 inſtituti, Magiſtro. Expeditionem hanc *Hartknochius* in dubium revocavit. Noſtro autem illa perſtat veluti
26. vera & certa, addenti tamen, *Conradum* ac Enſiferos, tractum Dobrinenſem ingreſſos, ita fuiſſe exceptos, ut fugam terrasque ſuas petiverint. *Innocentius III* tandem, ejusque ſucceſſor, *Honorius III*, expeditionem cruciatam Chriſtianis occidentalibus, Boruſſis obmovendam, demandarunt. Cum in hac nil præſidii

præſidii inveniſſent *Conradus* Dux & *Chriſtianus* Epiſcopus, legatos miſerunt ad ſupremum Ordinis Teutonici Magiſtrum, *Hermannum a Salza*, qui tandem exoratus duos Ordinis fratres, ut pacta prius convenirent, miſit. Non vacat exponere geſta fratrum Ordinis illius inter Boruſſos. E re vero fuerit, notaſſe, Magiſtro in Ordinem haud fuiſſe poteſtatem, limitibus expertem, nec Magiſtrum pro arbitratu in Boruſſos dominari potuiſſe. A. 1251 Boruſſis privilegium indulſit Magiſter, quo illi a quibuscunque vectigalibus penſitandis immunes fuerunt declarati. Civitates & Nobiles Boruſſi ſemper multis magnisque immunitatibus gaviſi fuere. Provocatum fuit in rebus controverſis politicis ad commune comitium, ſeu conſilium, Nobilitatis ac Civitatum, minime vero ad Magiſtrum vel Cruciferos ſolos. Poſt varios motus Magiſtrum inter & ordines provinciales A. 1414 & 1430 novum Boruſſiæ conſilium fuit inſtitutum. Nullum Cæſari in Boruſſiam fuiſſe jus, nullum imperium, Autor poſthæc contendit. Elapſo certe anno 1454 *Boruſſi univerſo Cruciferorum Ordini renuntiarunt*, ac ad *Polonici regni* tranſierunt caſtra, & *Caſimirus IV* Jagellonides eos, ſalvis tamen privilegiis, in fidem ſuam recepit. Addit Autor, Boruſſos peculiarem formare rempublicam, & cum Polonis præter Regem nihil commune habere. Singulare omnino eſt jus, quo cautum fuit, ut liceat Boruſſis fundos in Polonia emere & poſſidere, ac dignitates & munia adire; Polonis vero in Boruſſia idem facere haud liceat, niſi prius jura indigenatus Boruſſici magnis vel meritis, vel ſumtibus, ſibi compararint. Boruſſia a teloneis eſt libera, nec niſi Theſaurario ſuo tributa, a proceribus ac ordinibus conſtituta, penſitat. Boruſſi haud adſtricti ſunt expeditioni bellicæ univerſali. Civitates & incolæ eorum privilegiis & immunitatibus abundant. *Unione Lublinenſi* privilegia illa haud ſunt everſa A. 1569, licet per eam ſtatus prior fuerit mutatus. Privilegii id quoque memoratu eſt dignum, quod nuntii ex Boruſſia generali mandato & ex generali conventu ad comitia regni mittuntur, Nobilitasque Boruſſica ad tribunal Petricovienſe provocat, ea tamen lege, ut dijudicatio cauſæ legibus moribusque Boruſſicis conformetur. Intelleximus ex tractatione omnino, Boruſſos imperio

Pag. 28. 31. 33. 36. 40. 45. 47.

perio Romano haud penſitaſſe tributa. Id vero dilucidius demonſtratum mallemus, Boruſſos nec Ordini Teutonico, nec Regibus Polonorum, nec Ducibus ſuis, unquam tributa ſolviſſe. Ceterum inficiari haud lubet, maximam ineſſe Cl. Autori Hiſtoriæ Boruſſicæ peritiam, ſummamque in patrios Lares caritatem.

COMMENTARIUS DE MARESCHALCIS regni Poloniæ, cum duplici Mantiſſa de Mareſchalcis & Cancellariis magni Ducatus Lithuaniæ ac Sereniſſ. Reginæ, additis Figuris Sigillorum Lithuanenſium æneis, editus a GEORGIO PETRO SCHULTZ, Doctore & Profeſſore Thorunienſi.

Dantiſci, apud Georgium Marcum Knoch, 1743, 4. Plag. 11½.

Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Domino *Franciſco* Comiti *in Radzynin & Karczew Bielinski*, ſupremo Poloniarum regni Mareſchalco, elogiis juſtiſſimis digniſſimo, Commentationem hanc ſuam jure quodam inſcripſit atque conſecravit Cel. Autoris paranymphus. Nam de Mareſchalcis Polonici regni ſupremis, atque curiæ regni, tractatio ſuſcepta eſt, de viris videlicet, ſacra dignitate haud fungentibus, ſingulari cerimonia &
Pag. 5. jurejurando creari & inaugurari ſolitis. Proviſum fuit lege publica, ne Mareſchalci ſimul alii præſint muneri, quam tamen ab uſu tyranno oppugnatam fuiſſe iterum iterumque, nemo facile ignorat. Cum Autor de Cancellariis regni Poloniarum egit, varia ſuppeditavit jam momenta, quibus hic Commentarius hinc inde illuſtrari poteſt. Sedes Mareſchalco poſt Theſaurarium regni, Ducatusque, cum eo conjuncti. Succeſſionis conſuetudo non eſt fixa. Gratiæ Regis hic omnia ſunt tribuenda.
7. Præſente ſupremo Mareſchalco nulla eſt Mareſchalco curiæ poteſtas, nulla procuratio. Munia & expeditiones Mareſchalcorum regni ſpectari poſſunt vel ratione Regis vivi, vel reſpectu regni. Prioribus inſerenda ſunt ea, quæ ſequuntur. Mare-
8. ſchalci enim 1) ſcipiones, ſeu baculos, Regi præferunt; 2) pompas & cerimonias ſolennes moderantur; 3) tranquillitati in ſede regia proſpiciunt; 4) annonam curant; 5) judicium, a Mareſchal-

co

eo cognominatum, exercent; 6) judicium, quod capturale, seu criminale, vocant, electionis tempore expediunt; 7) jus habent admonendi Regem; 8) circa actiones & consilia Regis sunt providi; 9) Legatos exterorum Principum introducunt, eisque assignant *hospitia*; 10) Reges, per regnum proficiscentes, comitantur; 11) absentibus Cancellariis dant nomine Regis responsa; 12) ducum exercitus absentium vices explent; 13) in Comitiis facultatem loquendi concedunt rogati ac moderantur; 14) Constitutionibus, quas comitialis consessus habuit ratas, subscribunt manu sua, easque in tabularium Regis inferendas curant; 15) expediunt etiam nonnihil, si Rex Poloniæ ab exteris Regibus in Ordinem equestrem cooptatur; 16) Investituris regni interfunt, eisque adhibent suum munus; 17) interfunt actui, quo Rex sponte sua regno sese abdicat; 18) funguntur munere Legatorum; 19) invigilant, ut pacta conventa serventur; 20) in aulicos tenent jurisdictionem; 21) Cancellarios renuntiant; 22) Regem, extra regnum proficiscentem, secuti, administrant suum *munus*; 23) in Comitiis suo loco ferunt sententias; 24) *nomina* sua Diplomati electionis subscribunt, atque 25) signo natali, seu gentilitio, utuntur in judicio suo Marescalcensi. In interregno præterea nonnihil muniorum ab ipsis est expediendum. Ipsi enim tunc 1) corpus Regis defuncti honorifice curant; 2) continuant & conservant jurisdictionem suam; 3) omnia, quæ electioni conducunt, præparant; 4) Legatos ad audientiam introducunt; 5) Regem electum, per Primatem jam renuntiatum, proclamant; 6) solennem coronationis pompam curant; 7) ipsique sepulturam Regis præcedunt, ac baculos suos in templo frangunt, & in sepulcrum Regis defuncti, vel castrum doloris, projiciunt, accepturi a novo Rege novos, atque præterea lites, in funere ducendo ortas, sopiunt & decidunt. Quæ cum Cl. Autor percensuit, progreditur ad singularia hinc inde decerpta, hisque subjungit documenta & augmenta. Tandem inter hæc exhibet seriem supremorum Poloniæ Marescalcorum, inde ab A. 1366 deductam, nec non nomina Marescalcorum & Cancellariorum magni Lithuaniæ Ducatus inde ab A. 1579, Marescalcorum aulæ, nec non Procancellariorum, eorumque munia exponit. Pauca

Pag. 19. 22. 24. 29. 40. 61.

ſunt, quæ Cl. Autor de Mareſchalcis & Cancellariis Sereniſſimæ Poloniarum Reginæ delibat, & antiquitatem utriusque functionis ex *Cromero* extra dubitationem ponit. De Indice, non eſt, quod moneamus.

DE TYPOGRAPHIIS, EARUMQUE INITIIS ET incrementis, in regno Poloniæ & magno Ducatu Lithuaniæ, cum variis obſervationibus, rem & literariam, & typographicam, utriusque gentis aliqua ex parte illuſtrantibus.

Dantiſci, apud Georgium Marcum Knochium, 1740, 4. Plag. 10.

Doctiſſimus hujus Commentationis Autor, *Jo. Dan. Hoffmannus*, pergratum fecit reipublicæ literariæ, dum & ſuam ſymbolam, eandemque admodum pretioſam, ad ſeculares artis formis æneis ſcribendi lætitias adjecit. Ita vero hic verſatus eſt, ut, quicquid de argumento ſuo ex librorum apparatu, quorum ipſi copia facta erat, excerpſerat, quicquid ab aliis paſſim traditum legerat, eo præſertim ordine collectum, publicaret, quem rationi temporum maxime convenientem judicaret. Acceſſerunt huic literariæ ſupellectili *Valentini Schliefii*, Conſulis Gedanenſis, (qui jam inſigni, quid hac in eruditionis parte valeant humeri, argumento comprobavit, dum Schediaſma literarium, *de Scriptoribus Hiſtoriæ Polonicæ*, a *Samuele Joachimo Hoppio* quondam conſignatum, egregiis acceſſionibus locupletavit,) emendationes atque annotationes neutiquam contemnendæ, certisque in hac lucubratione ſignis incluſæ. Ipſe non minus Autor obſervationes paſſim tractationis ſuæ filo intexuit, inſtitutum ſuum maximopere illuſtrantes. Nos autem arcem potius rerum dicendarum ingrediamur. Obſcurum eſt, num ars χαλκογραφικὴ Seculo jam XV in Poloniam allata ſit. Primis enim illius ævi temporibus pertenues erant literæ atque artes in Polonia, raroque admodum libri videbantur, ab humanitate qui ducunt nomen. Fuerunt autem, qui nomen ſuum literarum monumentis poſteritati tunc, hoc in regno, commendarent, *Joannes Cantius*, *Nicolaus*

Digitized by Google

colaus de Plonie, Theologi, *M. Petrus de Zather*, *Martinus Ilcuſius*, & *Albertus de Pruſia*, inſignes Mathematici, *Joannes Glogovienſis*, Philoſophus, *Ludovicus de Pruſia*, cujus *Trilogium animæ* Noribergæ A. 1498 typis impreſſum, *Joannes Dlugoſſus*, *Philippus Callimachus*, Hiſtorici, quorum libri vel in ſcriniis adhuc aſſervantur, vel, eodem fere tempore, extra Poloniæ fines, typis in vulgus exierunt, vel ſerius in lucem prolati ſunt. Attamen ſunt etiam duo argumenta, quibus adducti, aliquatenus conjicere poſſe videmur, Cracoviæ jam ſub finem Seculi XV τυπογραφεῖον exſtitiſſe. Alterum ab antiquo aliquo libro depromtum eſt, ibidem tunc temporis, ni conjectura fallit, impreſſo; alterum a *Simone Starovoiſcio* petitum eſt, qui hæc de *Joanne Glogovienſi* narrat: *Multos quoque in Moſchovia ſacræ Scripturæ libros, in Sclavonicam ab illo linguam translatos, vidimus, impreſſos vero Cracoviæ ſumtibus* Jo. Haller, *civis Cracovienſis, qui omnes ſuas facultates in hoc ipſum contulerat, ut literæ meliores diverſis excuſæ linguis & characteribus ſpargerentur in uſum ſeptentrionalium.* Horum prior Profeſſor Cracovienſis A. 1507 mortuus eſt; poſterior autem, *Bartholomæo Paprocio* teſtante, Chalcographus dives & Conſul Cracovienſis fuit A. 1508. Indidem colligitur, *Jo. Hallerum* primum omnium exſtitiſſe in Polonia typographum. Nec dubitat Autor affirmare, Germanorum opera primos in Poloniam typos advectos eſſe, iis præterea cunabula illius artis accepta referenda eſſe, atque ipſum *Hallerum* fuiſſe Germanum, immo & apud Norimbergenſes ab *Antonio Koburgero* inſtitutum. Sed, quam obſcura ſunt atque incerta, quæ de Seculo XV *Capite primo* traduntur, tam luculenta ſunt, tamque celebria, quæ, ut *Capite* Autor *ſecundo* narrat, monumenta colluſtrarunt. Partim enim homines excellentis ingenii favore, gratia, & munificentia, principum virorum ad ſtudia optimarum artium excitabantur: partim viri ſummæ doctrinæ, magnis propoſitis præmiis, ex aliis huc locis alliciebantur. Gens quoque Judaica, quæ inſigni in Polonia libertate utitur, ut ſynagogas ſuas ac Rabbinos longe doctiſſimos olim habuit, ad quos, tanquam judices ceterarum gentium, Judæi confluere ſolebant; ita pariter typographos in his oris aluit fovitque, qui magnam librorum copiam in conſpectum lucemque

que hominum protulerunt. Sunt autem loca primaria, quæ, præter Cracoviam, typographorum officinæ notabilia fecerunt, ſecundum temporis ordinem, quæ ſequuntur. Lublinum, ubi præſertim typographia Judæorum olim nitidiſſima fuit, & jam A. 1559 Talmudis aliquam partem, *Schevuoth* dictam, impreſſam conſtat. Szamotulum, ubi *Alexander Aviczdecki* A. 1559 typographus fuit. Zamoſcium, ubi jam A. 1557 *Joannis Herburti de Fulſtin Statuta regni Poloniæ Latine* typis impreſſa ſunt. Breſtia, ubi potiſſimum, cura *Nic. Radzivilii*, typographia conſtituta eſt. Luclavicia, qui pagus nidus olim Socinianorum fuit. Pinczovia, ubi typographia a fratribus Bohemicis erecta eſt. Coſminecum, ubi eorundem aliqua typographia floruit. Wengrovia, ubi præſertim *Petri Gomeſii*, Unitarii, lucubrationes editæ fuerunt. Zaslavium, ubi *Matthias Kawieczynski*, præfectus Niesviſienſis, doctrina Unitariorum imbutus, typographiam condidit. Loſcum, ubi reformati cœtus typographiam fuiſſe, *Wengerſcius* commemorat. Poſnania, ubi *Melchior Neringk* privato ære officinam condidit. Grodiſcum, ubi noſtris præcipue ſacris addictorum typographia floruit. Niesvieſium, ubi Reformati præſertim libros ſuos imprimendos curarunt. Racovia, ubi Sociniani virus ſuum ſparſerunt. Vilna, ubi Reformati fere omnium primi videntur habuiſſe typographias ſuas, autoritate ac ſumtu principum virorum ac nobilium erectas & conſervatas. Oſtrogium, ubi *Conſtantini*, Ducis Oſtrogiæ, Palatini Kioviæ & Volhiniæ, ſumtibus typographia condita eſt, eo conſilio, ut Biblia Ruſſica lingua imprimerentur. Leopolis, ubi *Matthias Bernart* circa annum 1593 præ ceteris typographus fuit. Lubeca, ubi Sociniani typographiam ſuam habuerunt, quæ condita eſt, cum adhuc *Joannes Kiſzka* viveret, qui A. 1592 deceſſit. Laſzozovia, ubi pariter Reformati typographum ſuum aluerunt. Quæ *Capite tertio* de typographiis Seculi XVII & XVIII memorantur, præterimus lubenter, & unicuique harum rerum ſtudioſo evolvenda relinquimus. Illud tamen ſileri a nobis non licet, omnium ejusmodi locorum brevem ſimul additam hic inveniri hiſtoriam, ut & typographorum uniuscujusque civitatis celebrium ordine temporis indicem, brevemque, quos publicarunt, librorum enarrationem, una cum aliis rebus notatu digniſſimis, ſubjungi. Neque omnino prætereundum eſt, *Caput quartum*, idque ultimum, varias obſervationes, ad rem typographicam in Polonia, præter jam allatas, ſpectantes, complecti.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXLV.

MUSEUM RICHTERIANUM, CONTINENS Foſſilia, Animalia, Vegetabilia marina, illuſtrata iconibus, & commentariis D. JO. ERNESTI HEBENSTREITII, Anat. & Chirurg. P. P. O. Accedit de Gemmis ſcalptis antiquis Liber ſingularis.

Lipſiæ, excudi curavit Caſparus Fritſch, 1740, fol. *Alph.* 5 plag. 8, Tabb. æn. 20.

Quicquid in hoc libro ſpectes, nihil eſt, de quo gratulari Lipſiæ non debeamus, de quo Lipſia non poſſit gloriari. Sive enim ſupellectilem rerum, ad naturalem Hiſtoriam pertinentium, earumque præſtantiam, pulchritudinem, raritatem, copiam, ordinem, ſive Commentarios doctos, plenos, dilucide ſcriptos, ſive elegantiſſimas obſervationes, ad gemmas ſcalptas illuſtrandas, in Libro ſingulari propoſitas, ſive denique iconas & characteres, conſideres, nihil non pulchri, utilis, & magni, te videre fatearis. Eſt autem hic liber index omnium rerum, quas Illuſtris *Richterus*, Potentiſſ. Poloniarum Regi a Conſiliis Cameræ, Ædilis & Senator Lipſienſis, ad illuſtrandam augendamque rerum naturalium hiſtoriam, a multis annis, magno & ſumtu, & ſtudio, collegit. Neque is contentus fuit, multa rara & perpulchra omnis generis naturæ opera conquiſiviſſe, verum etiam de iis in ordinem redigendis, ſine quo harum rerum adeo ingens utilitas non eſt, ſtatim cogitavit. Quod ut eo felicius efficeret, cum Bibliothecam inſtruxit ex ſelectiſſimis libris, quibus

Hiſtoriæ Naturalis varia capita illuſtrantur, tum celeberrimorum in hac Academia Virorum conſilio, uſus eſt. Atque ex his primum celebrat egregium Virum, *Jo. Zachariam Platnerum*, qui in hac Academia Pathologiam publice docet. Isque cum Autor exſtiterit Ill. *Richtero* adornandi Muſei, ejusque primas lineas duxerit, debetur ipſi plurimum laudis, quam hoc utiliſſimum inſtitutum meretur. Ipſa vero naturalia corpora maximam partem diſpoſuit, eorumque, inprimis rariorum, & in quibus ii, qui in his rebus minus verſati ſunt, facile hærere poſſent, expoſitiones adjecit, Doctiſſimus *Hebenſtreitius*, Anatomes & Chirurgiæ in hac Academia Profeſſor. Cum vero inter res naturales, ab Ill. *Richtero* collectas, marmora quoque eſſent, & gemmæ ſcalptæ, earumque multæ annulis incluſæ, illorum ordinandorum curam in ſe ſuſcepit, & in gemmis digerendis utiliſſimam operam collocavit, Poeſeos & Hiſtoriarum Profeſſor Celeberrimus, *Jo. Frid. Chriſtius*. Ut igitur aliquam quaſi ſpeciem totius hujus Indicis informemus, principium ducamus a Cl. *Hebenſtreitii* laboribus. Is optimo conſilio toti Operi Commentationem de foſſilium ordinibus præmiſit, quæ maximam Muſei partem efficiunt, & quæ ex patriis, in Hermunduris præcipue ſitis, montibus protracta ſunt. Nam, etſi in conchyliorum, piſcium, plantarum marinarum, ſimiliumque, ordinibus colligendis non leves quoque ſumtus *Richterus* fecerit, ſe tamen nondum eo perveniſſe fatetur, ut, ſe perfecti quid in hoc genere habere, gloriari poſſet. Cel. vero hujus Commentationis Autor, poſtquam de rebus naturalibus in univerſum ordinandis, deque iis rationibus, dixit, ob quas in duabus linguis Index confectus fuerit, Latinus ſcilicet in exterorum, Germanicus in popularium, gratiam, qui, cum rerum naturalium notitiam ſibi comparare velint, linguam tamen Latinam non calleant, poſtquam denique *Richtero* & ſibi Germanicorum vocabulorum, quibus metallicolæ foſſilia inſignire ſolent, Græcis Romanisque, ut videtur, ignota, Latine flexorum venium exoravit, foſſile ſibi appellari dicit, quicquid ex terra effoditur, vel alia quoque ratione ex terra erutum, ubicunque velis, invenitur. Quare contra *Linnæum* diſputat, qui foſſilia dixit, quæ ex terra protracta, neque igne fundi,

fundi, neque malleum ferre, poſſunt, & omnia foſſilia lapide, tanquam ſummo aliquo genere, complecti voluit. Contra illis præſtantiſſimis *Viris* accedit Cel. Autor, qui, cum non male exiſtimarent, eo aptiorem methodum eſſe, quo ſimplicior ſit, non tam ea, quæ per ignem in foſſilibus manifeſta fierent, verum externas aliquas notas, quas omni tempore invenire facile ſit, id eſſe voluerunt, ad quod in ordinandis foſſilibus reſpiciendum ſit. Jubet autem coloris, ſaporis, odoris, formæ externæ, rationem habere, quidque hæc ad diſponenda foſſilia valeant, pluribus exemplis declarat. Deinde alias notas poſuit, quas in ordinandis lapidibus, a quibus metallum abeſt, ante oculos haberi oporteat. Hisque omnibus expoſitis, recte monet, nullum fere foſſile haberi, quod non mixti quaſi generis ſit; liberumque debere cuique eſſe, quamcunque voluerit, viam in diſponendis foſſilibus tenere; neque adeo carpi debere *Richterum*, qui ipſa ad id metallum retulerit, quod præ reliquis ineſſe ſingulis *corporibus cognoverit*. Totius Indicis *quatuor partes ſunt*, varie porro ſectæ atque diviſæ. *Prima pars glebas*, metallum habentes, complectitur, inter quas primus locus illis datus eſt, quæ aurum ferunt. Earumque decem genera ſunt: Aurum, quod ſtatim ſuum eſt; Auri glebulæ, quas ignis tortura ex lapide elicit; Auri ramenta, impetu fluminum abrepta; Auri glebulæ, ex arenis lotæ; aréna fluminum, auri ramenta tenens; Minium auri compos; Pyrites aurarius, auro potens; Pyrites aurarius, parum dives; Lapides varii, auri compotes; & glebæ adulterinæ, ſeu factitiæ, quæ aurum nativum commonſtrant. Huic generum Indici nominum explicatio ſubjecta eſt, quibus glebæ, aurum habentes, diſtingui ſolent. Eumque ordinem Cl. Autor per omnia capita tenuit. Secundo loco glebæ argento divites, earumque viginti tria genera, recenſentur. Sunt vero: Argentum ſincerum abſolutiſſimum, in ſaxo & extra ſaxum, Argentum nativum filis compactis craſſioribus, dentes argentei metallicorum, Argentum nativum dendroides, Argentum ſincerum, filis compactis, quod dentes vocant, in lapide, Argentum nativum filis capillaribus in lapide, & extra eum, Ar-

gentum bracteatum, idem, ſed rarioribus bracteis, Argentum nativum in cadmiæ metallicæ gleba, in plumbagine metallica, Argentum nativum, ſtercus anſerinum dictum, aliud hydrolitho obductum, aliud mixti generis, glebæ, argentum nativum mentientes, Argentum nativo proximum, quod plumbei coloris eſt, & a vitro dicitur, Argentum purpurei coloris, cryſtallorum forma naſcens, Argentum rufi coloris, partim cryſtallis lucens, partim fuſco colore opacum, in lapide, & extra eundem, Argentum rude, dives, ex purpureo fuſcum, aliud rufi coloris prædives, ſuperficiei lapidum, lamellarum forma adhærens, Argentum rude, candidi coloris, gleba nigrâ, argenti particeps, Argentum rude cinerei coloris, Lapis corneus, argenti particeps, glebæ argentiferæ, mixti generis. Omnium fere generum plura pulcherrima exempla eſſe, omnes fatentur, quibus *Richteri* humanitas hoſce theſauros aperit. Hæc deinde glebæ excipiunt, ex quibus æs coquitur. Earumque quatuordecim genera numerantur, quorum primum æs purum atque ſincerum, reliqua fere in variis lapidibus, duodecimum glebas adulterinas, decimum tertium ſincerum æs, quod aquis, ære prægnantibus, ferro excitatur, ultimum vero cuprum fuſcum Japonicum & noſtras habet. Quarto loco octo genera glebarum plumbi candidi ſequuntur, ſuntque plumbum candidum nativum, lapilli nigri lutei & rubelli, atque albi, ex quibus plumbum candidum coquitur, porro lapilli, plumbum candidum habentes, frugiferi, ſterilibus nigris, qui *Wolffram* appellari ſolent, aliisque fluoribus, quarzo varioque lapide metallico mixti, lapides rufi coloris, & mixti generis, tandemque adulterinæ glebæ. Septem contra plumbi nigri genera *Capite quinto* proponuntur. Ex quibus primum nativum purumque plumbum habet, alterum lapillos virides, cryſtallorum forma naſcentes, tertium lapidem candidum cryſtallorum rhomboidearum facie, quartum plumbaginem metallicam teſſellatam, quintum globoſam, areis latioribus, ſextum aliam minoribus areis, ſeptimum galenam mixti generis. *Sextum Caput* continet glebas, ex quibus ferrum coquitur, & quarum ſex tantum genera ſunt: Ferrum ſui coloris nativum abſolutiſſimum, ferrum

ferrum rude, ſtibii ſtriis, ſchiſtus lapis, hæmatites, lapis ferrum habens, mixti *generis*, lapis ferrarius, halitu ſubterraneo aduſtus & carioſus, & ferrum fuſum regulare. *Secundæ Partis Sectio prima* ſemimetalla continet, inter quæ primus locus glebis datus eſt, quibus ſtibium ineſt. Habet autem Muſeum *Richterianum* Stibium, quod ſtatim ſuum eſt, ſtriis tenuioribus, ſtibium abſolutius, ſtriis latioribus, porro ſtibium plumbaginis facie, tandem glebas varias, quæ ſtibium ferunt. *Alterum Caput* ſex genera glebarum continet, quæ Hydrargyrum, ejusque lapidem, minium, ferunt. Primum genus hydrargyrus apyros dicitur, ſecundum glebæ, ex quibus hydrargyrus, tertium gleba minii abſolutior, ſaxi expers, quartum minium, quod Cinnabaris nativa, hydrargyri particeps, in ſaxo, quintum aliquod ſimile cum Talco, & ſextum minium, quod Cinnabaris nativa, ex arenis lota. Sequuntur in *tertio Capite* novem genera Cobalti & Biſemuthi, de quo, an Cadmia veterum ſit, merito dubitatur. Sunt autem illa genera: Cobaltum tuberoſum, & nodoſum, *aliud ſcoriarum forma*, item aliud arbuſculorum & virgultorum facie, Cobaltum in ſaxo vario, glebæ, Cobalto & Biſemutho graves, Cobaltum nativum, cum cruſta rubella Cobalti, flores Cobalti, aſteris facie, flores Cobalti, ſtriis læte rubentibus & latis, in quarzo, quarzique ſcrobibus, glebæ Cobalti, cum pyrite, æris orgentique colore, qui *Kupfernickel* & *Mispickel* dicuntur. Poſthæc in *ſecunda Sectione* metallica Pyrophora propoſita inveniuntur. Enumerantur autem primo hi novem ordines Sulphurum: Pyrites, arſenico abſolutiore albo & rubro prægnans, Pyrites arſenicalis, Sulphur apyron, vivum, Pyrites teſſellatus, ex quo ſulphur, Pyrites globoſus, reniformis, variæque figuræ, Auripigmentum globoſum, & ſandaracham referens colore, Pyrites, ex quo Zincum coquitur, & Zincum fuſum, lapides, qui ſulphur olent; & lapides ſulphurei, montium ignivomorum. Bituminum deinde tria genera occurrunt, liquida, ſeu petrolea, foſſilia ſolida, & marina ſolida, quæ alias ſuccina appellantur. *Tertia Sectio* Salia complectitur, ex quibus primo loco atramenta nominantur, ſecundo ſalia ſalſa foſſilia, tertio Alu-

men habentes glebæ. Poſt ſalia in *quarta Sectione* Terræ ſequuntur, *tribus Capitibus* propoſitæ. Sunt autem primum Terræ mechanicæ, ſponariæ, tinctoriæ, quæ polituram faciunt, quibus vaſa coquuntur, & calcariæ, deinde Terræ medicæ, tertio loco Terræ aquis abreptæ, tophaceæ, Hydrolithos thermarum & cuniculorum metallicorum. Glebas ſteriles, metallis adnaſcentes, *Sectio quinta* continet, earumque Muſeum *Richterianum* hæc undecim genera habet: Lapillos nigros ſteriles plumbi candidi vitium, Molibdites, plumbi candidi lapillis adnaſcens, Magneſiam, Sidereum lapidem, Calaminarem, Pyritem inanem, metalli expertem, Galenam ſterilem, metalli expertem, Micam, Talcum, Asbeſtum, Selenitem, lapidem ſpecularem, glaciem Mariæ, Androdamam, & Gypſum. *Secundum Caput Sectionis quintæ* de glebis inanibus lucidis agit, Cryſtallo, Quarzo, Fluoribus, & Spatho. Sunt autem quatuordecim genera ſaxorum metallicorum, quibus Cryſtalli angulosæ & lamellares innaſcuntur. Et hæc quidem finem faciunt *Partis ſecundæ*. *Tertiæ Partis prima Sectio* lapides non figuratos comprehendit, præcipueque marmora. Horum tria genera conſtituta ſunt: Transmarina & Transalpina, deinde marmora & Alabaſtra Ciſalpina, tandemque ſerpentina, qualia prope Sœblitium in Miſnia naſcuntur. In primi generis marmoribus diſcrevit Illuſtris Muſei poſſeſſor Marmora alba, flaventia, rubentia, viridantia, coloris cyanei, nigra, varia, & Alabaſtra. Horum marmorum indici erudita Diſſertatio præmiſſa eſt, qua rariorum, veterum præſertim, marmorum ordines diſponuntur. Deque his marmoribus princeps ſcriptor eſt, quod omnes ajunt, qui in hac re aliquid vident, *Caryophilus*, cujus liber ante aliquot annos in lucem emiſſus eſt, a quo tamen Cel. hujus Diſſertationis Autor variis in locis recedit. Marmora deinde Gemmæ excipiunt, primum opacæ & hemidiaphanæ crudæ, diaphanæ crudæ, opacæ & hemidiaphanæ politæ, pellucidæ politæ. Earumque non exiguus numerus eſt. Sed præter has aliæ ſunt, quarum ſyſtema ſubjungitur, prout aliis ordinibus eas diſponi placuit emendatiſſimas. Primus ordo duodecim gemmas complectitur eo ordine, quo in *Apocalypſi* recenſentur,

Digitized by Google

tur, alter tales, quales in Thoracio *Aaronis* collocatæ erant, tertius disponit gemmas secundum colores, quartus eodem modo disponit *hemidiaphanas*, quintus Achatum genera duodecim comprehendit, sextus Achatas ex Transalpinis regionibus, septimus Jaspides habet, utrasque ex agro Mediolanensi, octavus Jaspides ex viridi variantes, nonus colore variantes, decimus gemmas opacas habet secundum colores, undecimus Jaspides indigenas juxta & transmarinas. Hi omnes Lapides non figurati sunt. Figuratorum vero tredecim ordines occurrunt, quorum primus Heteromorphos, dubiæ figuræ, continet, reliqui duodecim Idiomorphos, qui conchylia univalvia, polythalamia, specie referunt, deinde univalvia, nullius turbinis, pauciorum & plurium turbinum, porro tales, qui conchyliorum bivalvium asperorum, vel lævium, speciem habent, post hos polymorphi veniunt, alii malacostreorum, alii piscium, alii animalium aquatilium integrorum, ossium, & plantarum denique specie. Et hæc quidem *tertiam* Indicis *Partem* constituunt. *Quartæ* vero *Partis prior Sectio* Animalia comprehendit, inter quæ primum locum exsanguibus datum invenimus, eaque sunt Mollia, Malacostrea, Ostracoderma, Insecta. Mollium duo genera sunt, scilicet quæ ossibus articulatis carent, scutumque osseum gerunt, & quæ radiis moventur, atque ossa articulata habent. Ex malacostreis vero in Museo *Richteriano* Echini & Cancri conspiciuntur. Tertio ordine Conchylia occurrunt, quorum omnium, in tria genera distributorum, nempe in Bivalvia, Multivalvia, & Univalvia, Tabula Synoptica exhibetur. Secundum hanc Bivalvia partim ἀυτόφυτα, partim ἑτερόφυτα, sunt. Ex illis alia cardinem extra centrum domunculæ habent, alia ad centrum, sic tamen, ut vel absconditus, vel apparens, sit. Ex Multivalviis alia adsunt, quæ quinque testas, alia, quæ plures habent. Quod denique Univalvia attinet, ex apertis Patellæ tantum sunt, ex clausis vero, quæ recta, vel intorta, circuli segmentum habentia, & turbinata, (hæc vero multa minora genera amplectuntur,) admodum varia occurrunt. His demum quatuor Series Quisquiliarum, seu, quod ex Conchyliis minutum est, subjectum

dum fuit. Omnium Conchyliorum magna copia eſt, neque deſunt, quæ raritate ac pulchritudine eminent. Quartus ordo Inſecta habet, ſeu animalia exſanguia, quæ ab inciſuris appellantur, eorumque etiam Tabula ſynoptica præmiſſa fuit. Suntque tria ſumma genera conſtituta, Volatilium Inſectorum, Reptilium, & Natatilium, quæ ſimul Volatilia, adeoque Amphibia, ſunt. Volatilia vel alas habent, quibus totum abdomen tegitur, vel ſemialata ſunt. Illa ſecundum numerum pennarum in quadripennia & bipennia, & quadripennia denuo in nudipennia & vaginipennia, dividuntur, ne de iis ſubdiviſionibus dicamus, quæ a ſubſtantia alarum, & tempore, quo proveniunt, aliisque conditionibus, deſumtæ ſunt. Ex Bipennibus vero alia armata, alia inermia, ſunt. Reptilium diviſio a forma deſumta eſt, quæ vel conſtans eſt, vel mutabilis. Quæ conſtantis formæ ſunt, eorum tria genera, ſecundum pedum numerum, conſtituuntur. Natatilium demum alia armata ſunt, alia inermia. Horum omnium exſanguium animalium tredecim genera in Muſeo *Richteriano* ſunt. Excipiuntur autem a ſanguineis animalibus, quæ aquatilia ſquamifera ſunt; & primo quidem loco a piſcium marinorum quinque generibus, nempe malacopterygiis, acanthopterygiis, branchioſteis, chondropterygiis, & illis, qui pulmonibus reſpirant. Ultimo loco plantæ marinæ ſunt, earumque quatuor genera, Lithophyta, Ceratophyta, Spongiophyta, & Botanophyta. Hactenus de rerum earum Indice, quæ ad Hiſtoriam naturalem pertinent. Supereſt, ut de Cel. *Chriſtii* Commentario, in quo Gemmas ſcalptas interpretatur, aliqua ſubjiciamus. Præfatus eſt quædam, quibus ſe atque hunc laborem ſuum contra homines cum indoctos, tum ſibi ſolis ſapientes, defenderet. Conqueritur autem de multorum præcipue ruditate, vetuſtatisque ignoratione. Promtos etiam ad explodendum homines eſſe, adverſus antiqua præſertim iniquiores, ſi quid reconditius ex artibus in medium afferatur. Dicit autem, in gemmis ſcalptis lapillorum naturam diſtinguendam eſſe, manum, & argumenta, de quibus ſingulis breviter exponit, ſic vero, ut, non leve opus eſſe, declaret, de his judicare. Profert deinde Cel. Autor aliqua de

de Tabulis pictis, quæ in Pinacotheca *Richteriana* ſunt, & quas ipſe ceras appellat. Quando vero harum tabularum, cum veterum, tum recentiorum, nonnullas exponit, aliqua etiam ad hiſtoriam artis pictoriæ utilia profert; quo illa referimus, quæ de *Henrico Golzio*, *Rachele Ruiſia*, aliisque artificibus, habet. Ejusdem ponderis videtur obſervatio eſſe de Theotiſco dicendo, non Germanico, ſi aliquid in Germania effectum Latine dici debeat. Et, cum hac ætate, frequenti admodum fraude, opera, a recentioribus artificibus efficta, veterum monumentis ſubſtituantur, ejusdem Cel. Autoris annotatio ſuper ſignis adjecta eſt, e quibus manus agnoſci antiquæ in gemmis poſſunt. Quatuor autem vult res eſſe, quibus veterum monumenta ab illis diſtingui poſſint, quæ a recenti aliqua manu ſint, lineas ſcilicet, doctrinam, opus, & materiem. Veteres igitur oſtendit cum fere in omnibus, tum præcipue in affectionibus animi exprimendis, recentiores longiſſime ſuperaſſe, quod tamen non niſi eruditis oculis, ait, cognoſci poſſe. Docet ad hæc, recentiorum opera debere vetuſtis inferiora eſſe, quod arena tenuiſſima adamantis atterantur, cum veteres, ut ſe deprehendiſſe ex *Plinio* inprimis ſcribit, gemmas ſcalpellis quibusdam, ex adamante duriſſimo factis, qui nobis deſit, incidere conſueviſſent. In materie vero eligenda veteres ad parvas & emendatas gemmas, recentiores ad pretioſas, majoresque, ſed minus puras, reſpicere. Jam, ut pauca de Dactyliotheca ipſa dicamus, prima Tabula quatuordecim capita Deorum, heroum, regum, fœminarum illuſtrium, pleraque anaglypha, ſiſtit, altera totidem fabularis hiſtoriæ argumenta, & res antiquarias, complectitur, tertia denique undecim capita in gemmis, aliaque argumenta, exciſa atque inciſa, quibus in Commentario aliorum capitum in gemmis interpretationes ſubjiciuntur, quorum radio deſcripta in æneis tabulis exempla non publicantur. Poſt hæc illorum capitum interpretationes ſequuntur, quæ in annularibus gemmis inciſa ſunt, argumentorum fabularum, ectypis æque imaginibus atque inciſis, exemplorum quorundam recentis, neque indiligentis ſcalpturæ in gemmis, tandemque ſignorum, imaginum, quas prototomas

alii appellant, & vaſculorum plerorumque antiqui operis, ex ære, marmore, alabaſtro, gemmis, ac margaritis, factorum. Docta inprimis, & autore ſuo digno, eſſe videntur, quæ in his Commentariis de *Artemiſia*, de *Pyrrho*, de capite velato, fortaſſis *Cleopatræ*, *Antiochi*, Syriæ Regis, matre, de Amore hippocampo vecto, de *Ariadne*, ob abitum *Theſei* furibunda, de incunabulis *Bacchi*, de *Horatii Coclitis* facinore, de *Hercule*, Leonem Nemeæum proſternente, de *Cleopatra*, *Semiramide*, aliisque, proferuntur. Commentarius, qui vernacula lingua additus eſt, in multis a Latino recedit.

DE SUPPOSITITIIS MILITARIBUS STIPENdiis Benedicti Odeſcalchi, Patricii Comenſis, qui Pontifex Maximus A. 1596 Innocentii prænomine fuit renuntiatus, Autore J. C. C. ANTONIO JOSEPHO Comite A TURRE REZZONICI, Comitis Joannis Pauli F. Comitis Caroli Aloyſii N.

Comi, excudebat Auguſtinus Olzatus, 1742, fol.

Alph. 1 plag. 12.

Benedicto XIV, Pontifici Eccleſiæ Romanæ Maximo, Illuſtriſſimus Autor Orationem ſuam panegyricam, qua *Innocentii XI* laudes celebravit, inſcripſit, ac in Dedicationis illius formula ſimul Epiſcopum Comenſem, *Paulum* Comitem *Ciſnuſculum*, laudavit, eo quod hic de memoria *Innocentii XI*, civis quondam Comenſis, in dies egregie ſuſtinuit mereri. Ipſe enim Epiſcopus illuſtrem Comi condidit Academiam, cui *Innocentianæ* indidit cognomentum. Primos ut Collegii tam illuſtris aditus redderet ipſe ſolennes, Ill. Autori id operæ impoſuit invito, ut meditata Oratione illud conſecraret. Delegit Orator eam ob cauſam argumentum, quo demonſtravit, *Benedictum Odeſchalchum* nuſquam gentium militiam ſecutum fuiſſe. Habuit vero Orationem illam publica in panegyri A. 1742, 8 Cal. Mart. Decerpemus ex ea pro more noſtro admodum pauca. Numerum inibimus primo eorum, qui, *Benedictum*

nedictum primo ætatis ſuæ flore (apud Sarmatas, adverſus Turcos tunc bellis intentos,) militaſſe tradiderunt. Memoriæ ſic prodiderunt 1) is, qui *Innocentii*, paulo ante defuncti, res geſtas Venetiis & Fulginii evulgavit, a *P. Bælio* tum ob ſtilum, tum ob ſcribendi rationem, deriſus; 2) Autor *magni Lexici hiſtorici*, qui, *Benedictum* tirocinia militiæ in Belgio ſub Hiſpanis poſuiſſe, contendit; 3) *Chevignius*, qui, *Benedictum* arma Hiſpanorum contra Gallos ſecutum, humeroque vulneratum, atque ea de cauſa, Marte relicto, ſeſe ordini eccleſiaſtico conſecraſſe, autor eſt; 4) agnatus quidam Autoris commemorat, *Benedictum* in campis Catalaunicis ſtipendia feciſſe, ibidemque ictu plumbeæ glandis ita in brachio fuiſſe debilitatum, ut ultimis quoque vitæ temporibus operantem rei ſacræ invaderent dolores; 5) alii tradiderunt, *Benedictum* militiam in Italia ſecutum fuiſſe; licet, quibuſnam locis ipſe obtigerit miles, inter ſeſe varient. Id vero negare haud licet, ſcriptoribus illis, qui, militatum abiiſſe *Benedictum*, literis memoriæ prodiderunt, nulla ratione *invicem convenire*. Autori viſum fuit oſtendere, iſtas de militia *Benedicti* narrationes nullius eſſe fidei. Provocavit eam ob cauſam ad teſtimonia civium ſuorum, & ad *Paulam Beatricem*, *Benedicti* ex ſorore neptem. Provocat etiam ad acta ultima Apotheoſeos *Innocentii XI*, in quibus nil de militia illa legitur, ſi *Gabrielis Mariæ Valentiolæ*, Clerici Regularis Barnabitæ, ultro obiterque loquentis, teſtimonium excipiamus. Largitur Noſter, *Benedictum* fortaſſis in eo fuiſſe, ut militiæ tirocinia poneret; inficiatur vero, eum deſtinata perfeciſſe, ſiquidem rationes chronologicæ obſtent, quo minus *Benedictus* vel in Sarmatia, vel in Belgio, vel in Italia, egerit centurionem. Abiit *Benedictus* Novocomo Neapolin, *Thomæ* agnati ſuaſu; an nomen militiæ daturus eſſet, nondum certo ſciens, attamen fluctuans. Quo poſtquam venit, curas militares Jurisprudentiæ ſtudio mutavit; &, exactis ibi ſex menſibus, inſignia Juris utriusque ſibi peperit. Paulo poſt cum periculoſa gutturis ſuppuratione conflictatus fuit adeo, ut de vita continuanda pæne deſperaret. Ex quo feliciter inde convaluerat, repetivi Romam. Hic vero autoritate *Benedicti*, Pag. 11. 13. 15. 22. 24.

patris purpurati, inductus, togam sumsit, Clerico dignam. Hic commemorationis ordo, procul habendam esse illam de *Innocentii XI* militia opinionem, neminem non convincit. Videtur cum *Innocentio XI* confusus fuisse ejusdem nominis duo-
Pag. 28. decimus. Hic enim, non ille, Neapolitanæ centuriæ militum præfuit, ac ad Tridinum globo ignito ictus est. Ne vero nobis persuadeamus, *Odeschalcum* in Belgio, vel Sarmatia, Marti dedisse nomen, impedimento id nobis existit, quod ipse ne quidem pedem Italiæ finibus extulit. Suffecerint hæc ad fidem dictis conciliandam, & ad umbras fabulæ proscribendas. Non vacat nobis reliqua apologiæ momenta, quibus passim occurritur fabulis, percensere, in quibus utramque ea faciunt paginam, quæ *Petrus Bælius* de *Innocentiana* in Gallos vindictæ cu-
33. piditate tradidit. *Joannes Baptista Pittonius*, Presbyter Venetus, in causa est, ut Sarmatica *Innocentii* militia fabulosa iverit in vulgus. Is enim edidit brevia elogia, quibus nonnihil ejusmodi intexuit. At in editione altera erratum illud idem
34. correxit, fassus, *Odeschalco* quidem fuisse aliquando bellicas propensiones, has vero mox cum politioris literaturæ studio fuisse commutatas. Militari *Odeschalcus* cultu aliquando Ve-
37. netiis usus fuit. Et ex gente *Odeschalcorum* nonnulli in Sarmatiam abierunt militatum. Hinc procusa videtur fuisse illa de militia *Innocentii XI* fabularis narratio. Omittimus reliqua, apud
51. Ill. Autorem evolvenda. Illustrissimo Comiti gratulatus fuit Dissertationem, seu potius Orationem, illam *Josephus Antonius Saxius*, Bibliothecæ *Ambrosianæ* præfectus. Suffixit Autor tractationi syllabum scriptorum, per quos profecit, vel quorum
53. dicta refellit. Accedunt carmina, quæ Academiæ *Innocentianæ*, Neocomi A. 1742 feliciter apertæ, honori dicata fuerunt
69. & consecrata. Restat nihil, nisi ut nosmet Academiæ, hac Oratione & his carminibus evectæ ac perornatæ, auspicia illa gratissima gratulemur, eique perpetuitatem & decora quævis comprecemur.

NUOVA RACCOLTA DI OPUSCOLI DI GIANVINCENZO GRAVINA, Giureconsulto.

hoc est,

Digitized by Google

hoc eſt,

NOVA COLLECTIO OPUSCULORUM JOANNIS VINCENTII GRAVINÆ.

Neapoli, apud Joannem Simonis, 1741, 12. Plag. 8.

Lucem vitalem adſpexit *Gravina* in terra Roggiana, Calabriæ ſolo, prope Coſentiam, patre *Januario* ac matre *Anna Lombardi* A. 1664, 18 Febr. vaſto, fervido, promtoque, ingenio conſpicuus, felici ac tenaci memoria præditus, judicio haud minori. In vicina urbe Scaleæ obtigit ei præceptor *Gregorius Calopreſius*, Philologus acutus, & Philoſophus *Carteſianus*. Inde, annos ſexdecim natus, Neapolin venit, tirocinia Philologiæ, Philoſophiæ, ac Jurisprudentiæ, poſiturus. Anno 25 exacto, Romam venit, ubi domicilium nactus eſt, obtinuitque cathedram Canonum Sapientiæ. Inde Taurinum conceſſit, ubi Profeſſorem Juris civilis egit in Academia ibi inſtaurata. Obiit Romæ A. 1718, 6 Januarii. Frater *Franciſcus Antonius*, Prætor Neapolis literatiſſimus, Jurisque utriuſque peritiſſimus, ei ſuperſtitavit. Scripſit *Joannes Vincentius* ſermone Italico & Latino, illo expedite, hoc pure, & in modum *Ciceronis*. Præcipuam diligentiam conſecravit *Originibus Juris civilis* concinnandis, ac libro *de Imperio Romano*. Scripſit Italice *dell' Antiche Favole* libellum, quem admodum auxit, transfuſum in aliud ſcriptum, cujus eſt index: *Ragion poetica*, & in quo de Poeſi expoſuit. Idem ſcripſit librum *della Tragedia*, ſecutus inprimis *Ariſtotelem*. Compoſuit præterea quinque Tragœdias Italicas, quibus eſt inſcriptio: *Il Palamede*, *l' Andromede*, *l' Appio Claudio*, *Il Papiniano*, *Il Servio Tullio*. Hi libri formis publicis ſunt, ipſo vivente, deſcripti. At nunc ſequuntur ii, qui demum e MSto prodeunt in lucem. In Collectione hac primum occupat locum liber: *Regolamento degli Studi di nobil Donna e valoroſa*, ad Marchioniſſam *Santacroce*. Nobilem fœminam nonnulla haud dedecere ſtudia, in eo docet. Judicium in eo facit de optimis ſcriptoribus Græcis, Latinis, ac Italicis. Sequitur ſcriptum: *Ragionamento ſull' Endimione*,

per modum dramatis elaboratum. Exponit posthæc unis literis, ad Marchionem *Massejum* datis, *sulla divisione dell' Arcadia*, id est, de Arcadiæ divisione. Sequitur *Epistola* Latina ad eundem *de disciplina Poetarum*. Succedunt huic Carmina ejus Italica, (*Poesie Italiane*,) tribus Eclogis comprehensa, nec non *Jambi Latini* ad Cl. *Paulum Matthiam Doriam*, quibus huic Tragœdias suas dicavit. Excipit hosce *Gravinæ* Bibliotheca, paucis, eisque præstantissimis, constans libris. Inscriptiones duæ Latinæ huic catalogo subjiciuntur, quarum interventu Opuscula sua Pontifici *Clementi XI* consecravit. Accedit Epistola, Cardinalis *Pignatellii* nomine scripta, doctrinam ecclesiasticam haud mediocrem exhibens. Vocatur illa *Lettera Circolare*, seu *Pastorale*. Agmen claudit *Testamentum Gravinæ*, quod & brevitate, & perspicuitate, sese commendat. Spem facit Editor edendi porro Syllogen alteram ineditorum. Exstant omnino tituli opusculorum & operum in Ven. Abbatis *Citi Notizia degli Arcadi Tom. II Art. 69.* Salivam præcipue movent liber secundus *de Romano Imperio Germanorum*, nec non *le Istituzioni così canoniche, come civili*, ne quid de Orationibus Epistolisque Latinis ineditis, ac Tragœdia Latina, quæ vocatur *Amulius*, ac de *Dialogis Italicis*, dicamus. Operæ pretium fuerit testa-
Pag. 172. mentum *Gravinæ* huc transferre. En illud: *Quod Deus bene vertat, I. Vincentius Gravina ita testor. Annam Lombardam, matrem meam, hæredem instituo in bonis, quæ habeo in Consentina provincia Brutiorum, quos Calabros vocant; in bonis vero meis aliis omnibus hæredem instituo Petrum Trapassum, alias Metastasium Romanum, adolescentem egregium, alumnum meum, cui, sive ante, sive post, aditam hæreditatem meam quandocunque decedenti, substituo Julianum Piersanctum, Laurentium Gorum, & Horatium Blancum, vernacule Bianchi, discipulos meos clarissimos. Corpus meum, antequam terræ reddatur, cultro dis-*
173. *sectum, balsamoque perunctum, volo. Dominicanæ familiæ Patribus pro celebratione Missarum ad peccatorum meorum expiationem dantur semel, hoc est, una solummodo vice, argentea scuta Romana triginta, quæ simul cum sumtibus funeris parce quidem & mo-*

& moderate a Petro Metaſtaſio, ſive Trapaſſo, perſolvuntor. Nonis Aprilis Anni 1715. Ego idem I. Vincentius Gravina.

HIERONYMI TARTAROTTI, ROBOREtani, de Origine Eccleſiæ Tridentinæ, & primis ejus Epiſcopis, Diſſertatio.

Venetiis, 1743, 4.

Plag. 13½.

Multum eruditionis, elegantiæ, ac laboris, ineſt Commentationi Doctiſſimi Clariſſimique *Tartarotti* præſtantiſſimæ, in qua conficienda nulli pepercit induſtriæ, qua fieri poſſit, ut ad interiorem Eccleſiæ Tridentinæ, primorumque illius Epiſcoporum, cognitionem perducantur, quotquot ex rerum harum intelligentibus ſitim reſtinguere eruditam flagitant. Queritur Autor principio de argumenti difficultate, quæ quidem exinde oritur, quod imperfectiori *filo nobiliſſima hæc hiſtoriæ particula ab aliis fuerit texta. Janum Pyrrhum Pincium* primum quidem expoſuiſſe, ait, de rebus geſtis Tridentinorum Præſulum, ſatisque diligentem eſſe ſcriptorem illius, qua vixit, ætatis, nihilo tamen minus vix ſuſtinere poſſe verum Hiſtoriographi nomen, veramque gloriam, cum ſuo crebro indulgeat ingenio, opiniones multis in locis populares nimium ſectetur, facta complura ſilentio prætereat, cumque Latine ſcribendi laudem inconſiderate affectet, a ſtili purioris nitore atque elegantia multum deflectat. Hunc *Pincium, Tartarottus* docet, Eccleſiæ Tridentinæ incunabula repetere a *Marci* Evangeliſtæ diſcipulo ac ſucceſſore in Eccleſia Aquilejenſi, *Hermagora*, primumque Eccleſiæ Tridentinæ paſtorem conſtituere *Jovinum*, eique ſubjicere XVI alios, quorum ultimus *Aſterius*. Illorum tamen omnium memoriam tantum nominis ac nuda vocabula exſtare, *Pincius* ipſe fatetur. *Aſterium* ſecutus traditur *Virgilius*, de quo infra Autor dixit. Confertur ſententia *Gentilotti*, qui *Abundantium*, Epiſcopum Tridentinorum, *Aſterio* & *Virgilio* interſerit, atque, utrum veri quid inſit, inquiritur. His præmiſſis, ipſe *Tartarottus* ſuam profert ſententiam,

tentiam, qua, Ecclesiæ Tridentinæ primordia non a temporibus Apostolorum derivanda esse, docet, sed referenda potius ad annos post dimidium Seculi IV. Itaque *Vigilium* non dicendum esse antistitem decimum octavum, ut vulgo feratur, sed collocandum inter primos. Pro virili id agit, ut sententiam, qua incunabula Tridentinæ Ecclesiæ ad *Hermagoram*, Episcopum Aquilejensem, transferuntur, destruat, quam nulla autoritate, nulloque veterum testimonio, fulciri intelligit. Monumentum *Hermagoræ*, ad quod provocari solet, Tridenti spectari, largitur, hujus tamen inscriptionem, submonet, recentioris esse ætatis, ac fide destitutam, petitamque videri ex Pseudepigraphis Actis S. *Hermagoræ*. Ejusdem *Hermagoræ* memoriam a Tridentinis ideo insigniter coli, conjicit, quod, Tridentinum Episcopum Aquilejensi suffraganeum fuisse, constet. *Pincium*, *Tartarottus* pergit, quæ de Ecclesia Tridentina literis mandarit, non suo excogitasse ingenio, sed accepisse ex ipsis monumentis Tridentinis, quanquam non satis antiquis. Eorum in numerum refertur *Bartholomæi* Tridentini liber quispiam, præterque illum *Catalogus* MStus Tridentinorum Episcoporum, cujus *Gentilottus* meminit, denique *liber Liturgicus*, S. *Missalis* membranaceus, de Episcopis Tridentinis, in Bibliotheca Tridentina reperiundus. Ab his ad sententiæ suæ probationem *Tartarottus* descendit, cujus fulcrum primum reperit in incerto D. *Marci* ad Aquilejenses adventu, incertaque constitutione Ecclesiæ, per eundem facta. De eadem re disputatur adversus *Bernardum Mariam de Rubeis*, ejusque *Monumenta Aquilejensia*, satis docte, satisque copiose, quibus omnibus, latius deductis, id evincitur, haud constare sibi venditatam vulgo D. *Marci* apud Aquilejenses prædicationem. Incerta dicit Acta *Hermagoræ*, quæ *Marci* discipulum perhibeant eum ac successorem, incertam illius ætatem, incertum Apostolatum. Aliud sententiæ robur derivatur ex difficultate, primis temporibus Ecclesias constituendi, quam dimanasse, Cl. Autor scribit, ex Imperatorum Romanorum ante *Constantinum M.* idololatria, odioque insigni in gentem, Christi doctrinam professam. De ipsa Tridentina Ecclesia probat, eam

post

poſt integrum pæne Seculum, ex quo pax Eccleſiis per *Conſtantinum M.* affulſerit, idolorum cultoribus fuiſſe refertam, quo factum, ut martyrio affecti fuerint *Siſinnius Diaconus*, *Martyrius Lector*, *Alexander Oſtiarius*, ipſeque *Vigilius*. Exinde etiam colligit, inclinante Seculo IV nondum pulſam inſanorum errorum caliginem ab illis Diœceſibus fuiſſe. Affertur in medium objectio quædam, de Eccleſia Gallica Seculo I ad fidem ſalutarem perducta, itemque de exteris nationibus, ab urbe Roma diſſitis, maturius Evangelii lumine colluſtratis, eique docta & ſuccincta reſponſio ſubjicitur. Aliud ſententiæ ſuæ pondus Clariſſ. Autor elicit ex collatione Eccleſiæ Tridentinæ cum finitimis, indeque relinqui exiſtimat, *Vigilii* Tridentini temporibus, ſive inclinante Seculo IV, Eccleſias illas finitimas paucis adhuc Epiſcopis gaviſas eſſe. Subruuntur fundamenta præcipua, quibus adverſa ſtabiliri ſententia ſolet. Subnectitur argumentum Autoris Cl. aliud, quod redit ad faciem Diœceſeos Tridentinæ, qualis exſtitit temporibus S. *Vigilii*, atque incredibile videtur *Tartarotto*, paganos & idolorum cultores tam procul abfuiſſe a civitate Dei, ſi tot ante *Vigilium*, quot feruntur, paſtores Tridentini floruiſſent. Ultimum ſententiæ Autoris robur ſubminiſtrant Acta *Vigilii*, a Patribus *Bollandiſtis* edita, ex quibus apparet, *Vigilium* Martyrem in ſerie Tridentinorum Epiſcoporum tertium duntaxat locum obtinere. Examinatur diſtinctio *Pincii*, ab aliis accepta, qua, qui, a *Jovino* uſque ad *Cyriacum* Epiſcopi Tridentini numerantur, non Epiſcoporum, ſed ſacerdotum, titulo cohoneſtati perhibentur. Reſpondet etiam Autor ad objectionem, a Chorepiſcopis & Miſſionariis petitam, & ad aliam, quæ Eccleſiaſticam Scotiæ hiſtoriam attingit. Quibus diſputatis, *Jovinum*, oſtendit, primum Tridentinorum Epiſcopum non ſine inſigni veritatis ſpecie conſtitui, idque confirmari fide ſcriptorum veterum, *Elenchi Udalricłani*, ac *Bartholomæi*. Huic proximum *Abundantium* dicit. Poſt *Jovinum* in Catalogis vulgaribus multos videt numerari Epiſcopos, qui tamen non pro commentitiis, ſed pro transpoſitis duntaxat, ſint habendi. Ho-

rum igitur Catalogorum errores indicat, eosque emendat. Cum sæpius ab Autore Cl. facta sit *Vigilii* mentio, in medium profert scripta *Vigilii*, idoneis testibus nixus. Examinatur sententia *Natalis Alexandri*, & *Phil. Labbei*, de Epistola *Vigilii*, ad *Simplicianum* scripta. Dicitur de Martyribus Anaunensibus, adversus eundem *Alexandrum*, qui *Baronium* hoc in argumento secutus est, eumque labi exinde declaratur, quod annum 400 martyrio illi assignet, cum incidat in annum 397. Corrigit errorem alium, de Martyribus Anaunensibus, necatis a rusticis, ægre ferentibus eversionem idolorum, ab *Honorio* imperatam, hac opposita ratione, quod, ea ætate, eoque anno, *Honorii* ea de re edicta nondum lata fuisse, verissimum sit. Huic argumento intentus, disputat quædam de S. *Maximo*, Taurinensi Episcopo, digna, quæ legantur, curateque expendantur. Redit ad *Vigilium*, &, quinque libros, contra *Nestorium* atque *Eutychen* scriptos, *Vigilium* quidem quendam autorem habere, scite monet, non tamen Tridentinum, sed *Tapsensem*. *Celsi* Epistolam ad *Vigilium* scriptam esse Tridentino illi, dici posse, judicat, collata sententia quadam tum *Cavei*, tum Editoris Maurini Operum *Cypriani*. Haud etiam admirandum videri, qui *Vigilius* ætate tam tenera ad honores Episcopi fuerit evectus, ex ratione disciplinæ Ecclesiasticæ evincit, qualis ea fuit temporibus primorum Seculorum. Inquiritur in annum tum ætatis, tum Episcopatus, quo martyrium subiit S. *Vigilius*, de eoque incerti dicuntur calculi *Nourrii*, ad *Ambrosii* Epistolam quandam. Labefactatur etiam sententia *Papebrochii*, de Ecclesia Tridentina, a *Theodosio* ditata. Extremo loco oppugnatur *Bernardus de Rubeis*, qui, Ecclesiam Tridentinam Seculo IV Mediolanensi Metropolitæ paruisse, docet. Finis imponitur huic libello tractatione de subjectione Tridentinæ Ecclesiæ, Ecclesiæ Aquilejensi medio Seculo V facta. Ex hoc libri præclari compendio apparet, multiplici laude condecorandum esse Autorem Doctissimum, qui nihil prætermisit, quo præstabile hoc Historiæ Ecclesiasticæ caput pro dignitate excuti, de scriptoribus, inter se digladiantibus, sanum judicium ferri,

Digitized by Google

ferri, ac difficultates variæ facili expeditaque via ſolvi, potuerint. Quamobrem non poſſumus, quin fœtum hunc politiſſimum pluribus de cauſis Lectori commendemus.

INSTITUTIONES MEDICO-MECHANIcæ, Autore JOANNE BAPTISTA MAZINI, Brixiano, in Gymnaſio Patavino Medicinæ Practicæ Ordinario Profeſſore.

Brixiæ, ex typographia Joannis Mariæ Rizzardi, 1739, 4 maj.

Alph. 1.

Celeberrimus Autor, cui præſtantiſſima multa ingenii monumenta, ad illuſtrandam Medicinam mechanicam accommodata, debemus, ejusdem Medicinæ mechanicæ Inſtitutiones foras nunc emittit, in quibus eas quidem quæſtiones, quibus Phyſica generalis abundare *utplurimum ſolet, penitus negligit, ea tamen phænomena, quæ re ipſa ad humanum corpus pertinent*, atque a *Medicis in eo quam maxime conſideranda videntur*, geometricarum atque mechanicarum doctrinarum ope docte explicat. Totum Opus *Diſſertationibus XXVII* conſtat, quibus ea argumenta, quæ in Phyſiologia tradi alias ſolent, pertractantur. Ex ſingulis quædam, qua fieri poterit, brevitate excerpemus. *Diſſertatione I, de mechanicis principiis*, ſeu *principiatis corporum naturalium*, pro mechanicis ejusmodi & ſenſibilibus corporum materialium principiis, in mechanico ſuo ſyſtemate, venditat corpus principiatum, ſeu compoſitum materiale, figuram & motum, utpote modum corporibus & figuris corporum eſſentialem, ex quibus omnia, tam naturalia, quam artificialia, quæ ſub noſtrum ſenſum cadunt, apte explicari queant. Diſſ. I.

Diſſertatione II probatur, *corpus, ſive compoſitum materiale, elaboratum ex particulis actuoſis & elaſticis, inertibusque & non elaſticis, dividi poſſe in particulas minimas & infinite parvas*; omnia etiam corpora, quæ atmosphæras habent elaboratas a propriis effluviis, leges ac vires centrales, ſi non veras, ſaltem veris analogas ac proportionales, ſervare debere pro conſervatione II.

ſervatione univerſi, quarum una centrifuga eſt, per quam effluvia a corporibus exeunt, altera centripeta, per quam effluvia tendunt denuo ad ſua corpora, tanquam ad ſua centra, a quibus emanarunt. Diſſ. III. *Diſſertatio III de corporis materialis diviſione in particulas elaſticas & non elaſticas, ac de æthere & lumine*, agit. Quippe corpus, ſive compoſitum materiale figuratum, acceptum ut genus, non in rigore logico, ſed phyſico, duas potiſſimum habet ſpecies, quarum una actuoſa eſt, & elaſtica, altera iners, & non elaſtica. Ad illam referuntur æther, lumen, aer, & ſulphur; ad hanc aqua, ſal, mercurius, & terra damnata. Æther materies fluida eſt, diaphana, velociſſima, elaſtica, & jure ſuo ſub minima diametro ſphærica, verum ad excipiendam quamcunque figuram, & ſe cuicunque ſuperficiei, loco, & ſpatio, inſtar ſphærulæ cereæ accommodandum, idonea. Materia lucis fuit materia ætherea in actu primo, & potentialiter lucida, inde ſol in actu ſecundo lucis & luminis, tum planetæ, & reliqua corpora luminoſa. Figura particularum luminis ſphærica eſt ſub minima diametro, ſuperficie ac mole, cum elaſticitate earundem, & mira velocitate. IV. *Diſſertatio IV aeris & ſulphuris naturam* exquirit. Aer corpus eſt fluidum ponderoſum & elaſticum. Sulphur eſt principium principiatum, compoſitum ex elemento ſpecifice ſulphureo mixto, & aliquibus particulis æthereis, aereis, & nonnullis ſalinis, paucisque aqueis, quod ſub duplici ſtatu volatilitatis & fixitatis reperitur. V. *Diſſertatione V de principiis inertibus & non elaſticis* diſſeritur. Aqua primo loco nominatur, diciturque elementum eſſe, ex ſe & jure ſuo ſimplex, fluidum, ponderoſum, neutiquam tamen ex ſe comprimendum, & elaſticum. VI. *Diſſertatio VI de Salibus* exponit. Sal eſt corpus firmum & concretum, poroſum, & in aqua ſolubile, conſtans planis ſuperficiebus, in angulos terminatis, ex cujus mole & angulis tota ſalis vis agendi pendet. Sal primigenium determinatam & conſtantem figuram obtinet. Ex plurium autem ſalium primigeniorum unione formantur cryſtalli ſalini, ſimiles & æquales primigeniis, quando ſal ſolum eſt, & ſine ulla ad motum promtitudine, aut cum ſolam aquam ſolamve terram comitem habet, ad fixitatem, ſolutio-

ſolutionem, & fluorem, deducitur; ſi autem ſpiritibus, aut ſulphuribus, aſſociatum per mixti ſubſtantiam excurrit, ſeſeque late explicat, duplicis ſtatus alterius redditur capax, fuſionis ſcilicet, & volatilitatis. *Diſſertatio VII de Mercurio & Terra* inſcripta eſt. Diſſ. VII. Mercurius univerſale velut eſt principium ac baſis omnium mineralium, utpote qui ſub figura ſphærica ſolida ac dura, minime elaſtica, denſitatem, conſiſtentiam, duritiem, & gravitatem, omnibus tribuit mineralibus. Terra autem damnata corpus eſt inutile, vacuum, leve, poroſum, & alcalinum, omnibus principiis, tam actuoſis & elaſticis, quam inertibus & non elaſticis, deſtitutum, nulla propterea actione & reactione præditum, idoneum tamen, quod aeri expoſitum, rurſus ab eo excipiat ſpirituoſas, ſalinas, & ſulphureas, ſubſtantias, aqueas item & mercuriales, ita, ut denuo gravitatem, ſoliditatem, denſitatem, actionem, & motum, aliorum tamen corporum, quibus unitur, beneficio, ſibi comparare queat. *Diſſertatio VIII* VIII. *de Temperamentis* præcipit. In æqualitate, aut quaſi æqualitate, proportionum, ſeu æquilibrio, aut quaſi æquilibrio, momentorum corporum, componentium maſſam humorum, & in ratione homologa fluidorum ac ſolidorum, nec non ſolidorum unius generis cum ſolidis alterius generis, conſiſtit ſanitas & bona valetudo, quæ vere radicem & baſin habet in æquabili, aut quaſi æquabili, æquilibrata fluidorum omnium & ſolidorum inter ſe temperie. Naturale autem hoc temperamentum ordinatus eſt complexus elementorum maſſæ fluidorum & ſolidorum, ex quorum elementorum fluidorum mixtione in ratione reciproca, aut quaſi reciproca, inter ſe componuntur momenta ipſorum in ratione æqualitatis, aut quaſi æqualitatis, quibus reſpondent homologæ actiones & reactiones ſolidorum inter ſe & inter ſolida & fluida ipſa cum æquilibrio, aut quaſi æquilibrio, actionum & reactionum momentorum utrorumque. Simul tamen quoque expendere convenit temperiem ſolidorum. Organa enim omnia, cum in ſtatu naturali moveri & oſcillare continuo deberent proportione æquabili & iſochrona, naturali temperiei fluidorum proportionali, ideo talis ſtatus fluidorum determinabit ſolida temperata, & æquilibrata quoad pondus,

ſi oſcillationes, vires, ac momenta ſingulorum, ſi denſitates, craſſities, moles, pondera, & figuræ, ipſorum geometricum & perfectiſſimum inter ſe æquilibrium ſervaverint. Determinabuntur autem ſolida temperata & æquilibrata quoad juſtitiam, ſi absque notabili exceſſu atque defectu oſcillationum virium & momentorum oſcillationes & momenta ſolidorum ac denſitates, craſſities, moles, pondera, & figuræ, ipſorum cum aliquali exceſſu, vel defectu, non tamen notabili, imperfectum æquilibrium actionum & reactionum inter ſe ſuſtinuerint. In *Diſſertatione IX, de actione ventriculi*, docetur, chylum fieri in ventriculo non ab acidis tantum, non a ſalſis, non ab acido-ſalſis, non ab oleoſis, non ab aqueis tantummodo, ſed a ſuccis varii generis, per glandulas ventriculi mole, ſuperficie, & figura varia, ſecretis. Actio ſalium in cibos diſſolvendos optime cum illa cunei ſpecie, quæ a planis triangularibus elaboratur, puncta ſolidorum angulorum terminantibus, & quæ maxime apta ad penetranda, aperienda, & frangenda, illa corpora, quibuſcum miſcentur, exiſtunt. Succi itaque, qui cibos diſſolvunt, ſeu ſalina priſmata, a glandulis nerveæ membranæ ventriculi ſeparata, penetrare & ſolvere ſolent cibos mechanico opere cuneorum, ita, ut, ſi angulus penetrationis ſalini cunei fuerit minor gradibus 60, aptiſſima evadat atque perfectiſſima ciborum penetratio, & diſſolutio. Quodſi anguli penetrationis ſalinorum cuneorum fuerint majores gradibus 60, tunc inepta fiet penetratio ciborum a cuneis ſalinis, & proinde imperfecta ac manca, & aliquando nulla divulſio ciborum erit ſecutura. Ad cuneos ſalinos intra cibos ipſos impellendos multa conſpirant diverſa, ſcilicet gravitas particularum ciborum, motus eorundem, vis elaſtica corporum elaſticorum, calor viſcerum adjacentium, & extrinſecum momentum muſculorum abdominis, ventriculi, & diaphragmatis.

Diſſ. IX.

X. *Diſſertatio X de motu chyli per venas lacteas* diſquirit. Chyli in duodeno ſeparationi plurimum favent duo ſucci, pancreaticus & bilioſus. Ad impulſum vero per venas lacteas multum conducunt cellulæ, valvulæ, & rugæ inteſtinales, motus periſtalticus inteſtinorum, aer contentus in inteſtinis, & preſſio muſculorum abdominis cum motu diaphragmatis, neque etiam minus

minus actiones & reactiones inteſtinorum craſſorum. *Diſſertatio XI de ſanguificatione* agit. Chyli in ſanguinem mutationem plura adjuvant, nimirum primo intima & perfectiſſima mixtio particularum chyli cum particulis ſanguinis, ſecundo vis elaſtica aeris, cum chylo permixti, tertio actio particularum bilis, & ſucci nervei, quarto vis compreſſionis, quam ſuſtinent particulæ chyli, a ſyſtole cordis & arteriarum in univerſa ſanguinis circulatione. Diſſ. XI.

Diſſertatio XII reſpirationem animalium perveſtigat. Quoties diaphragmate deorſum moto, & ope muſculorum elevatorum thoracis, elevantur coſtæ, ſtatim aer circumfuſus, compreſſus, & denſatus, cum ad fauces præſto ſit, & ad ingreſſum expeditus, ea vi elaſtica, quæ acquiſitæ denſitati proportionalis eſt, irruere debet in pulmones, eosque diviſus & ſubdiviſus ad minima, prout ipſius pondus & elater exigunt, citiſſime aperire. Cum autem os humanum multo ſit amplius area, vel ſectione tracheæ, ſecundum leges motuum fluidorum fluentium in ratione reciproca ſectionum, aer tanto velocius fluere debebit *in aſperam arteriam*, quanto ſectio aſperæ *arteriæ minor eſt area oris humani*. Inſpirato aere veſiculæ pulmonales amplexu elaſtici aeris & particularum luminis dilatantur inſtar ſphæræ, ut exigit ratio æquabilis aeris ac luminis, ac elaſtica reactio. Ergo, quoties luminoſæ & aereæ particulæ occupaverint ſingulas pulmonum veſiculas, neceſſario dilatare debebunt ſingulas bronchiorum cellulas, ut perfectum & completum inſpirationis opus exerceatur. Exſpiratio fit ab ipſomet aere occupante inferiorem pulmonum partem, magis denſato & compreſſo, a vi & momento aeris ſuperioris, ſuperiores veſiculas occupantis, & extendentis. Ita vero aer intra pulmones trahitur, & emittitur, conſpirantibus in inſpiratione elevatoribus muſculorum thoracis, & depreſſoribus diaphragmatis, in exſpiratione vero depreſſoribus muſculorum thoracis & elevatoribus diaphragmatis. Unde neceſſario ſanguis tranſiens per vaſa pulmonaria movetur valide, minutiſſime atteritur, & permiſcetur, cum hujusmodi ſanguinis particulæ cum particulis chyli antea permixtæ fuerint. Ipſe autem ſanguis in pulmonibus motu ſpirali, aut quaſi ſpirali, agitatur. XII.

Diſſertatione XIII de nutri- XIII.

nutritione disceptatur, quæ nihil aliud esse videtur, quam motus particularum, ad eum locum delatarum, quo juxta specificam molem, specificum pondus, & specificam figuram, reparentur, seu restituantur, particulæ proportionales & homogeneæ, secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, æquales, & similes illis, quæ motu & transpiratione continuo deperduntur. Et duo potissimum nutritionis operi necessaria esse videntur, lentus nimirum, lenis, placidusque, motus humorum, & apta fluidorum puritas, una cum elementorum componentium
Diss. XIV. congruentia & similitudine. *Dissertatio XIV de sensibus externis*, & sigillatim *de visione*, exponit. Quoniam omne corpus visibile, vel luminosum, est, vel illuminatum, & corpus luminosum quaquaversus in orbem fundit lineas luminosas, quæ circa id ipsum corpus atmosphæram quandam circularem efficiunt, & quæ cum aliqua latitudine quantitatis, densitatis, & molis, efficere cylindros videntur, corpus autem illuminatum lumen a corpore luminoso excipit, ibi vero cylindri luminosi a singulis punctis superficiei corporis (quibus arctissimo contactu applicantur) situm, directionem, modum, & figuram, facile nanciscuntur, sustinent, & conservant; hinc fit, ut vel per reflexionem, vel per refractionem, vel per utramque, si in oculorum occurrunt humores, in iisdemque singulares pyramides visivas, ope penicillorum opticorum modificatas, & perfectissime figuratas a specificis & singularibus superficiebus, singulorum punctorum objecti in retina depingunt imaginem, picturam, figuramque, singulis objecti punctis similem & proportionalem,
XV. sed inverso situ visione instituta. *Auditus*, cui *Dissertatio XV* destinatur, omnis ratio in eo posita esse videtur, quod aer externos a corpore sonoro motus, undulationesque, concipit, undulationibus aquarum successivis analogas, quæ primo membranam tympani tali ratione obliqui impulsus urgeant, ac sollicitent, ut non solum membrana, verum etiam minimæ illius componentes fibrillæ, specifice adeo inflectantur, ut specificas minimas curvas describant. Cum autem filamenta membranæ tympani tali ratione inflexa & distracta, utpote elastica, ope elastici momenti contractionis restituere sese conentur, distractiones

Digitized by Google

nes & contractiones hujusmodi, quoniam ſpecificos fibrarum motus ac tremores efficiunt, urgebunt, impellentque ſimili impulſu tria illa *officula*, quæ immediate membranam tympani ſubſequuntur; hæc autem officula, ſimiliter mota & impulſa, motu quodam compoſito, ex motu membranæ tympani & officulorum, movent ſollicitantque ſimiliter filamenta nervea nervi *auditorii*, per membranam tympani decurrentia, pariterque filamenta membranoſa labyrinthi, per quæ iidem rami acuſtici effuſi ſunt, ſeu zonas ſonoras, naturali lege in uniſonum tenſas, ex quarum ſpecifica ratione motus, ac ſpecifica ſollicitatione auditus, ſenſatio fit, & oportune perficitur. Prodeſt ulterius actioni auditus oſcillatio, undulatio, & tremor aeris illius, qui probabiliter per foraminulum membranæ tympani ingreditur cavitatem ejusdem, & ab hac per labyrinthum excurrit. Hæc autem aeris portio ſpecifice mota, a ratione motus compoſiti, ex motu membranæ tympani & trium officulorum, undulationes concipit, illis motibus *proportionales* ac *uniſonas*.

Odoratus, in cujus *naturam Diſſertatione XVI* inquiritur, organi membranæ & *fibræ nerveæ*, determinata ſua textura præditæ, non ſolum ratione totius, verum etiam ratione minimarum partium, membranam fibrasque componentium, ſollicitatæ ac motæ ab effluviis corporum odoratorum, ſingulari ratione motis & agentibus contra fibras organi odoratus, coactæ erunt, talem modificationem, talemque curvitatem, excipere, ac talem amplecti directionem, qualibus effluvia corporum odoratorum vi, momento, & impulſu ſuo, exeunte corporibus ſuis, modificationem ſcilicet, curvitatem, ac figuram logarithmicam, aut quaſi logarithmicam, hyperbolicam, aut quaſi hyperbolicam, momentis effluviorum exeuntium proportionata ſunt. Membrana itaque organi odoratus ſimili ratione afficiet membranam ſenſus communis; hæc autem communicando ſimiles affectiones cum corpore calloſo, anima, compenetrata ſenſoriis ſuis, edocta uſu, labore, & tempore, de ſpecificis ſuorum ſenſuum motibus & affectionibus, coacta erit *intelligere* & percipere odores, ac ſpecificas differentias ipſorum determinatas a ſpecificis differentiis curvarum, in ratione logarithmica, aut hyperbolica, elaboratarum Diſſ. XVI.

ratarum a ſpecificis viribus effluviorum, emiſſorum a corpori-
Diſſ. XVII. bus odoroſis. *Diſſertatio XVII ſenſationem guſtus* tractat. Primigenii & ſenſiliores ſapores promiſcue a mixtione ſalium, ſulphuris, aquæ ſalivalis, aliorumque corporum, papillas nerveas mediis viribus, ſollicitationibus, ac motibus, ex pluribus compoſitis, ſollicitantium, repetuntur, e. g. ſapor dulcis a ratione æqualitatis inter miſcelam talis & bene concocti ſulphuris, aut ex qualicunque ſulphuris præpollentia ſuper reliqua corpora ſalina, & aquea ſalivæ, deſumi poſſe, veriſimile putatur. *Sen-*
XVIII. *ſationem tactus Diſſertatio XVIII* perſequitur. Ex vario objectorum momento varia exercetur papillarum flexio, inflexio, curvitas, variusque inclinationis gradus, quæ rationes motuum per membranas papillas inveſtientes, communicato conſenſu fibrarum medullarium cum cerebri fibrillis, æqualibus motibus, aut proportionalibus, ſollicitant animam, ipſique compenetratam homologe urgent, ac ſtimulant, quibus objecta ſollicitan-
XIX. tia ſentire & judicare anima teneatur. Hinc *Diſſertatione XIX probabiliter gradus diſtractionum & contractionum fibrarum ſenſibilium, per quas ſenſationes excitantur, & tam in ſenſibus externis, quam internis, fiunt*, eruuntur, ex qua tamen, niſi nimis extendenda ſit hæc recenſio, nihil huc transferre licet.
XX. *Diſſertatio XX ſenſus internos*, & primo quidem potentiam imaginationis, reſpicit. Hæc vero explicatur per actionem primo-primam animæ, qua motus primo-primus fibrarum cerebri, excitatus ab objecto primo, incipit ſollicitare atque excitare a-
XXI. nimam fibris compenetratam. *Diſſertatio XXI potentiam diſcurſivam*, ſeu *intellectivam*, complectitur. Sedes animæ in corpore calloſo, & probabiliter in reliquis etiam cerebri partibus, ſub figura circulari conſtitutis, relationem & communionem habentibus cum corpore calloſo, collocatur. Intellectus nihil aliud eſſe videtur, quam illa actio animæ, qua jure ſuo operatur intelligendo. Anima enim, quæ primo ſollicitata fuerat a primis imaginationis motibus fibrarum cerebri, cum ſucceſſive continuetur ſollicitatio, profecto coacta erit hiſce motibus ſucceſſivis & perdurantibus alte animadvertere, animadverſione autem facta, paulatim tenetur uſu & habitu exercita comparare

motum

Digitized by Google

motum unius fibræ cum motu alterius, unam differentiam, ſeu proportionem, motus *iſtius*, cum differentia, aut proportione, motus alterius, & *ſic* ſucceſſive. Propterea anima fibris compenetrata cum ex *ſe ſingulares* motus ſpecificos, differentias, & proportiones, *non* ſolum ſingulorum motuum, verum etiam motuum *comparatorum* inter unam fibram & alteram, perfectiſſime *ſentiat*, comparando hos motus inter ſe, & has motuum *rationes* ac differentias, aliquando ex ſe has dividit, aliquando invertit, aliquando permutat, aliquando componit, denique colligit & æquat, quibus actionibus anima, uſu & habitu facto, diu exercita, tandem acquirit labore quidem ac tempore ſcientiam ſingulorum objectorum, aut internorum, aut externorum, item ſcientiam ſingularium affectionum & paſſionum objectorum eorundem, quæ antea ſolum confuſe & abſtracte animam vi imaginationis ſollicitaverant; hinc ab obſcuris ad clara, ab ignotis ad nota, paulatim progreditur, & intelligit, & intelligendo potentiam diſcurſivam exercet. In hac actione anima jure ſuo agens, *oblivioni tradita repetere* quoque poteſt; proinde *tantorum motuum beneficio*, qui relativi, ſeu comparativi, dici poſſunt ac ſpecifici, tandem aliquando anima, acquiſita rerum ſcientia, affirmat, aut negat, & per diſcurſum, ſeu ratiocinationem, ad ulteriora procedit. *Diſſertatio XXII potentiam* Diſſ. XXII.
memoriæ explicare conatur. Memoria dicitur actio animæ, qua hæc ipſa poteſt ſollicitare ac ſtimulare ſuasmet fibras cerebri & corporis calloſi ad rurſus excitandas ac repetendas ſpecificas differentias motuum & tremorum, ſeu ad denuo excitanda illa ſpecifica phantaſmata in fibris circularibus cerebri, & corporis calloſi, quibus compenetrata eſt, a quibus motibus, ſeu phantasmatibus, antea per repetitas utplurimum vices fuerat ſollicitata, vel in imaginatione, vel in diſcurſu, vel in utraque potentia. *Diſſertatio XXIII* in *motum animalium*, & exiſten- XXIII.
tiam ſucci nervei, inquirit. Hæc probatur ex compoſitione canalium, ex ingenti copia ſanguinis, per arterias ad cerebrum delati, a legibus naturæ, quæ in actionibus vitalibus & naturalibus exercendis ſemper indiget fluido & ſolido, adeoque etiam in animalibus actionibus eo opus habere, veriſimile reddi-

tur, ex obſervationibus *Malpighii* in ovo incubato, itemque in nervo diſciſſo, quibus confirmatis, argumenta eorum, qui fluidum nerveum vocant in dubium, refelluntur. *Diſſertatio XXIV* diſquirit, *quomodo fiat motus voluntarius in animalibus.* Noſter *Cowpero* aſſentitur, qui, ſtructuram & compoſitionem nervorum non eſſe elaboratam ex tubulis, ſecundum longitudinem nervorum perviis, ſed ex cellulis, globulos repræſentantibus, obſervationum ſuarum fide contendit. Anima igitur, motum alicujus muſculi pro motu voluntario cujusdam organi exercendo intendens, ſpecificam ſollicitationem efficit, contra primam ſeriem eorum nervorum, quam anima, uſu, labore, & tempore, exercita atque edocta, eminenter cognovit neceſſariam, ſive naturalem relationem, conſenſum, & communionem, habere cum dato muſculo. Impetu enim ſpecifice facto in primam illam ſeriem cellularum ſphæricarum nervearum, talibus muſculis reſpondentium, communicatione contactuum & preſſionum elaſticarum, a prima ſerie ſphærularum in ſecundam, a ſecunda in tertiam, a tertia in quartam, & ſic ſucceſſive, tunc ſine ulla fere temporis differentia ultima ſeries ſphærularum nervearum impetum & niſum oſcillatorium excipiet ſimilem & æqualem momento oſcillatorio, quo prima ſeries preſſa fuerat, & impulſa imperio animæ, ſuppoſitis ſemper tam in nervis, quam in muſculis relativis, tam in cellulis ſphæricis nervorum, quam in machinulis ſphæroidalibus muſculorum, reſpondentibus apto & debito contactu æque ac debita inter ſe tenſione. *Diſſertatio XXV motum naturalem*, ſeu *involuntarium, animalium* explicat. Is a cerebello, ſicut voluntarius a cerebro, derivatur, cum nervi, ex iſto prodeuntes, motum iſtum ſuſtentent. Cum enim ſubtilior anatome doceat, totam cerebelli ſubſtantiam nihil aliud eſſe, quam aggeriem ſegmentorum circularium tam in parte interna, quam externa, tam corticali, quam medullari; veriſimile eſt, a tali ſegmentorum circularium cerebelli compoſitione, naturam hæc duo intendiſſe, primum, ut beneficio ſpatiorum, ſeu arearum, quæ in ſegmentis circularibus continentur, comprehendantur in cerebello majora fluida nervea, numero, motu, & elatere; alterum,

Diſſ. XXIV.

XXV.

ut

ut opere oſcillatorio tantorum ſegmentorum circularium fierent ac conſervarentur continuæ, æquabiles, & conſtantes, oſcillatoriæ motiones & actiones, tot operibus naturalibus & involuntariis pro motu fluidi nervei neceſſariæ. *Diſſertatio XXVI generationem animalium* ediſſerit. Hanc quidem Cel Autor neutiquam eo modo, quo a recentioribus fieri adhuc conſuevit, explicat, ſed aliam viam, qua multa ex veterum placitis retinet, ingreditur. Quippe ex illius ſententia ſeminalis materies tam in maſculis, quam in fœminis, a tota animalis machina derivatur. In teſtibus ergo virilibus exiſtunt collecta ſeminalia corpuſcula, cujuscunque indolis, potiſſimum ſalinæ, ſingulis partibus maſculi debita & proportionalia, in fœminis autem ſeminalia principia, præcipue ſalina, fœmineis partibus proportionalia & homogenea. Tempore concubitus tota uteri, tubæ *Fallopianæ*, & ovarii, moles interna & externa, ab elaſtico calore actuata, altiſſime rarefit, & poroſiſſima redditur; mox, immiſſo virili ſemine, tenuiores & volatiliores *ejus* particulæ, *ſalinæ* præcipue indolis, *(in quibus potiſſimum colligitur in graphidem virilis embryo,)* ex ſoluta parte craſſiore ſeminis, ſpirituoſo & elaſtico momento, probabiliter per tubas *Fallopianas*, irruunt in tenuiſſimas membranulas, ovaria continentes, jam rarefactas, apertas, poroſasque redditas, hacque vi penetrant & occupant internas & contentas ſeminales particulas, in quibus fœminea componentia inſunt. Oſculo igitur aliquo ad excipiendum fœcundum ſemen virile diſpoſito, in eo mutua conſequitur mixtio, inter particulas potiſſimum ſalino-ſeminales tum fœminæ, tum maſculi, factaque mutua actione & reactione, & inter ſe perfectiſſima mixtione, unde prima fit actio generationis, ovi videlicet fœminei fœcundatio. Ovum ejusmodi hinc neceſſario dilatatur & extenditur ad majorem ſuperficiem & molem, & a reliquis immaturis ſeparatum, a tubaque *Fallopiana* exceptum, hujus fimbriarum muſcularium ope paulatim in uterum promotum, inibi, tanquam proprio in loco, conquieſcit. Actione & reactione elementorum utriuſque ſeminis ſenſim remittentibus, eadem inter ſe permixta in fluido illo, quod ex feroſo genere perfectiſſimæ indolis eſt, & colliquamentum vo-

Diſſ. XXVI.

catur, placidiſſime innatant, &, acquiſita neceſſaria quiete, cum ſint diverſæ gravitatis ſpecificæ, incipiunt pedetentim dirigere ſemet ipſa ad occupandos eos ſitus, & ea loca, quæ ad amuſſim, natura tamen bene operante, ſuis gravitatibus ſpecificis proportionalia eſſe ſolent, ſimili lege ac ordine, quibus natura, unitate gaudens, utitur in formatione aliorum corporum ſecundum experimenta, ab Autore commemorata. Propterea ſingula elementa ſeminalia, ſalina potiſſimum, a ſingulis partibus maris & fœminæ decidua, tandem aliquando obtinere debebunt ea præciſe loca homogenea, ſpecificis partibus, a quibus deciderunt, & ſuis gravitatibus ſpecificis, proportionalia, atque ita totam parvulam machinulam humanam componunt, ſingulæque partes majoris machinæ futuræ erunt minimis partibus parvulæ machinulæ, in ovo contentæ, proportionales. En itaque hominem eodem fere modo genitum, quo *Epicurus* quondam mundum coaluiſſe ſomniavit. Anima infundi demum ſolet organis, animalibus, vitalibus, & naturalibus, oportune elaboratis, completisque ſecundum ſpeciem humanam, cujus verum tempus tam accurate determinari nequit. Diſſ. XXVII. *Diſſertatio XXVII. lactis generationem* exponit. Ad hanc plura conſpirare, probabile eſt, ſanguinem videlicet, chylum, lympham, ſuccum nerveum, & pinguedinem ipſam, una cum mechanica glandularum mammariarum actione. Glandulas has ovalis eſſe figuræ, jam olim *Malpighius* obſervavit. Cum vero ovalis figura ſit elliptica, aut ellipticæ figuræ analoga, quæ ſuperficiem curvam obtinet, determinatas axium directiones, & determinata focorum loca, ideo ſpecificæ ſecuturæ erunt ejusmodi glandularum ellipticarum oſcillationes, ſpecifici motus, ſpecifici tremores, & ſpecificæ actiones, reactionesque, præcipue in punctis & locis focorum fluidis communicandæ, a quibus conſequi debebunt ſpecificæ triturationes, mixtiones, transmutationes fluidorum contentorum, & inde impulſus ac ſeparationes ipſorum, a natura geometra per ellipticas glandulas inſtitutæ, hinc ſpecifici colores albiſſimi, & ſubdulces ſapores, in lacteo fluido, conſequentur. Quæ Cel. Autor hic prætermiſit capita, e. g. de ſecretione bilis, ſalivæ, urina, &c. ut omnino ad Inſtitutiones,

Digitized by Google

ſtitutiones, ſi vel ſolam Phyſiologiam complectantur, pertinent, alio forſan loco repetet. Librum enim de pulſibus & urinis, pro totius Medicinæ mechanicæ complemento, in Præfatione harum Inſtitutionum, editurum ſe, pollicetur.

DE PHIALIS VITREIS, EX MINIMI SILICIS caſu diſſilientibus, Acroaſis, experimentis & animadverſionibus illuſtrata.

Patavii, typis Seminarii, 1743, 4.

Plag. 3, Tab. æn. 1.

Superioribus annis Autor Florentiæ, Bononiæ, & in aliis clariſſimis Italiæ urbibus, nuperrime etiam Pariſiis, experimentum fuiſſe peractum, tradit, quo docemur, phialas vitreas, injecto ſilice vel minimo, dirumpi, ac in particulas paſſim disjici. Ipſe hoc experimentum una cum *Stephano Droghio* & *Petro Ballerino*, viris ingenio & induſtria in rebus mechanicis potiſſimum præſtantiſſimis, repetivit. Deſcribit illud hac exercitatione, ac in ejus cauſas ſedulo inquirit. Quid phialæ vitreæ, in ellipticam velut figuram conformatæ, collo inſtructæ, fundoque craſſiori conflatæ, ſint, illud neminem facile fugit. Si minimum vel ſilicis, vel adamantis, vel cryſtalli montanæ, vel alius materiæ admodum ſolidæ atque elaſticæ, fruſtulum, ex orificio demiſſum, deciderit; illico phiala in plures finditur partes, & non ſine modico fragore ac ſono crepat diſſilitque. Autor operæ pretium duxit, hac lucubratione in illud naturæ ſpectaculum inquirere. In *tres Partes* eam omnino diſtinxit. In *prima* artem curamque, a fabris vitriariis in iis conflandis adhibitam, diligenter expoſuit. In *ſecunda Parte* experimenta, a ſe ſuiſque amicis effecta, commemoravit. In *poſtrema* denique *Parte* conſectaria, ab experimentis obſervationibusque ſapienter deducta, explanavit, ut in cauſas mirandi effectus quam proxime penetraret. In *Parte prima* monet, nihil in rebus naturalibus fieri per ſaltum, nec corpus a primo ad extremum gradum, intermediis omnino prætermiſſis, traduci. Approbat etiam *principium*, quod vocant, *indiſcernibilium*. Adornavit

ornavit amplam ſupellectilem ſilicis, cryſtalli montanæ, chalybis, orichalci, ſtanni, ferri, marchaſitæ, metalli mixti, ac vitri, aliarumque rerum. Libram ad manus habuit admodum exactam, & æſtimandis minimis ponderibus rerum, quæ in phialas demitterentur, aptam, nec non horologium oſcillatorium *Hugenianum*, & antliam pnevmaticam. Chartulam concinnaverat, ita formatam, 

cujus pars *a b* rectangula, duas lineas circiter lata, totidem pollices longa, finitori parallela, ab orificii phialæ ambitu ſuſtentabatur, hujusque centro punctum *e*, ſcilicet magnitudinis *a b* centrum, recte reſpondebat, ubi fruſtulum ſilicis, ei concreditum, fundum phialæ recta ſpectabat; interim altera pars *d e*, alteri *a b* ad perpendiculum imminens, veluti vices manubrii gerebat. Campanam vitream adhibuit, collo aperto ſuperius inſtructam, cui annulum orichalceum, duos pollices altum, introrſum indiderat atque ferruminaverat, ea diligentia & cura lævigatum, quali artifices in antliis pnevmaticis poliendis utuntur. Annuli cavitas excipiebat cylindrum orichalceum ſolidum, illi optime congruentem, capulo inſtructum, oleo craſſo inunctum, ut in gyrum inſtar epiſtomii verſari poſſet, neque extimo aeri aditum permitteret. Centro baſis inerat altum foramen, cochlea fœmina circumcirca ita elaboratum, ut exciperet cochleam marem, in quam deſinit ferrum, nexum duplici unco alteri altiori, alteri humiliori. Hoc rerum apparatu inſtructus, ad experimenta acceſſit. Campanam vitream diſco antliæ impoſuit. Uncum vero ita chartulæ aptavit, ut minima ſui converſione in ipſam incidens, rectangulam everteret, ac fruſtulum ſilicis, ab ipſa deturbatum, demitteret in phialæ fundum. Uncum modo altiorem, modo humiliorem, ipſi *c d* perpendiculo applicabat, prout id phialæ exigebat altitudo ac menſura. Experimenta cœpit peragere ſumtq ſilice puriori, quem chalcedonium vulgo nominant, ponderato gr. 1 ✱ $\frac{5}{6}$, & puncto *e* chartulæ *a b* eundem credidit, aeremque diligentiſſime exhauriendum cu-
Pag. 9. ravit. Quo rite præſtito, minima cylindri converſione ſilex
in

in fundum phialæ actutum demiſſus eſt, ac ſine ullo fragore crepituve promte diſſiliit, nec inter ſilicis caſum & diruptionem phialæ vel *minimum* tempus interceſſit, quod ſenſibus, vel horologio, *diſtingui* poſſet. Idem, ſilice communi uſus, cujus pondus *gr.* 5 + $\frac{13}{72}$ æquabat, expertus fuit, exitu omnino pari, præterquam quod phialæ diſruptæ fragmenta longe copioſiora & exiliora ſpectantibus apparuerunt. A ſilice ad cryſtallum montanam gr. 2 + $\frac{15}{72}$ ſe convertit, eventu rurſus eodem; nec minus alteri ſimillimo, qui mox marcaſitæ gr. 6 + $\frac{1}{72}$ caſum ſecutus eſt. Verum res aliter cecidit, cum chalybis temperati gr. 3 + $\frac{3}{4}$ marcaſitæ ſuffecit. Integra enim phiala conſtitit intra campanam, aere exantlato; mox vero eodem reſtituto, poſt tres ſexageſimas horæ partes præter omnium exſpectationem penitus crepuit. Iterum rem aggreſſus, chalybis pondus auxit, quod erat omnino gr. 9 + $\frac{1}{4}$, ſtatimque phiala *in* multo minora fruſta diſciſſa fuit, quam acciderat in ſuperioribus experimentis. Libuit etiam indolem *phialarum explorare* metallo mixto, orichalco, & *aliis ſimilis materiæ particulis.* *Tunc phialæ vim & impreſſionem decidentis* metalli integræ omnino ac conſtanter ſuſtinuerunt. Eadem experimenta, quæ in vacuo ſpatio inſtituerat, mox in aere libero repetiit, quibus alia plura addidit, non ſemper eadem methodo uſus, parem exitum penitus nacta, niſi quod phiala, quæ in antecedentibus experimentis inter uſum chalybis temperati gr. 3 + $\frac{3}{4}$, aere reſtituto, poſt tres ſexageſimas horæ partes interciderat, altera hic poſt duas ſexageſimas ſexageſimarum diffracta periit. Aurum, orichalcum, ſtannum, plumbum, hydrargyrum, vitrum, *ipſe* iterum iterumque adhibuit, nihilque unquam ſenſit, quod aliquam ſtatus mutationem in phialas induceret, præterquam quod aliquando in vitro ponderis 29 gr. vel minoris, ad fundum decidente, phiala diſrupta fuit. Iteravit ipſe experimentum ſumtis adamantibus, ſmaragdo, atque carbunculo. Comperit re ipſa, exitum, eis quoque in fundum *demiſſis*, conſecutum eſſe conſuetum, & quidem eo celeriorem, quo minoris ponderis erat adamas, vel gemma. Quo facto, candentibus prunis impoſuit phialam, eamque ibi retinuit, donec aqua Pag. 10.

in vaſe proximo ſita ebulliret. Mox, fruſtulo filicis communis per orificium in phialam demiſſo, nihil contigit attentione dignum, capto primo experimento; cum vero illud iteraret, pondere filicis nonnihil aucto, phiala rimis pluribus hiavit; tertio experimento diſſiluit æque ac in quarto, in quo cryſtallum montanam admodum exiguam adhibuerat. Idem eventus fuit in quinto ac ſexto experimento; dum aqua, in fundum phialæ ferveſcentis ebulliens loco filicis fuit effuſa, nequicquam fundum phialarum convexum ſæpius tentavit, vi mallei etiam adjuncta. Aliquando phialam ita inclinavit, ut ſitus illius omnino parallelus eſſet horizonti. Mox, filice per orificium immiſſo, ita eam paulatim evexit, ut, dum horizonti ad perpendiculum inſiſteret, filex attingeret fundum, integro phialæ ſtatu. Ea tamen manibus excuſſa, ac proinde filice vel montana cryſtallo nonnihil commota, & in hanc, vel illam, partem aliquando acta, ex manibus excidit dirupta. Inſtituit porro Autor in liquoribus experimenta. Primum phialam frigida unice madefecit, & chalcedoniæ filicis adhibuit granorum $1 + \frac{5}{8}$, & poſt 20 minuta ſecunda, manu excuſſa, crepuit. Eodem filicis fruſto altera, dum aqua dimidiam partem affuſa erat, ad examen eſt revocata, elapſisque 15 minutis ſecundis idem fere ſpectaculum prodiit. Tertia vero phiala, aqua ſimiliter affuſa, ac demiſſis in eam filicis gr. $3 + \frac{1}{4}$, poſt tria minuta ſecunda tantum rimas duxit, fumusque leviſſimus ex illis erumpere vi-
Pag. 11. ſus eſt, ſcilicet incurſu aquæ in vitri pulverem excitus. Experimentis abſolutis, fragmenta phialarum, eorumque indolem, Autor exploravit. Pleraque deprehendit ſcabra, corrugatis veluti plicis ac ſquamis contexta, ſciſſilibus inſtar lapidis ſpecularis, qui in ſubtiles laminas cultri acie findi ſolet. Sæpe tamen ea erant ſolidiora, ac nonnulla perſtabant rigida, ea præcipue, quæ fundi centro contigua erant, & convexo propiora. Nam vel malleo percuſſa manebant integra. Raro diſruptio conſurgit in collum. Pars fundi centro proxima, & in convexum apicem extrinſecus definens, ceteris ſolidior perſtat. Sed hæc hactenus de experimentis. Nunc etiam de cauſis phænomenorum diſpiciendum videtur. Compages corporum ſol-

vitur,

Digitized by Google

vitur, æquilibrio ſoluto. Et, quia natura non amat ſaltum, corpora tenduntur, vibrantur, ac producuntur, antequam dis- Pag. 12.
rumpantur, alia *magis*, alia minus. Corpora ſingula reſiſtunt mutationi ſtatus *ſui* ſecundum maſſæ rationem. Effectus omnes nonnihil *inter ſe* differunt, quia non dantur cauſæ æquales. Si quæris, *cur* phialæ, aeri expoſitæ, veluti ſponte ſua diſſiliant, reſpiciendum eſt ad vitri naturam, ad fundi craſſitiem, & ad aeris *frigidi* in ferventiſſimas partes impreſſionem. Nam, hiſce demtis, ea nec fatiſcunt, nec diſſiliunt. Lachrymæ vitreæ ferventiſſimæ, in frigidam conjectæ, franguntur pleræque. Vitrum craſſum, intus vacuum, æſtuanti igni admotum, illico rumpitur. Ligna ipſa ac glebæ, ſubito gelu concretæ, vel finduntur, vel rimis hiant. Hinc, quia frigus corpora contrahit ac denſat, calor explicat & expandit, extimæ vitri fibræ, repente 13.
contractæ, ad minus volumen rediguntur, dum intimæ adhuc expanſæ reſtant. Hic niſus in diverſa & contentio rationem diruptionis continet. Partes vero differunt *diſpoſitione* ac textura, magnitudine, *craſſitudine*, & *figura*. Quare vi diſrumpuntur, *prorſus inæquali*. Unde non eſt mirum, ſi aliæ incolumes perſtant, aliæ diſpereunt. Niſi enim vis, qua vitri elementa ac fibræ tenduntur, tanta ſit, ut nexus firmitatem excedat, diſtrahentur quidem, non tamen abrumpentur; ac ita ſeſe conformabunt, ut nova virium acceſſione intercidant omnino. Quæ cum Noſter ad phialas accommodaſſet, vitrum ductile, quod malleo fingi poſſit, explodit. Reddit inde rationem, cur vitrum ſit fragile, atque metalla ſint firma. Forma are- 15.
næ eſt multiplex & indefinita, ideoque hæc non admodum cohæret. Corpora, quo magis ſunt elaſtica, eo plus favent vibrationibus excitandis in corporibus æque elaſticis. Quid vero magis eſt elaſticum vitro? Quæ ſi cum Autore ad hæc experimenta applicaveris, in rationem diruptionis phialarum videris incidiſſe. Aeri hic nihil rationis tribui poteſt, ſiquidem, eo exhauſto, experimenta nihilo minus procedunt. *Concludimus* 22.
tandem terminos recenſionis noſtræ verbis, quæ ſub finem tractationis Autor adhibuit: *Phialarum phænomenon Philoſophi recens obſervarunt, & multa fortaſſe inſtitutis hactenus experi-*

mentis desiderantur, a posterorum curis supplenda, quibus sera dies lucem afferet clariorem.

Neuentdeckte Phænomena von bewundernswürdigen Würckungen der Natur, welche bey der fast allen Cörpern zukommenden electrischen Krafft, und dem dabey in der Finstern mehrentheils erscheinenden Lichte, einige berühmte Männer durch viele Experimenta zu unsern Zeiten glücklich hervorgebracht, ꝛc.

id est,

RECENS DETECTA PHÆNOMENA ADmirandorum naturæ effectuum, quæ circa vim electricam, eique intra cameram obscuram plerumque annexam lucem, nonnulli celeberrimi Sodales inclytæ Regiæ Anglicæ Scientiarum Societatis, præcipue vero Hauksbejus & Grajus Londini, ac deinde Dominus du Fay Parisiis, per copiosa experimenta nostris temporibus feliciter ostenderunt, nunc demonstrata, & ad hypothesin commodam reducta, a JOANNE GABRIELE DOPPELMAYERO, Cæs. Leopold. Carolinæ ac Petropolitanæ, nec non Anglicæ Regiæ, ac Borussicæ Regiæ Berolinensis, Scientiarum Societatis Sodale, ac Mathem. Prof. Publ.

Noribergæ, apud Wolfg. Mauritii Endteri hæredes & Engelbrechtiam, 1744, 4.

Plag. 12, Tabb. fig. æn. 5.

Physices magnam partem explet in præsens doctrina, quæ de corporum plerorumque vi electrica exponit. Vetustissimi Philosophi vocarunt *succinum* nomine *electri*, nec præterea soliciti fuerunt, an vis electrica aliis quoque insit corporibus. Ineunte superiori Seculo *Guil. Gilbertus*, Anglicæ nationis decus, primus fuit, qui vim electricam in aliis corporibus deprehendit. Institerunt eundem tramitem recen-

Digitized by Google

recentiori ævo *Rob. Boyle* & *Rob. Plot*, ac vim illam fere in ſingulis corporibus agnoverunt. *Otto Guerickius*, Conſul Magdeburgenſis, medio ſuperiori Seculo comperit feliciter, corpora electrica repulſione æque ac attractione ſcatere, dum globum ſulphuris, qui quinque, vel ſex, pollices diametro æquabat, circa machinam celeriter in gyrum circumegit, ac affricta manus electricam reddidit. Idem deprehendit, hoc ipſum *corpus*, vi electrica jam indutum, intra cameram obſcuram memorabili luce apparere præditum. Nemo poſthæc per decurſum ejus Seculi aliquid in hoc argumento evolvendo tentavit. Tandem *Hauksbejus* paulo poſt hujus Seculi auſpicia, & *Grajus* A. 1720, Londini gradum protulerunt ulterius, ac loco ſulphureorum corporum corpora adhibuerunt vitrea, &, experimentis compluribus inſtitutis, varia electricarum materiarum phænomena exhibuerunt, quæ inſignibus acceſſionibus Cl. *du Fay* Pariſiis confirmavit. Vires ſuas merito eapropter Cel. Vir contendit, ut argumento huic formam conciliaret ſyſtematicam. *Tractatio* ipſius, operoſe concinnata, *in duas abit Partes. Priori* ipſe recenſuit ea phænomena, quæ de vi electrica jam exſtant, alibique detecta ſunt, demonſtrationibus 17, easque experimentis 196 confirmavit. *Poſteriori* explanavit *Parte* phænomena, quæ fundunt intra locum obſcurum lucem, electricis corporibus fere communem, demonſtrationibus quinque, quas 74 experimentis illuſtravit. Nec obliviſci debemus annotationum creberrimarum, quas paſſim inſeruit, ſaturaque lance lectoris adjecit in gratiam. Præmiſit tractationi & Præfationem, e qua hæc decerpſimus, & *Capita duo*, quibus de natura & diviſione corporum electricorum commentatus fuit. *Capite*, quod illa ſequitur, *tertio* Pag. 12. monſtravit, vim electricam corpora nonnulla leviora per attractionem ac repulſionem in notabilem, eamque inæqualem, commotionem deducere, idemque phænomenon accidere in magnis gravioribusque corporibus, ad levem motum accommodatis. Addit demonſtrationem quartam, qua docet, vim electricorum corporum electricam poſſe cum corporibus aliis ita 22. communicari, ut hæc attractionem ac repulſionem conſequantur.

Pag. 24. tur. Demonſtratione quinta oſtendit, vim illam in vitreis ac
27. reſinoſis corporibus eſſe obviam. Sexta docet, vim hanc cum corporibus propinquis, quæ ſunt gravia, & vim electricam per ſeſe reſpuunt, communicari aliquando non poſſe, licet com-
30. motioni apta poſſint reddi. Septima demonſtratione tradit, vim eandem afficere in proximo corpora viva, mortua, & inanimata. Demonſtratione octava oſtendit, vim illam electricam ad
34. varias diſtantias, immo ad intervalla remotiſſima, verſus ſingulas mundi plagas per lineam communicationis exigua objecta,
40. haud ſecus ac fere in proximo, attrahere & repellere. Nona condocefacit lectorem, vim illam etiam in curvos ſitus, in curvas, circulares, aliasque, lineas per attractionem & repulſionem
43. edere ſuos effectus. Decima monet oſtenditque, vim illam, in corporibus, vel ægre, vel prorſus non, induendis eadem, per diſtantiam ob diverſa momenta circumſtantia, præcipue ob intercapedinem, intercipi, at vero per corpora electrica prorſus calefacta promoveri. Undecima demonſtratione ad liquidum perducit, vim electricam, in corporibus, quæ coloribus vulgaribus vel tincta, vel obducta, ſunt, diverſis effectibus gaudere, in naturalibus vero coloribus effectus exhibere eos-
48. dem. Demonſtratio 12 docet, vim eandem æque per vitrea ac metallica vaſa transire, & in eis effectus edere ſuos haud ſe-
50. cus atque in aere libero. Demonſtratio 13 oſtendit, vim electricam, e tubo vitreo productam, imminui, ac propemodum perimi, prouti exterior, vel interior, ejus ſuperficies hac, vel illa, materia obtegitur. Demonſtratione 14 Cl. Autor tradit, vim hanc tolli in vitreo vaſe, in quo aer aut eſt attenuatus, aut con-
52. ſolidatus, aut acceſſu caloris expanſus. Demonſtratione 15 docet, vim electricam in nonnullis filis, quæ in centro vitrei vaſis, vulgo *Recipientis* dicti, affixa ſunt, evacuato hoc, ac ad machinam celeriter mobilem fortiter affricto, ſimul ac digitus,
55. vel manus, ibi applicatur, ſingularibus e motibus cognoſci. Demonſtratione 16 docuit, vim eandem agere haud minus verſus centrum rotati reſinoſi corporis, vel vaſis illius vitrei, aere pleni, circa axem ſuum agitati, & probe ſimul fricti, ſimul ac fila nonnulla extrinſecus artificioſe aptantur, diverſisque motibus

bus applicantur. Demonſtratione 17 fit planum, vim illam quoque cum liquoribus interventu communicationis conjungi, ac eam, accedente ac propinquante corpore electrico, ad diverſos altitudinis *gradus* evehere, quo ipſo liquores illi objecta levia & exigua ad ſe trahendi, ac a ſeſe repellendi, facultate pollent. Hæc eſt ſumma *Partis prioris. Altera*, ſeu *poſteriori*, *Parte* exhibentur cetera nobiliſſimæ Commentationis momenta. Procedit, ac attentionem ſpectatoris vocat, Demonſtratio 18, qua oſtenditur, electricitati innatam eſſe lucem breviſſimæ moræ intra locum obſcurum. Demonſtratio 19 oſtendit, præter eam lucem in corporibus vivis mortuisque ac inanimatis, per communicationem vi electrica inſtructis, poſt acceſſum gravioris, vel non electrici, corporis ſentiri ac obſervari ſubtilem hiandi conatum, ac punctionem ferventem, una cum nonnullis ſcintillis in camera obſcura. Demonſtratio 20 docet, e contrario in corporibus vivis mortuisque & inanimatis, quibus antea per communicationem vis electrica conciliata fuit, *admotis corpuſculis levioribus, vel difficulter vi electrica indui ſolitis, nec conatum ſibilandi, nec ſcintillas, ſed in multis duntaxat lucem, in obſcuro obſervari.* Demonſtratio 21 perſpicuum efficit docetque, lucem, ſi vitreum vas evacuatum per attritionem exteriorem vi electrica inſtructum fuit, & duo denſa corpora in eo opera machinæ convenientis ſupra ſeſe invicem teruntur, in vacuo fortius, quam in libero aere, ſe prodere. Hæc vero obſervatio ceſſabit, poſtquam aer in aliud vas vitreum ſcopo conveniens quadantenus intruditur, aut is inde extrahitur, ac illud in evacuato vaſe majori fortius teritur. Demonſtratio 22 docet, lucem peræque obviis fluidis corporibus, ac ſubtilem ſibilum, ſæpius ſcintillis aliquot comitatum, opera applicati commode tubi ac digiti juxta quoddam ejusmodi corpus notari. Hæ ſunt illæ Demonſtrationes, quæ experimentis, debite peractis, ſuperſtructæ intelliguntur. Subjiciuntur eis *Capita duo*, quorum priori phænomena electricitatis ad hypotheſin reducuntur; poſteriori expenduntur phænomena lucis ignisque, quem viva corpora perſentiſcunt intra electricitatis momenta. Facile eſt intellectu, corpora, electricitate gaudentia, emittere

Pag. 56. 63. 68. 70. 74. 86.

emittere ex cogitatione ac adfrictu ætherem, ab aere distinctum, ei tamen inhærentem. Ipsum esse corpus quoddam, patescit ex effluviis, mobilibus ad regulas mechanicas, ex odore sul-
Pag. 76. phureo, ac ex puncturis urentibus, quas sustinent homines, appropinquantes corporibus, vi electrica instructis. Esse vero id admodum subtile, cognoscitur ex effluviis electricis, per locum aere vacuum penetrantibus. Si illud cum aere est conjunctum, fortius id afficit, ac vehiculo ejus armatum eo penetrat, quo, si illo exutum esset, haud penetraret sat fortiter. Parum abest, quin Cel. Autor transeat in opinionem
79. *Hauksbeji*. Quantum ad lucem electricam attinet, ipse ad eam requirit majorem materiæ electricæ agitationem, qua cessante,
88. vel carente, lux haud producitur. Deducit lucem & ignem hunc ex collectione & conflictu materiæ fortioris electricæ. Ignem vero eum vi inflammandi carere, exponit ita, ut neget, suppeditare copiam multorum, qui adhuc concurrere ac præsto esse deberent, radiorum. Sibilum arcessit ex effluviis humidis admixtis, & hunc sibilandi modum aliis experimentis illustrat. Nostrum est, Autori, de rebus physicis ac mathematicis immortaliter merito, hunc quoque fœtum, quem operose satis edidit, publice & ex animo gratulari, & ad similia magno literarum commodo procudenda vires ei corporis animique firmas & incolumes comprecari.

JO. RUDOLPHI KIESLINGII, PROF. P. in Acad. Lipſ. Exercitationes theologico-hiſtoricæ, in quibus Venerabilis D. JO. CHRYSOSTOMI TROMBELLI, Bononienſis, Canonici Regul. Congregat. Rhenan. & Sanctiſſ. Salvatoris Bononiæ Abbatis, Diſſertationes de Cultu Sanctorum, Bononiæ A. 1740 editæ, & Tomi I Parte I & II exhibitæ, modeſte diluuntur.

Partes II.

Lipsiæ, ex officina Clanneri, 1742 & 1743, 4.
Pars I Alph. 2 plag. 22, Pars II Alph. 2 plag. 9.

Non

Non levis eſt pugna, quæ noſtratibus Theologis cum Pontificiis circa doctrinam de *cultu Sanctorum* intercedit, nec hodie demum ſuſcepta, ſed ab incunabulis inſtauratæ a B. *Lutheri* doctrinæ ſacræ cum illis commiſſa. Pontificii quidem pro ſua ſententia varias dudum, nec adeo invalidas, rationes attulerunt; fortiter tamen contra has *Lutherus*, &, qui eum ſequuntur, Theologi, iverunt, veriorem ita propugnantes ſententiam, *ut iis* omnibus, qui liberam a præjudicatis opinionibus mentem habent, ſatis jam evicta & confirmata videri poſſit. Nihilo tamen minus Venerabilis *Trombellius* noſtro ævo eandem pugnam redintegravit, & Diſſertationibus, de Cultu Sanctorum editis, cramben ſæpiſſime coctam appoſuit. Neceſſe propterea erat, ut hujus & ipſius, quantumvis docti, hominis conamina retunderentur. Non contemnendum itaque in ſe ſuſcepit laborem Rever. *Kieslingius*, quando hujus argumenta, pro cultu ſanctorum allata, confutare & labefactare conatus eſt. Non deerunt quidem iniqui rerum æſtimatores, quemadmodum ipſe in *Præfatione Cl. Autor* queritur, qui, hoc genus ſcripturæ *leve eſſe*, putabunt, aliis inſtitutum reprehendentibus, & vel inclareſcendi, vel litigandi, ſtudio attribuentibus, aliis, rem non novam, ſed ſæpius jam ventilatam, libro hoc contineri, judicantibus. Sed recte tales cavillationes & falſæ perſuaſiones ridentur, cum ſola hæc cura fuerit Cl. Autori, ut veritatem propugnaret, & pro officii ſui ratione *Trombelliana* argumenta confutaret. Ita vero Cl. Autor in hoc negotio verſatus eſt, ut *primo* ex Diſſertationibus Venerabilis *Trombellii* ſignificantiora & præſtantiora eligeret, &, quæ accuratiori explanatione digna erant, ex inſtituto tractaret, reliqua vero, quæ tanti non erant ponderis, aut quæ jam exploſa eſſe vidit, per tranſennam attingeret, & ex Autoribus fide digniſſimis traderet controverſiæ ipſius ſummam; *ſecundo* non tam noſtrorum Theologorum armis in diſceptatione hac uteretur, quam ipſos Pontificios adduceret Autores, horum teſtimonia ſententiæ *Trombellii* opponens; *tertio* Patrum teſtimonia, in medium allata, rite excuteret, ea potiſſimum, quæ nova ſunt viſa, & nondum a B. *Chemnitio*, aut *Dallæo*, eruta;

quarto eos, quos perraros judicavit, Autores adjiceret, & nervose illorum sensum exprimeret; *quinto* verba dubia, perplexa, & alia levioris momenti argumenta, censura vexare, sibi vituperio duceret, &, ne de verbis disputare, & plagosus esse videretur *Orbilius*, Venerab. Abbatis verba accurate apponeret, nec ullam in his literam mutaret; *sexto* omnem adhiberet curam, ut argumenta, in quibus cardo rei vertitur, probe examinaret, & rite excuteret.

Pars I hujus Operis continet ad Dissertationem *Trombellii* primam Exercitationes octo, ad secundam duas & viginti, ad tertiam sex & viginti, ad quartam tredecim; de quibus jam breviter agemus, ad accuratam earum lectionem nostros lectores remissuri. Circa primam Dissertationem, in qua Ven. *Trombellius* potissimum cultus religiosi definitionem ad Pontificiorum palatum, & divisionem inter latriam, hyperduliam, & duliam, confirmare laborat, noster Rev. Au-
Pag. 2. tor 1) veram notionem & naturam cultus religiosi eruit; 2)
16. cultum, qui a vero deflectit, quemque idololatriam & superstitionem appellamus, plenius describit; 3) fictum excel-
22. lentiarum cultum refellit. Tres enim excellentias fingunt Pontificii. Prima est excellentia divina & infinita, cujus cultus dicitur latria; secunda est excellentia humana, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, & gradibus; tertia est excellentia media inter divinam & humanam, qua-
23. lis est gratia & gloria sanctorum. 4) Vanitatem cultus Ma-
27. 35. riani ob excellentiam; 5) hujus cultus originem; & 6) figmentum hujus cultus ob excellentiam medii pluribus de-
38. monstrat; 7) fictitiam cultus divisionem inter latriam, hyper-
48. duliam, & duliam, confutat; & 8) adorationis vocis veram notionem evolvit. Secunda Dissertatio Ven. Abbatis bella enarrat, quæ reliquiis & imaginibus Sanctorum ab hostibus sunt illata. Quapropter Rev. *Kieslingius* de omnibus fere illis Sanctorum, ex sententia *Trombellii*, hostibus speciatim agit, eorumque
55-168. sententias plenius explicat, scilicet de *Porphyrio* & *Juliano*, de Mahumedanis, de Judæis, Sanctorum hostibus, de Basilidianis, Cainis, seu Cajanis, *Eustathio* & Concilii Gangrensis decreto,

creto, Eunomianis & Arianis, de Concilio Elibertano, cultui imaginum oppoſito, de *Joviano* & *Vigilantio*, de *Philippico Bandane*, de *Leone Iſauro*, de *Conſtantino Copronymo*, de *Leone IV* Imperatore, de Concilio Nicæno II, de Concilio Francofurtano, de *Leone Armeno*, de *Michaele Balbo* & *Theophilo*, de *Epiphanio* Iconoclaſta, de *Sereno* Maſſilienſi, de *Claudio* Taurinenſi, de Catharis, ſeu Waldenſibus, de *Wicleſo*, de *Joanne Huſſo*, Pragenſi, de *Luthero*, Sanctorum cultui haud amico. In Diſſertatione III tranſit *Trombellius* ad argumentum, quod ab Interceſſione Sanctorum deſumitur. Ut in Diſſertationibus ſuis Cl. Autor eo felicius progrediatur, nonnulla Pag. 172.
præmonet de uſu vocis *ſanctus*, ſucceſſu temporis hanc vocem in eccleſia receptam, & beate defunctis Chriſtianis impoſitam fuiſſe, recte monet, porro Sanctorum conſecrationem, & conſuetudinem Pontificiorum, in Sanctorum numerum defunctos aſſumendi, monſtrat, multorum Sanctorum autoritatem dubiam, &, an unquam in rerum natura exſtiterint, incertum, eſſe, *exemplis* probat, primitivam eccleſiam per tria priora Secula Sanctorum invocationis non eſſe ream, luculenter oſtendit. Deinde variis argumentis hanc interceſſionem Sanctorum confutat, lubricam eccleſiæ Romanæ autoritatem eſſe evincit, varia Scripturæ dicta, inprimis *Zachariæ*, *Tobiæ*, & *Jobi*, loca, ab interpretatione falſa Pontificiorum vindicat, Patrumque teſtimonia partim nihil hac in cauſa probare, partim non recte intelligi, docet. Argumentum de precibus & orationibus pro defunctis priſcæ eccleſiæ, & de ritu circa martyres, pro cauſa Pontificiorum non pugnare, ediſſerit; *Auguſtini* teſtimonia examinat, interceſſionem Sanctorum falſo e Scriptura & Symbolo Apoſtolico extorqueri, originem internunciorum, ſeu mediatorum ſanctorum, quos Eccleſia Romana veneratur, exponit, generalem Sanctorum deprecationem vindicat. Porro argumentum de percipiendis per Sanctos beneficiis, nec non de utilitate & efficacia precum, diluit. Tandem figmentum de S. *Fructuoſo* & S. *Polycarpo* pro tota eccleſia rogantibus confutat. In Diſſertatione IV antiquitatem cultus Sanctorum evincere laborat *Trombellius*, &, eos jam ab Ebræeis cultos fuiſſe, variis

175. 181. 186. 195. 206 ſeq. 224. 235. 244. 258. 272. 275. 294. 314.

Scripturæ S. locis evincere laborat. Suæ cauſæ ut ne deſit Rev. *Kieslingius*, *Trombelliana* argumenta convellere ſtu-
Pag. 316. det. Inde angelum fœderis *Joſuæ*, prope Jerichuntem apparentem, Chriſtum, non creatum eſſe angelum, contendit, cultum angelorum *Juſtino Martyri* fruſtra affingi probat, &
342. nonnulla Scripturæ S. loca a griphis adverſariorum ſolvit. Canonem Synodi Laodicenæ a cavillis vindicat, verum Sanctorum honorem illum eſſe docet, quando Deum propter illos laudamus, &
443. eorum virtutes imitamur. Tandem etiam de reliquiis Sanctorum in Eccleſia Romana diſſerit, hujusque cultus vanitatem exponit, &, ad ſuperſtitionem eo homines duci, affirmat.

Altera Pars Exercitationum noſtri Cl. Autoris Parti poſteriori Tomi I Diſſertationum Vener. *Trombellii* oppoſita eſt. Hæc Pars poſterior Diſſertationes V continet, in quibus angelorum cultum ex variis Scripturæ S. locis Autor extorquere conatur, & varia Patrum huc teſtimonia trahit. Adjecit Diſſertationem VI, quæ ritus, quos in Sanctorum cultu obſervaſſe feruntur Chriſtiani, abſolvit. Quintæ Diſſertationi noſter Autor decem & novem Exercitationes opponit, in quibus *Jacobus*, patriarcha, a ſuperſti-
1-27. tioſo angelorum cultu vindicatur, *Jobi* effata, quæ pro hac
28-63. cauſa afferuntur, dilucidantur & explicantur, Ebræorum con-
64. ſuetudinem, ſepulcra majorum viſitandi, non favere ſuperſtitioſo cultui Sanctorum, apud Pontificios uſitato, aſſeritur, porro Pa-
74 ſeq. trum loca, quæ Venerab. Abbas pro ſua ſententia adducit, examinantur & vindicantur, e. g. *Origenis*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Irenæi*, *Gregorii Nazianzeni*, *Gregorii Turonici*, *Baſilii M.*
135. & *Theodoreti*. Poſtea in Concilii Chalcedonenſis de imagina-
147. riis *Flaviani* Martyris precibus teſtimonium inquirit. Suprema *Jacobi* vota, angelus, qui me ex omni malo eripuit, &c.
151. male intelligi, & quomodo interpretanda ſint, exponit. Nec intermittit, pluribus declarare, invocationem Sanctorum Pontificiam eſſe in Deum injuriam, periculoſam, & ſuperfluam. *Sexta* Diſſertatio *Trombellii* viginti Exercitationibus confutatur. Non vero omnes ritus pertractare, ſed tantum præſtantiora ſeligere,
168. inſtituit Cl. Autor. Initio contra *Trombellium* monet, dies feſtos, in memoriam Sanctorum celebrandos, apud Ebræos, ut ille credit,

Digitized by Google

credit, nullos fuiſſe, nec ex libro *Judith* & libro *Eſther* illud poſſe probari. Vera horum feſtorum origo in natalitiis Martyrum eſt quærenda, qui dies erant, quibus martyrio erant coronati. *Oblationes* & ſacrificia, quorum in celebrandis Martyrum *natalitiis* fit mentio, ad ſacrificium miſſaticum rapitur a Pontificiis, ſed facile demonſtrari poteſt, hoc nihil favere Pontificiis, ſiquidem non erant oblationes, ſeu ſacrificia ſpiritualia, ſed oblationes vini, panis, & primitiarum, a fidelibus oblatarum, alimentis viduarum & egenorum aſſignatæ. Pag. 203. Loca, in quibus natalitia Martyrum fuere celebrata, initio non erant templa, quousque nulla exſtiterunt, ſed privata conventus illorum loca. 212. Ex otiis ſacris, in feſtis Sanctorum diebus olim uſitatis, nihil pro adoratione Sanctorum poteſt exſculpi, nec Synodi Laodicenæ Canon, de religioſa diei dominicæ obſervatione, ad Sanctorum feſta applicari poteſt. 218. 222. Miſſæ, in antiqua eccleſia uſitatæ, ſeu Liturgiæ, in Sanctorum honorem recitatæ, argumentum non præbent pro adoratione *ipſorum*. 227. *Impius ritus eſt Pontificiorum, hoſtias Sanctorum meritis dicandi*, & ſacrificium miſſaticum celebrandi. 247. Panegyrici, olim in eccleſia in laudem Martyrum recitati, multa continebant, quæ non laudari, nec excuſari, poſſunt. 291. Hac occaſione de variis ritibus priſcæ eccleſiæ agitur, in honorem Sanctorum inſtitutis, eorumque vanitates & nævos deſcribit Cl. Autor. Huc pertinent ritus quidam bacchici, diebus Martyrum natalitiis uſitati, v. g. choreæ & ſaltationes, exornatio templorum & tumulorum, &c. 309. Pertinent huc vigiliæ, in honorem Sanctorum inſtitutæ, jejunia, in Sanctorum veneration em celebrata, vota, quæ Sanctis fiunt, conſuetudo, Sanctis, eorumque imaginibus & ſtatuis, votivas tabellas appendendi, mos, Sanctis dicandi & erigendi templa & altaria, peregrinationes religioſæ ad Sanctorum monumenta. 321. 331 ſeq. De omnibus his ſpeciatim diſſerit, & horum rituum demonſtrat impietates, ſimulque varia Scripturæ Sacræ loca ab adverſariorum ſententiis falſis liberat. Ex ſingulis his Exercitationibus Cl. Autoris egregium ſtudium in pertractando hoc negotio, & aſſerenda divina doctrina, apparet, item eruditio haud vulgaris & lectio frequens illorum Autorum, qui ad hoc pertinent argu-

mentum. Nos applaudimus his conatibus, & Cl. Autori ad illa, quæ contra Venerab. *Trombellium* molitur, perficienda vitam & vires comprecamur.

CORNELII MARTINI, LOGICES AC METAPHYSICES in Academia Julia, dum viveret, Professoris celeberrimi, Ἀνέκδοτα, sive Epistolæ, ad familiares scriptæ, in quibus multa, ad Philosophiam, Philologiam, & Theologiam, tam naturalem, quam revelatam, pertinentia, curiose & solide elucidantur, nunc demum ex Αὐτογράφῳ Autoris in lucem protracta, cum Præfatione & vita, Indicibusque necessariis, edita, ab HERM. FRIDER. BRAUNSSEN, Magdeburg. S. Præpos. & Superint. Clœdensi.

Magdeburgi, literis Godofredi Veteris, 1741, 8. Plag. 12.

Antequam ad ipsas illas elegantissimas & accuratissimas Epistolas properamus, quam subjunctam legimus Cel. Autoris vitam, vel uno obtutu contemplemur, scriptis indidem nonnihil lucis accensum iri, haud sine ratione judicantes. Conscripsit illam amici rogatu *Jo. Justus von Einem.* Nimirum *Cornelius Martini*, natione Antwerpiensis, in Academiam se Juliam juvenis contulit, *Davidis*que *Chytræi*, maximi divinorum oraculorum interpretis, auditor factus, puriorum sacrorum confessionem amplissimæ hæreditatis jactura atque exilio redemit. Maximus fuit *Petri Rami* adversarius, & peculiarem adversus illum librum conscripsit. Ab *Henrico Julio*, Duce Brunsuicensi & Luneburgensi, A. 1701 ad colloquium Ratisponense missus, præsentiam ipsius ægre ferenti *Gretsero*, atque interroganti: *Quid Saul inter vates?* promte respondit: *Quærit asinam patris sui.* Alia est hujus generis de hoc viro narratio, quod, cum *Cornelius* initio Professionis suæ minus se curiosæ juventuti probasset, & de eodem revocando consilia agerentur, scito artificio autoritatem sibi, atque animos studiosorum, conciliarit, dum publice illos invitarit, designato quodam in loco adessent, se autore comparaturi sibi, qua contra quosvis ictus se firmare, & ab his immunes præstare, queant, artem. Adsunt illi frequentes, &, posteaquam artem istam ex ore fidelis præceptoris didicerant, cum summo illum

illum applauſu domum ducunt. Erat autem iſta ars, quam profitebatur, logica, ſolenni tunc Oratione in Annæ monte, qui deinceps *Cornelianus* dictus eſt, ſtudioſæ juventuti commendata. Sed nec ore *ſolum*, verum pariter ſcriptis editis, doctrinam ſuam manifeſtavit. Inprimis vero præcipuas Philoſophiæ partes, Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, Ethicam, eximia perſpicuitate & ἀκριβείᾳ, habitis atque editis in eas Diſſertationibus, breviter *elegantique* ſtilo expoſuit. E vivis exceſſit die 17 Dec. A. 1621, ætatis quinquageſimo quarto, & *Conr. Horneius* anno ſequenti in Logica docenda illi ſucceſſor datus eſt digniſſimus. Laudatur a *Ge. Calixto* in apparatu Theologiæ, quod cum *Jo. Caſelio* fuerit optimarum literarum decus & columen, ut alias aliorum laudandi formulas taceamus. Non enim opus eſt, ut aliunde petamus, quæ ex his ipſis, quæ ante manus ſunt, Epiſtolis patebunt. Latuerunt illæ juſto diutius inter ſchedulas B. *Andreæ Kinderlingii*, amici *Cornelii* intimi, domeſtici, & convictoris. Deinde, poſt varios caſus, accidit demum, ut optatiſſimum in Venerabili *Einemio* editorem *invenirent*. Perlegit hic easdem accurate, &, cum multa *in iis* offenderet, quæ ſolidioris Philoſophiæ fundamentis nixa, nec minus in enodandis quibusdam dubiis ſacris, & ad interpretationem literarum diviniorum pertinentibus, decidendisque ſublimioris cognitionis quæſtionibus, inſignem utilitatem oſtenderent, deſcripſit, & cum literatiſſimis aliquot viris communicavit, qui autores ei fuere, ut publico easdem uſui offerret. Ceterum eo veſtitu apparatuque *Martinum* prodire voluit Noſter, quem ipſe ſibi ſumſerat, nihil ex judicio ſuo mutans, vel emendans. Sunt autem *Epiſtolarum XXXII*. Quarum in prima, ad *Theodorum Guntherum* ſcripta, contra Ramiſtas diſputat, & *Ariſtotelicam* Philoſophiam ſerio commendat. Quæ hanc ſequitur, agit de *prædeſtinatione*, & quidem inquiritur, 1) an *Adamus* ab æterno deſtinatus, ut laberetur, & *Chriſtus*, ut eſſet redemtor; 2) an *Chriſtus* opus *Dei* ſummum dicendus; 3) quomodo adhibenda ſint loca *Gal. III, 25, 26*, & *Rom. III, 7*; 4) an cœtus divinitus electus ſit ante fabricam hujus univerſi. *Epiſtola tertia* quatuor tractat momenta: 1) eſſe aliquod ſummum bonum, ſeu finem & perfectionem hominis; 2) quodnam illud ſit; 3) unde malum in natura; 4) unde malum effugiendo ſalutem

lutem ſibi procurare homo poſſit. *Quarta* illuſtrat quædam, in præcedente propoſita, e. g. quid ſit frui *Deo*; quid liberum arbitrium; quæ cognitio confuſa & diſtincta. *Quinta* de abſoluto agit decreto. *Sexta* 1) de lapſu *Adami*; 2) an electi poſſint gratia excidere; 3) an *Ariſtoteles* recte de generatione mundi ad æternitatem ejus concludat; 4) de loco & locato; & 5) de influxu ſiderum, exponit. *Septima* 1) perſequitur, quæ de influxu ſiderum dicta fuerant in præcedente; 2) myſterium S. Trinitatis & divinitatem Chriſti ac Spiritus ſancti illuſtrat & probat, de quibus plura *Epiſtola X*, poſtquam VIII de loco *Thomæ*, an pater cauſa filii commode dicatur, & IX de loco *Phil. II, 6 ſeq.* fuerat actum. *Epiſtola XI*, Deum immenſum hoc theatrum condidiſſe, ut nobis æterna felicitas pararetur, aſſerit. *Epiſtola XII* diſputat de ſententia *Cajetani*, ad verba ſacræ Cœnæ quod attinet; *Epiſtola XIII*, qua ratione in extremo die ſtellæ de cœlo ſint caſuræ; *Epiſtola XIV*, ſacram Cœnam maximum eſſe myſterium, adſtruit; *Epiſtola XV* conciliationem *Matthæi* & *Lucæ*, de patre *Joſephi* diſſentire viſorum, exhibet; *Epiſtola XVI* de miſſa Pontificia agit, & qua ratione poſſit S. Cœna ſacrificium incruentum vocari. *Epiſtola XVII* de loco *Petri 1 Ep. III, 19 ſeq.* differit; *Epiſtola XVIII* præbet elogium ac εξαγγελίαν *Epiſtolæ ad Romanos*, &, quam fidei juſtitiam *Paulus* in ea doceat, declarat; *Epiſtola XIX* reditum mortuorum ad vitam confirmat; *Epiſtola XX*, quid *Deus* ſit, inque triplicem Scholaſticorum viam, Deum cognoſcendi, inquirit; *Epiſtola XXI* alias quæſtiones tractat: 1) an *Moſes* omnium ſcriptorum primus ſit, vel antiquiſſimus; 2) cujus fide & autoritate *Marcus* atque *Lucas* ſcripſerint, cum non ſint Chriſti legati; 3) cur *Paulus Joannem* non alleget; &c. Eſt enim hæc *Epiſtola* & longiſſima, & optima. *Epiſtola XXII* opera creationis conſiderat ex *Gen. I*; *Epiſtola XXIII* de trinitate ex vocabulis, ſapientia, voluntas in Deo, diſquirit; *Epiſtola XXIV* de definitione, ſeu potius deſcriptione, Dei, itemque eſſentia, quædam notat; *Epiſtola XXV* de prædeſtinatione, quæ ſupra dicta erant, illuſtrat; *Epiſtola XXVI* dictum *Jo. VI, 63*: *Caro non prodeſt quidquam*, explicat; *Epiſtola XXVII* de perpetua ſucceſſione in cœtu Romano agit, eamque non eſſe veritatis argumentum, oſtendit; *Epiſtola XXVIII* narrat, quæ Autor in colloquio Ratisbonenſi cum Jeſuita *Tannero* de judice controverſiarum ex loco *Devt. XII, 32*, diſputarit; *Epiſtola XXIX* Logicam delineat; *Epiſtola XXX* Phyſicam; *Epiſtola XXXI* inſtitutionem adoleſcentis in Logica, & denique *Epiſtola XXXII* inſtitutionem Principis. Vel ex hoc ipſo, quem collegimus, argumentorum indice apparet, nec fruſtra locaſſe operam ſuam Venerabilem Editorem, nec plurimas deeſſe rationes, quæ Epiſtolas illas commendent lectoribus atque inſinuent.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLV.

Pars I.

Leben und denckwürdige Thaten Herrn Richards, erwehlten Römiſchen Kayſers, Grafens von Cornwall und Poitou, ꝛc.

id eſt,

VITA ET RES GESTÆ MEMORABILES Domini Richardi, electi Romanorum Imperatoris, Comitis Cornubienſis & Pictavienſis, tribus Libris deſcriptæ a GEORGIO CHRISTIANO GEBAUERO.

Lipſiæ, impenſis Caſparis Fritſchii, 1744, 4 maj.

Alph. 4 plag. 2.

Magni interregni hiſtoriam, perplexam valde difficilemque, tam feliciter evolvit, tamque docte expoſuit, Vir Illuſtris, Georgiæ Auguſtæ ornamentum, *Gebauerus*, ut non ſolum magno ingenio, ſed & induſtriæ prorſus incredibili, gratia habenda videatur. Diplomatum enim fide nixus Autor longe celeberrimus, ex limpidiſſimis fontibus bene multa hauſit, ante ipſum cognita nemini. Nimis operoſum foret, hos Annales *Richardinos*, ubi cuncta per annorum ſeriem tradita ſunt, vel per ſumma capita recenſere. Pauca igitur & præcipua ex prioribus *duobus Libris* delibabimus, quorum *primus* res *Richardi* ab anno Seculi decimi tertii nono, qui eidem natalis fuit, ad annum ejusdem Seculi quinquageſimum ſeptimum,

anum, qui imperatoris locum complebat, complectitur: *Henricus Dei gratia Romanorum imperator augustus, ac semper invictus*, ducentesimum secundum & quinquagesimum perficiunt. *Sibi, Henrico, Romanis, Augusto Regno, & Italiæ, Regni Italiæ, Italiæ nunc Regnabilis, Henrici III. Romani*, quæ in nostris nonnullis imbuitur, fpem de se concepisse A. 1230 primam regni demonstrabit, qua anno & militari cingulo a fratre accepto, & Comitia Coronationis & Philippi filii dignitate celebratus, cum exercitu in Valentinam abiit, ratisque fortitur gelio, maxime in obsidione munitissimi cujus arcis Rodomonti, aliorum, qui pacatum provinciam nunc agunt, in Italia Principum ille. Fuit ideirco cum fratre *Henrico*, magno regis comitatu, nisi me fallit, quod Romanorum Regis nomen, & ad expeditionem Bituricam necessaria reduxi primo celebravit anno Italiæ Regnabilis, quæ Italiæ nunc Regnabilis, Henrici Romanorum Augusti, Regni Italiæ, sed nec ea omni parte bonos, quod Historiæ, imo fidei curarum, sileri, *Tuanus*, gravissimum fane ea exclusione, sine dubio, in se *Libro* Scriptorum autorem, pars viventes fortasse illos fecerunt eruditos, dum 1230 Regnabilis comebat fub regibus, *Henrici Romani* erat *Romanus*, Provinciæ Comite, & *Friderici II* imperatoris cum *Friderico*, Austriæ Duce, pugnavit, ad, ut & ob egregia animi dotes valde caros effet magnificum effici, & eidem ad decimum usque annum Augustus. Annus ea enim *Gabrielem* fanus perperam, & necem natus filium, annis *Richardus*, quos fortiffimum confilium & virtus, cruce fignatus fergus in Orientem navigandi, ruque Chriftianorum, ibidem multo prælegio, originali, exuerit pedes. Addit celebrantem expeditionem cum splendide fremuguia comitata A. 1240, mera magnus ea fuerit itinere ufus in ea re tradens. In cum finibus eum caufis Chriti militibus ftipendia exhibit. Alexandrum valdiffime fplendidiffimeque exercuit, mea ftabilivit Baldeno permet paucos deda, confederationibus fine præcluit, & ardentiorem rebus Chriftianorum, & omnibus dulcibus obtulerit, valde idoneus. Bellum pacatus & aptitudo illuftrare nobilitate

que e manu Suldani receptis, ossibus etiam occisorum apud Gazam summa cum pietate humatis, in Occidentem rediit, *Fridericum* Imperatorem invisit, maximo honore & amore ab Augustis exceptus, dissidium inter Imperium & Sacerdotium componere annisus, Angliæ tandem suæ restitutus est, in eo tamèn *infelix*, quod tristis nuntius de sororis Imperatricis morte *inopinata*, ut conjicit Autor, in ipso adhuc itinere eum sit *assecutus*. Iter sacrum excepit expeditio Gallica, in qua comes fratri præclaram prorsus operam navavit, sed neutiquam grato & memori; quæ dissidia tandem novum vinculum, nuptiæ *Richardi* secundæ, cum *Sanctia*, Provinciæ Comite, fratris sui uxoris sorore, A. 1243 splendidissime celebratæ, funditus sustulerunt. Non destitit *Richardus* bene de fratre, de regno, de ecclesia, mereri. S. *Edmundi* patrocinium magni faciens, iter A. 1247 Pontiniacum fecit, Regi fratri nunquam non cum militari, tum bursali, servitio adfuit, magnifico comitatu A. 1250 Lugdunum ad Papam *Innocentium IV* abiit, maximo ibidem habitus in honore, Cœnobium Cistercienſium monachorum Haylense, regio sumtu exstructum, plus quam regio apparatu A. 1251 inaugurari fecit, utriusque Siciliæ coronam, a Pontifice oblatam, ut acutius meditanti Autori verisimillimum videtur, renuit, illius pietatis præmium, Imperiale fastigium, A. 1256 tulit. Longum foret, nec tamen exhaurire liceret, quæ hic de Imperii Romani statu, de causis, quæ *Conrado*, Colonienſi, & melioribus Collegis Electoribus persuaserunt, ut spicem sacratissimum *Richardo* offerrent, de Comitiis electionis, de *Arnoldi*, Trevirensis, pro *Alphonso*, Castellano, machinationibus, de *Richardi* prudentia, magnanimitate, splendore, felicitate, hic traduntur, rectius in ipso libro perlustranda & ponderanda. *Libro secundo* pleraque dubia huc usque, incerta, incognita, panduntur, maxime autem, *Richardum* neutiquam pauperem spoliatumque e Germania aufugisse, sed, quoties res Imperii flagitabant, Anglicanæ autem patiebantur, eundem rediisse, hocque quater factum esse, sole meridiano clarioribus scriptorum locis, monumentorum editorum ineditorumque robore, firmatur. Adiit *Richardus* Germaniam

A. 1257, redux factus in Angliam A. 1259. Inter Diplomata, hanc præsentiam illustrantia, est Walkenriedense, huc usque inedítum, Illustrissimi *Munchhusii* autoritate ac sumtu affabre æri inciſum, non leve Operis alias etiam ornatissimi ornamentum. Adiit *Richardus* Germaniam secundum A. 1260, eodem anno in Angliam reversus. Firmant hanc præsentiam tria Diplomata inedita. Tertium *Richardus* Germaniam petiit A. 1262, repetiit Angliam A. 1263. Hanc præsentiam quatuor Diplomata inedita corroborant. Post bella Angliæ civilia, hic luculenter descripta, duramque *Richardi* Cæsaris captivitatem; post gravissimam litem, *Richardo* & *Alphonso*, Castellano, Romæ, licet incassum, intentatam, quam hic ita descriptam invenies, ut non modo Historicum, sed etiam JCtum, agnoscas, quartum A. 1268 rediit in Germaniam Augustus, suæ libertati restitutus, & tantum abfuit, ut de Imperiali *Richardi* autoritate ulla dubitatio oriretur, ut non sit alia ejus in Imperio præsentia, quæ tam illustribus operibus eniteat. Comitia enim habuit Wormatiæ, Ungeldum in urbe abolevit, pacem provincialem condidit, vectigalia Rhenana, noviter & per injuriam mercatoribus impoſita, destruxit, *Philippo Falkensteinio* de restitutis Insignibus Imperii apocha prospexit, Cœnobio Arnsbergensi, Decano & Capitularibus S. *Bartholomæi* Francofurtensibus, *Diethero*, Comiti Cattimelibocensi, gratias contulit, pulcherrimam denique *Falkensteiniam*, *Beatricem* nomine, ipse ab A. 1260 viduus Lutiæ Cæsareæ augusto connubio sibi copulavit, & lætus lætam A. 1269 in Angliam deduxit. Nec in ipsa Anglia desiit res imperii moderari, ut Diplomata testantur, quamvis negandum non sit, plurimum Principis juventutis, filii *Henrici*, fortissimi prudentissimique Herois, assassinium, Viterbii a *Montfortiis* A. 1271 perpetratum, & hic luculentissime descriptum, patris animum afflixisse, ita ut, hoc eodem anno exeunte, in gravissimum morbum, paralysin acutissimam, prolapsus, vere anni sequentis ineunte, exspiraverit, filio *Edmundo de Alemannia*, cujus res ab Autore adjiciuntur, hærede ex asse superstite. Sepultus autem fuit in cœnobio Hayles, de quo supra dictum fuit, vita Princeps dignus longissima. Sed progrediendum

grediendum eſt ad *Librum III*, cujus capita hunc in modum inſcribuntur: I integra Collectio omnium Diplomatum, a *Richardo*, Imperatore Romano-Germanico, editorum. II Disquiſitio, qua literas *Richardinas*, in quibus Regi *Ottocaro* Auſtria & Stiria, tanquam feuda, conceduntur, æque ac confirmationem *Carolinam*, (quæ documenta a *Goldaſto* publicata ſunt,) genuinas verasque eſſe, ſolidis evincitur argumentis. III Sepultura Interregni, vel catalogus CXXXVIII Statuum Imperii, *Richardo* addictorum, præmiſſa refutatione fabulæ de interregno. IV Memorabilis narratio, Diplomatibus, antea nunquam editis, firmata, de diffidatione, A. 1260 inter Welfos Florentiæ & Gibellinos Sienæ cives ſuſcepta. V Literæ mutuæ *Innocentii IV* & Imperatoris *Ottonis*. VI Septem Tabulæ genealogicæ, quarum ultima idoneis teſtimoniis adornata eſt: 1) Genealogia regiæ domus Anglicæ; 2) Genealogia *Iſabellæ*, uxoris Regis *Joannis*; 3) Genealogia Comitis *Simonis* Leiceſtrienſis; 4) Genealogia Imperatoris *Richardi*; 5) Genealogia primæ conjugis *Iſabellæ Pembrockianæ*; 6) Genealogia ſecundæ conjugis *Sanctiæ*; 7) Genealogia tertiæ conjugis *Beatricis*. Cum vero præclara hæc rerum argumenta, ad unum omnia, curate, ſolide, & fuſe, explicata ſint; enarrare iſta nobis non licet, arctis limitibus, pro inſtituti ratione, circumſcriptis. Hinc animus eſt, tantum excitare nonnullas præ ceteris memorabiles notulas, paſſim in Opere Illuſtris *Gebaueri* obvias. Forte neminem pœnitebit legiſſe, quæ *pag. 12 not. z* de *mala tolta*, vectigalis ſpecie, traduntur; quæ *pag. 32 not. i* de copioſarum comarum tricis cæruleis *Iſabellæ*, primæ conjugis *Richardinæ*, locutione apud *Matthæum Pariſ.* obvia, afferuntur; quæ *pag. 41 not. d* de ruderibus munitionum Aſcaloniticarum magnificis ex *Arvieuxii Memoriis* obſervantur; quæ de liberalitate *Richardi* in pias cauſas *pag. 63 not. k* coacervantur; quæ *pag. 87 not. a* pro *Richardo* contra *Rapinum Thoiraſium* diſputantur; quæ *pag. 111 not. a* de Piſana electione *Alphonſi* in Regem Romanorum allegantur; quæ *pag. 143 not. l* adverſus *Guttetum de Mixigia* dicuntur; quæ *pag. 196 not. k* de *Richardi* captivitate diſputantur; quæ *pag. 227 not. p* refel-

lendo *Roma* idones conferuntur; pag. 29. *ea aut. 6. pag. 30. aut. 3. in Thoma Wiser ingeniole emendentur; pag. 40. ad Hildebrandum Diploma XIV. tribuitur; pag. 100. qui de Hildebrando, Archiepiscopo Bremensi, & pag. 101. de Hinrico Transeunte, eruduntur. Haec dicta sunt de Historia Quem H. Gebauer.* Ex utgte locum judicium, & ex equate pugna. Inscriptiones admodum atque eruditionem Cel. Autoris, nemo non perspicere potuit cum maxime volumen. Omissis igitur illum decrepitiores, ad recentiori aevum attinentiores ad diligentem libri hujus praelectionem invitemus.

HISTOIRE DE GUILLAUME LE CONQUERANT, Duc de Normandie & Roi d'Angleterre, &c. 12 ch.

*HISTORIA DE GUILELMO CONQUÆSTORE, Duce Normandiæ ac Rege Angliæ, Autore Abbate R***.*

Tomi III.

Parisiis, apud Prault, filium, 1742. 8. Alph. 5 pag. 3.

Tom. I. pag. 1.

Normani, ex quo in Neustrium Secula IX fede infederunt, victrices ac amplissimae odas invaluerunt, ut Regibus Gallicanis fuepius fatum formidabiles, ac contra infigne bellum perfidie & inanimentes. Dum certe *Rolonem Hæreticum* Rex inimicorum pervicaciorib ad regnum allexit, vindicandis ipsius e confilio infidiis *Confuetudo* mortis ne timida *Roberti*. Sane, qui *Roberto* III Normannico crimen venum, quo fratrem nece maturatum fuffocaret, objicere fuffinerem. An illum infpiciens nem ulla inuidiam, nisi magnum compendium argumenta, Vere Abbas autem, qui fidis de particulis, & ab ipsis veritatis domo remotis, tam tenues tribuisse Autorem erudo audeo, ut quibus fuis Bardi, ac medium retulit. In conviviis, *Roberti* Decani vitiose *Burgundicis Hardouin* placuit pretter opinionem fuam *Roberto*

ac vindictam, qua exarſerat Dux in nobiles civesque ferarum fures, ſaltationum ſuarum ac lachrymarum modulis avertit. Angli hoc cognomine adhuc exinde virgines diſſolutiores appellant *Harlottas*. *Roberto* ea adeo ſe approbavit, ut illam amore ſuo ſecreto exiſtimaverit dignam, proceribus ſignificans tandem, ſe filium, ex ea forte naſciturum, pro ſucceſſore & hærede ſuo reputaturum. Ipſa tandem feliciter peperit *Guilielmum*. Pag. 7. Hunc pater *Robertus* fratri ſuo *Malgerio*, Archiepiſcopo Rothomagenſi, tradidit a teneris unguiculis formandum virtutibus, literisque imbuendum, Principe tanto haud indignis. *Harlotta* ex *Roberto* præterea ſuſcepit filium *Odonem*, Epiſcopum poſtea Bajocarum, duasque filias, quarum prior Comiti Almalenſi, ac poſterior Comiti Albermarlenſi, nupſit. Commendavit *Robertus* proceribus *Guilielmum* ſuum tanquam ſucceſſorem, atque, eis, qui repugnabant huic deſtinationi, pacatis, Hieroſolymam peregre abiit. *Alanus*, Dux Britanniæ, 11. cliens fiduciarius *Roberti* & agnatus, ipſo abſente tutelam Principis juventutis, ac adminiſtrationem imperii Normandiæ, obiit. *Guilielmum* ipſum *Robertus*, antequam diſcederet, Pariſios transtulit, Regique Galliarum veluti depoſitum multo pretioſiſſimum credidit. Cum vero *Alanus* rigido in Normannos dominatu ſibi contraheret omnium odia; parum abfuit, quin ipſe vita orbaretur. In carcerem certe conjectus fuit. *Rogerii* 13. *Tosny* vitam & virtutis bellicæ ſpecimina Ven. Abbas in hunc locum transtulit, adductus ea, quam *Tosny* concitavit, abſente *Roberto*, ſeditione. Inter hæc *Robertus*, e Palæſtina reverſurus, hæſit ac deceſſit Nicææ. Tum vero Normandici proceres lacertos ſuos cœperunt commovere, anteſignano eodem 30. *Tosnyo*. Nec conquievit Rex Galliarum *Henricus*. *Wilhelmo* 39. enim ſuis reddito, expugnavit ipſe Normandiæ aliquot urbes, nominatim Tillieres, Argentan, Falaiſe. Quo facto, *Tosnius* arma ſua in hunc convertit. Hoc autem repulſo ac quieſcente, ipſe animum ad quærendum ſibi Ducatum Normandiæ applicavit, exitu infelici. Ipſe enim, quem Autores vocant Comitem ſtabuli, conatis ejus ſeſe ubique objecit, & *Tosnyi* audacia non modo non obfuit rebus *Wilhelmi* adhuc adoleſcentis, 45.

ted

ſed etiam profuit maximopere. Ita Deus eſt terræ judex, ac ſeſe talem nonnunquam ratione evidenti demonſtrat. *Tosny* tandem, victus prælio, temeritatis ſuæ cruentas dedit pœnas, nec
Pag. 49. ei ſupervixit. Mater *Guilielmi*, *Harlotta*, Comite Stabuli ita ſtatuente, nupſit deinde *Guilleberto Creſpiaco*, ne quid vilioris famæ ei porro adhæreret. Nulli pepercit operæ Ven. Abbas, ut indolem egregiam, magnarumque rerum geſtarum præ-
52. ſagia, quibus *Wilhelmus* Dux peradoleſcens eluxit, delineata ad vivum exhiberet. Nec omiſit in eo notare avaritiam, vindictæque cupiditatem, ac ambitionem. *Tosnyo* interfecto, ſalutem dignitatemque ſuam periclitatus fuit *Guilielmus*, Comes
55. Arcenſis, *Richardi II* Ducis filius, *Wilhelmi Conquæſtoris* patruus, ſpectans opem *Henrici*, Galliarum Regis. At, antequam auxilia Regis accurrerent, *Wilhelmus* Dux patruum arceſſivit Rothomagum, ac venire recuſantem copiis inſtructis petivit.
61. Inter hæc occurrendum ratus copiis *Henrici*, arte *Rogerii*, Comitis Bellemontani, exercitum Regis paſſim attrivit ac devicit.
70. Poſthæc exarſit denuo bellum inteſtinum, *Grimontio* autore, qui *Guidoni* Burgundico ſpem regni inſpiraverat. Morio *Wilhelmo* Duci prænuntiavit, qua arte a conjuratis hic proxima nocte opprimendus eſſet. Hinc *Wilhelmo* res fuit cum Comite Andegavenſi ac *Domfrontio*. *Mathildem*, Comitis Flandriæ filiam, rebus pacatis uxorem duxit. Comitis nomen ac annum
109. nuptialem Abbas ſignificare omiſit. Nec lectores deſiderabuntur, quibus minus probabitur neglectus chronologicæ ſeriei, quem Abbas ſe haud indignum fore exiſtimavit. Intexuit ſubinde verba Chronicorum, ante ducentos annos, & quod occurrit, ſcriptorum. *Malgerii* Archiepiſcopi vitam ad extremum libidinoſam, ac mollitie refertam, ita expoſuit, ut lector non poſſit non cineres viri ſacris deſtinati abhorrere ac deteſtari.
121. Operæ pretium foret hic repetere bellum, quo Dux Normannorum *Wilhelmus* cum Rege Galliarum fuit implicatus. At inſtant majora. Id lubet meminiſſe, Normannorum a parte victoriam, quam reliqua momenta reſpiciebant, ſtetiſſe haud incruentam, Regem vero exinde ſupra bonum ac honeſtum nocte inſecuta fuiſſe perculſum, Normanniaque relicta,

Duci

Digitized by Google

Duci caſtrum Tillieres reddidiſſe, haud obſtiturum, quo minus Duci integrum eſſet, jus ſuum a Comite Andegavenſi exigere, pœnamque ab eodem expetere, vindictæ plenam. Inſerit hoc loco Ven. Autor originem demigrationis Normannorum quorundam, in tractum Beneventanum ſuſceptæ ab *Oſmonto Drencoto*, equite Normannico, qui fuga ſibi conſuluerat, ex quo, Duce inſpectante, in venatione equitem *Wilhelmum Repoſtellum* ferro interemerat. Normanni, in Apuliam primum translati, ſtipendia fecerunt ſub Duce Salernitano *Wainacbio*, ſequentes auſpicia præfecti ſui *Turſtini*, meritis admodum inſignis. *Turſtino* exſtincto, Normannis præfuerunt *Ranulphus* ac *Richardus*. *Tancredus*, eorum ſucceſſor, pietate juxta ac virtute bellica inclytus, res Normannorum in Apulia demum in ordinem redegit. Incidunt hæc in initia Seculi undecimi. Cur vero notis chronologicis Ven. Autor expoſitionem ſuam diſtinguere omiſerit, cauſa nobis prorſus eſt ignota. Copioſior ipſe eſt in beneficentiæ laudibus, quam Dux equitesque Normanniæ in exſtruendis cœnobiis piisque donis demonſtrarunt. Nec obliviſcitur familiarum illuſtrium, ſi forte in origines earum inciderit. Abbatem *Robertum Grentemesnilenſem*, acrem ingenio, pervicacem, & ſcurrilia ſectantem, contentioſum, rixarumque amatorem, jure meritoque notat. Ille enim, Ducis minas expaveſcens, Romam abiit conqueſtum de Duce. *Nicolaus* Papa per duos curiæ ſuæ purpuratos juſſit eum in cœnobii præfecturam reduci. Reſpondit revertenti Dux, ni ocyus euro ſeſe e conſpectu ipſius proriperet, Abbatem e prima ſilvæ arbore ſuſpenſum iri. Hic itaque receſſit in fanum S. *Dionyſii*, minaturus ſucceſſori ſuo *Osbornio*, quem Dux in illius locum ſurrogaverat, immo *Osbornium* a grege civitatis ſacræ exterminaturus, & ſodales olim ſuos de præfectura Abbatis novi evocaturus. Dux, quemadmodum purpuratos, de quibus diximus, vultu exceperat parum benigno, ita Abbatis iras ita ultus eſt, ut permitteret proceribus licentiam, donata a majoribus prædia reditusque adjectos repetendi. Sicut enim Dux *Guilielmus* a tuendis viris ſacris erat alienus; ita idem eos ab imperio turbisque ciendis volebat eſſe ſejunctiſſimos. Exſtitit

Pag. 128. 131. 136. 138. 141.

tunc temporis intra Normanniam hæresis, orta per fœminam, quæ, mundum fuisse & fore sempiternum, dictitabat, addens, pœnis æternis haud fore locum. Cœperant Clerici, inprimis
Pag. 148. Aureliæ, hisce opinionibus pretium ponere. Accesserant hisce malis conventicula & veneficia nocturna, dissolutiori vitæ adjuncta. Rex & Regina Galliarum profecti fuerunt Aureliam, eosque in vincula duci jusserunt, quorum hæresis innotuerat.
151. Concilium cogebatur, & Episcopus Bellovacensis exquirebat solicite, quicquid assectatores alebant monstri. Clericos, dedisce re nugas, & ad frugem redire, recusantes, assessores Concilii pœnam temeritatis igne jusserunt luere. Eadem severitate per Galliam meridionalem & Normanniam in reos expromta, reviruit quies. *Herbertus*, Comes Cemanensis, improlis obie-
153. rat. Hæreditati ejus inhiabat Comes Andegavensis. At Dux *Guilielmus* spes ejus occupaverat, Comitatu Cemanensi in ditionem suam celerrime redacto. At supervenit *Herberti* affinis, quocum Comes Andegavensis *Martellus* societatem iniit, ac, auxiliis præmunitus, Cenomanum occupavit. Advolavit denuo Dux, ac Cenomani rursum expugnati mœnia destruxit. *Henricus* Rex inter hæc filium *Philippum* in comitiis Rhemensibus socium regni sibi allegit, eique diadema regale jussit impo-
157. ni. Non videtur eis interfuisse Dux *Wilhelmus*. Nec certum est, quo tempore XII Galliæ Pares sint constituti. P. *Daniel*, constitutionem hanc *Henrico* Rege posteriorem fuisse, existimavit. At videtur dissentire Noster. *Henricus* Rex *Balduinum*
160. *V*, Comitem Flandriæ, pupilli successoris tutorem constituit, affinem quippe suum, Ducisque Normanniæ socerum. Hisce Ven. Abbas amœnam subjunxit de castitate ac justitia Ducis commemorationem, juvenibus gratiorem, quam decrepitis.
169. *Rapinus* tamen, Ducem quo minus ab omni venere vaga absolvat, sensit sese impeditum. Tandem Noster laborem suum ad vincula deducit, quibus Angliæ Reges jam antea cum Ducibus Normanniæ conjuncti fuerunt. *Richardi* enim *II*, Ducis, soror
173. *Emma* nupsit *Ethelredo*, Anglorum Regi, ac ex eo suscepit filios *Alfredum* & *Eduardum*. *Robertus*, eos in regnum reducturus, spe ac conatis suis excidit. *Canutus* duxit in matrimonium

monium alterum matrem ipſorum, *Emmam*. Ipſa autem, marito defuncto, filio ſuo inde procreato, cui erat *Canuto* nomen, omne regnum haud valuit acquirere. Animum igitur ad filios, ex priori thalamo ſuſceptos, appulit. At ne ſic quidem ſibi ſuisque conſuluit. *Guilielmo* ſcilicet Deus erat uſurus ad Anglos ſubigendos, Danosque profligandos. Nobis jam non licet addere ea, quæ ad exitum vitæ *Wilhelmi* uſque ſpectant. Lectori ſufficiet id, quod ex libro, pragmatice ſcripto, inſtar ſpeciminis attulimus. Pag. 192.

P. C. ANSALDI, O. P. DE DIIS MULTARUM gentium Romam evocatis, ſive de obtinente olim apud Romanos Deorum præſidum in oppugnationibus urbium evocatione, Liber ſingularis.

Brixiæ, 1743, 8 maj.

Plag. $10\frac{1}{2}$.

Argumentum, quod libro hoc ſingulari perſequitur Autor doctiſſimus, ex intimis antiquitatum Romanarum receſſibus petitum eſt, eoque minus deerit inſtituto huic commendatio, quo major eſt rei dignitas, quam ab aliis meminimus parcius examinatam eſſe. Indagatur enim ritus ille veterum Quiritium, quo, in oppugnanda urbe aliqua, ubi jam extrema tentanda erant, *Deos urbis illius tutelares*, certis uſi carminibus & verbis, in alias *evocabant* ſedes, idque partim ideo, quod, eorum tutela munitam urbem capi difficulter poſſe, prævidebant, partim quod, capta urbe ejusque ſimulacris, Deos ipſos, velut mancipia, captivos teneri, haud convenire arbitrabantur. *Capite primo* doctiſſimus Autor enarrat ſcriptores illos, quorum in libris veſtigia moris hujus clariſſima occurrunt. Excitantur *Plinius Lib. XXVIII Hiſt. Nat. Cap. 9, Macrobius Saturnal. Lib. III Cap. 9*, & *Feſtus* in Voc. *Peregrina ſacra*. Dimiſſis recentioribus, *Alexandro Neapolitano*, *Roſino*, *Ormanico*, *Rollino*, aliis, antiquorum tantum ratio habetur. Provocatur ad ea, quæ canunt de obſidione Trojæ *Virgilius Æneid. Lib. II*,

de bello civili inter *Cæsarem* & *Pompejum Horatius Carmin. Lib. II*, de obsidione Capitolii per Gallos *Ovidius Fastor. Lib. VI*, de oppugnata Lemno *Statius Lib. V Thebaid.* de oppugnatis Thebis idem *Lib. VII* & *X*, aliique Poetarum, qui locis excitatis ritus hujus ubique vestigia relinquunt. Adduntur Historici, inprimis *Tacitus*, de Hierosolymis, a Romanis obsessis, *Lib. V Histor. Cap. 3* commentatus. Varia subnectuntur ex *Barclajo* de eodem ritu. His præmissis, *Capite secundo* inquiritur, quid moverit Romanos, ut sibi persuaderent, posse Deos evocatos, immotis eorum simulacris, ex urbibus excedere. Declaratur copiose, qua ratione, Deorum signis, ritu solenni consecratis, Deum aliquem, illiusque virtutem, insidere, constanter fuerit creditum, quid senserint Romani de *ἐνοικίσει* Deorum in ipsorum simulacris, diverso modo multaque arte factis. Advocatur huc & ea Romanorum opinio, qua, imminente urbis excidio, vel infortunio alio majori, templorum fores & adyta sponte resilire, nulla hominum vi admota, eosque, ibi consecratos, inde discedere, vulgo existimabatur. Venitur ad alia plura, quæ prætereunda ducimus. *Capite tertio* operose disputatur, quibusnam ritus illius origo vindicanda sit, atque utrum ille mos & aliis, præter Romanam, gentibus fuerit usitatus. Discessio fit a *Vossio*, qui Romanorum sacra vel ab Albanis, vel ab Osca, vel a Thuscis, repetit, tutiorque videtur Autori sententia *Tullii Orat. de Haruſp. Responsis*, & *Valerii Maximi Lib. I Cap. 1*, qui, ut reliquarum statarum ac solennium apud Romanos cerimoniarum, sic & evocationis Deorum, originem revocant ad Pontificatum, sive ad scientiam Pontificum Romanorum. Duos inprimis exstare causas, judicat, quibus inductus quis, opinionem illam ad Romanos a finitimis migrasse gentibus, existimare possit. Harum unam dicit opinionem nonnullorum de ritu hoc artibus magicis ac præstigiis accensendo, cujusmodi artes apud populos, Romanis finitimos, obtinuisse constat. Alteram, eum Romanorum ritum, quo Deum Romæ tutelarem, & Latinum ipsius urbis nomen, coram aliis celabant, ne, divulgato tutelæ suæ nomine, hostium evocationi liberius

liberius ſe ipſi exponerent. Id quod conſimiliter finitimarum gentium moribus conforme dicit. Ad utramque earum Autor Clariſſ. fuſe reſpondet. Quo negotio defunctus, oppugnare ſtudet *Ormanicum*, qui evocationis Deorum veſtigia quædam conſpicatur in hiſtoria arcæ, a Philiſtæis captæ, ex eaque illam repetendam ducit, in libro *de Veter. Relig. Camul.* Tuetur igitur ſententiam, quam ſemel eſt ingreſſus, & Romanis proprium fuiſſe ritum, & ad eos a nullo alio populo tranſiiſſe. Fuerit forſitan operæ pretium, eam in quæſtionem ſingulari ſtudio inquirere, utrum apud gentem etiam aliam, inprimis Romana antiquiorem, nullum plane moris hujus veſtigium ſpectetur, quod *Capite* hoc negat Doctiſſ. Autor. Profecto, *Perſis* atque *Ægyptiis* haud ignotam fuiſſe Deorum evocandorum rationem, e loco *Alexandri ab Alexandro Lib. VI Genial. Dier. Cap. 4* conficitur. *Græcos* plane excludendos nemo dixerit, niſi prius conſtet, eum antiquitatum Græcarum ex aſſe gnarum eſſe. Et, ſi ſana eſt ſententia, viris probata doctiſſimis, quod inſtituta gentis Hebrææ ad Ægyptiam, Ægyptiæ ad Græcam, Græcæ ad Romanam, migraverint, conjecerit quis, opinamur, haud inſcite, Quirites vel hujus ritus originem Helladi acceptam referre, inprimis cum clariſſimus ſit locus *Diodori* de Tyriis, qui, *Alexandro M.* Tyrum obſidente, ſimulacrum *Apollinis* aureis catenis baſi alligabant, Dei hujus ex urbe ſua diſceſſionem veriti, *Lib. XVII Biblioth. pag. 520* ed. *Rhodom.* Sed expendendum etiam tum foret, utrum ſilentium *Plutarchi*, qui, cum Græca cum Romanis conjungere ſoleat, quando de evocatione Deorum dicit, ſolius gentis Romanæ meminit, ac Romanorum duntaxat teſtimoniis utitur, ſententiæ eidem vere adverſetur. *Capite quarto* neceſſitas evocationis Deorum evincitur e jure Romanorum bellico, & uberius oſtenditur, urbium apud Romanos deditionem conjunctam ſemper fuiſſe cum deditione ſacrorum. Capta enim urbe, captos inde victosque Deos deportandos fuiſſe, ſtabilitur autoritate *Livii*, variis ex locis. Sub incudem vocatur locus quidam *Grotii* de *J. B. & P. Lib. III Cap. 5*, quem neglexiſſe, *Anſaldus* docet, ritum evocationis bellicæ, ad

quem neceſſario reſpiciendum ibi fuerit. *Capite quinto* id agit, ut demonſtret, evocationis ope egregie locupletatum fuiſſe Romanorum ærarium. Cum Deorum enim ſtatuis multa alia ablata fuiſſe refert, obeliſcos, pyramides, clypeos, laminas, haſtas, galeas, gemmas, aulæa, toreumata, thenſas, thuribula, tripodas, plura, ex auro argentoque confecta, omnem etiam pecuniam, ſacram & profanam, publicam & privatam, quæ aſſervata in templis, in ciſternis ſacris, & quicquid ad Deos pertinebat, ritu bellico evocatum. Hæc omnia, addit, victorum juris eſſe facta, & cum ipſis Deorum ſimulacris Romam aſportata. *Capite ſexto* multis argumentis evincitur, tutelarium Numinum evocationem locum obtinere inter arcana imperii in Republica Romanorum. *Capite ſeptimo* commemorantur Dii, a Romanis olim ex urbibus obſeſſis evocati, quos tamen enumerari poſſe, Cl. Autor negat, quanquam magnum eorum numerum e multis ſcriptorum teſtimoniis eliciat. In his occurrit locus ex *Minutii Octavio*, ubi Deus Judæorum, tempore obſidionis Hieroſolymitanæ, evocatus, captus, victus, triumphatus, perhibetur, dignus, qui curatius expendatur. A Diis, qui evocati, venitur ad carmina, quorum ope evocatio peracta. Hujusmodi carminum bellicorum multa afferuntur genera, quæ fide ſcriptorum veterum conſignata ſunt. Quas tamen cerimonias omnes ſucceſſu temporum abrogatas fuiſſe, ut bellici fecialium ritus, atque alia, recte ſubjicitur. *Capite octavo*, vel ultimo, agitatur quæſtio, utrum evocationis ritui vel leges quædam Romanæ, vel dicta quædam & facta Romanorum, adverſentur. Negatur utrumque. Ex legibus potiſſimum advocatur ea, quæ prohibebat Romanos, ne peregrina inveherent Numina, neque externos amplecterentur gentium ritus. Ex factis afferuntur deſtructa a Senatu Romano fana *Iſidis* ac *Serapidis*, quæ ædificata a nonnullis fuerant. Præterea mentio injicitur de ſacra *Proſerpinæ* pecunia, a militibus Romanis rapta, juſſu vero Senatus Romani dupla in locum ſuum repoſita. Cum his omnibus ritum illum componi poſſe, docte evincit. Hæc, quæ compendiaria ratione a nobis decerpta ſunt, incendere poſſunt

poſſunt ſtudium Lectorum, ut librum ipſum majori diligentia examinandum ſumant, examinatumque in ſuccum & ſanguinem convertant.

LETTRE DE MONSIEUR *** CHIRURGIEN DE PROvince, à Monſieur ***, Maitre Chirurgien de Paris, au ſujet de la Remarque pag. 249 de l' Edition du Traité des Operations de Dionis, augmentée de Remarques importantes par M. LA FAYE, Maitre Chirurgien de Paris.

hoc eſt,

*EPISTOLA DOMINI ***, CHIRURGI PROVINcialis, ad Dominum ***, Chirurgiæ Magiſtrum Pariſienſem, occaſione Animadverſionis pag. 249 libri Dionyſii de operationibus chirurgicis, ex editione Domini LA FAYE, Magiſtri Chirurgiæ Pariſienſis, qui eum librum obſervationibus admodum utilibus auxit.*

Pariſiis, apud Lebretonum, 1740, 8.

Plag. 2.

OBSERVATIONS CRITIQUES SUR LA LETtre d'un Chirurgien de Province, a Monſieur ***, Chirurgien de Paris, au ſujet de la Remarque pag. 249 du Traité des Operations de Dionis, quatriéme Edition augmentée de Remarques importantes par Mr. LA FAYE, Chirurgien de Paris, par Mr. COGHLAN, Chirurgien Major du Regiment Irlandois de Bulkeley.

hoc eſt,

*OBSERVATIONES CRITICÆ IN EPIſtolam Chirurgi Provincialis ad Dominum ***, Chirurgum Pariſienſem, ſuper Animadverſione pag. 249 Commentarii Dionyſii de Operationibus Chirurgicis, quartæ Editionis, quam utilibus & lectu dignis annotationibus*

nibus auxit LA FAYE, Chirurgus Parisiensis. Per COGHLANUM, Chirurgum primarium legionis Irlandicæ de Bulkeley.

Parisiis, apud viduam Pissot, 1741, 8.
Plag. 2½.

A triginta maxime annis nulla fere Chirurgicæ artis pars tam multum aucta est, tamque sæpe simul, si summos in ea artifices consideramus, & locum, & faciem, ut sic dicamus, mutavit, quam quæ vesicæ calculum per sectionem curandi vias ostendit. Cum enim omnes, qui in hac parte aliquid valebant, eo, quem vulgo solent magnum apparatum nominare, uterentur, subito circa finem superioris Seculi famosus ille Monachus, Frater *Jacobus* dictus, in Gallia exstitit, qui longe aliam viam, a loco sectionis, lateralem dictam, ingressus est. In eaque deinde, sed emendata, *Ravius* apud Batavos tam feliciter & expedite processit, ut is omnibus haberetur, quo nemo plures calculo affectos sanitati restituerit. Sed ipse, præter Ill. *Albinum* fortassis, nemini aperire hanc viam voluit. Quare apud Anglos *Douglassus* neglectam ab omnibus, vesicam super pubis ossibus, plaga diducendi, viam rationemque in usum revocavit, quam primus habetur, Franco-Gallus Chirurgus instituisse. Isque in Anglia, Gallia, & Germania, invenit, qui eum, neque infelici successu, sequerentur. Et inter hos princeps fere etiam *Cheseldenus* erat. Qui, etsi nihil adeo adversi in hac via invenerat, ut eam deserere cogeretur, fausto tamen, super omnem fere fidem *Ravii* successu motus, multa molitus est, ut ad eandem viam perveniret. Tandem etiam, si non hanc ipsam, tamen quæ ab hac proxime distabat, invenit, eamque gloriam consecutus est, ut & Anglis, & per Cel. *Morandum* Gallo-Francis, hanc suam viam aperire posset. Idque satis constat circa annum potissimum hujus Seculi trigesimum factum esse. Ab eo tempore, qui in Gallia laterali vulgo dicta methodo utebantur, ita in tres quasi partes secesserunt, ut alii a *Cheseldeno* per *Morandum* monstratam viam tenerent, alii, in instrumentis potissimum aliqua mutando, eandem viam, si non breviorem, tamen planiorem, reddere allaborarent, alii denique *Ravianam* viam,

viam, quam a *Cheſeldeniana* diverſam putabant, alio modo quærerent. Nolumus jam de prioribus dicere, præcipue cum hæc non niſi eum in finem propoſita ſint, ut, ſi ſequentibus aliqua de Hiſtoria hujus Chirurgiæ partis immiſceri debeant, ea legentem non remorentur. Hic autem nobis de poſtremis, præcipueque de *Fulberto*, dicendum eſt, ad quem duo illa ſcripta, quorum hic inſcriptio legitur, maximam partem pertinent. Prius ex his ſcriptis anonymum eſt; quæ tamen de ejus Autore a fide dignis hominibus accepimus, ea nos dubitare non ſinunt, eſſe hanc Epiſtolam ab ipſo *Fulberto* ſcriptam. Idque hic eo minus reticere voluimus, quo magis ex ſcribendi genere colligere lectores poſſent, eam Epiſtolam amicum quidem *Fulberti*, non vero ipſum autorem habere poſſe. Et, nos ipſos, fatemur, ægre amicis Pariſienſibus aſſenſum præbuiſſe, quod non probabile eſſe videbatur, poſſe aliquem in publico ſcripto, neque uno in loco, de ſe tam magnifice, de aliis tam abjecte, ſentire. Quod ſi fortaſſis eo fecerit, ne aliquis de ipſo autore cogitaret, non poterat ſane turpiorem ſe occultandi modum invenire. Alter libellus, ſi iisdem amicis Pariſienſibus, indiciisque aliis non levibus, credimus, pſeudonymus eſt. Verus pater hujus non inelegantis partus Cel. *Morandus* eſt, isque eum *Cogblano*, Chirurgo, ex Commentariis Academiæ Chirurgorum noto, ſuſcipiendum dedit. Neque magni adeo nominis virum, *Morandum*, *Fulberto* aliqua regeſſiſſe, illis mirum videbitur, qui, ipſum primum fuiſſe, perpenderint, qui popularibus ſuis lateralem ſic dictam calculum ſecandi viam monſtravit. Multoque magis, quid *Morandum* ad hæc ſcribendum impulerit, ex litis ſpecie apparebit, quam hic breviter informatam ſubjiciemus. Fama ferebat, *Ravium* veſicam, illæſa proſtata, ſeu veſicæ vulgo ſic appellata cervice, aperire, pronumque erat, cauſam feliciſſimi ſucceſſus inde repetere. Contra, in *Cheſeldeniana* proſtatæ non parci, manifeſtum erat. Hæc, aut potius illud tantum, (*Fulbertus* enim, ſe, dicit, prima experimenta A. 1727 inſtituiſſe, *Mem. de l' Acad. de Chirurg. Tom. I pag. 664,*) *Fulbertum* movit, ut de modo cogitaret, quo ad veſicam perveniri poſſet, illæſa proſtata. Quod, cum

videret, acu triquetra fieri posse, si, ut in longa urinæ retentione nonnulli faciebant, per perinæum a latere immittatur, novam aliquam calculosis medendi viam reperit, quam primo loco Cl. *Kesselring* in peculiari Dissertatione de Methodo *Foubertiana*, post hunc Collega noster, *Günzius*, in libro *de Calculum curandi viis*, tandemque ipse *Fulbertus* in *primo Tomo Commentariorum Academiæ Chirurgorum Parisiensis*, exposuerunt. Uterque *Kesselringius* & *Günzius*, & commodis & incommodis hujus novæ viæ propositis, clarum fecerunt, posse hanc viam reliquis ad minimum non præferri. Eademque mens fuit Clarissimo & experto Parisiensium Chirurgo, *la Faye*, qui de commodis incommodisque hujus viæ in annotatione quadam ad *Dionysii* Operationum librum dixit, qui A. 1740 in lucem prodiit. Ex his illa tantum videntur *Fulberto* bilem movisse, quæ a *Fajo* contra ejus calculum curandi viam dicta sunt, fortassis, quod, quæ ab exteris, & Latino sermone, perscripta erant, quia a paucioribus lectum iri putabat, minus quoque sperabat suæ famæ nocitura esse. Credidit autem, se nec sanitati suæ, nec famæ, melius consulere posse, quam si bilem vehementer commotam in eum, a quo mota esset, liberaliter evomeret. Idque eum, nemo negabit, hac in lucem emissa Epistola fecisse. Duo autem *Fulbertus* accusationis capita facit, quorum alterum ad injuriam pertinet, quam *Fajus* iis fecerit, qui in restituenda calculum a latere secandi via in Gallia laborarunt, alterum ad *Fulberti* curandi viam, quam *Fajus* damnavit. Cl. *Fajus* enim, quo loco de variis calculum curandi viis dixit, ita dixit, ut, optimam omnium lateralem esse, evinceret. Nomine autem lateralis eam intelligebat, quam *Morandus* potissimum a *Cheseldeno* acceptam, popularibus suis aperuit, etsi, quæ ab aliis, nonnullis aliquantum mutatis, proposita fuerant, non excludebat. Huic loco Cl. *Fajus* historica quædam, ex Cel. *Morandi* Commentario, qui *Academiæ Reg. Scient. Commentariis* A. 1731 insertus est, desumta, quasi coactus addidit. Omisit vero, si *Fulberto* fides haberi possit, ea, quæ ad *Perchetum* & *Garengeotum* pertinent. Inde adeo lis contra ipsum instruitur, quæ justa videri posset, si ipsi historiam scribere

Digitized by Google

bere propoſitum fuiſſet, jam, cum ipſi intenteturr, quia, ubi, quæ optima via ſit, docendum erat, Hiſtoricum agere, & de re exigui momenti longam commentationem addere, noluit, & injuſta eſt, &, ne ridicula fere videatur, metuimus. Duo hæc accuſationis capita totidem epiſtolæ partes faciunt, quarum prior tota hiſtorica eſt. In eaque *Fulbertus* duo ſibi declaranda ſumſit, alterum, quicunque lateralem calculo medendi viam oſtenderint, omnes partim ex Fratris *Jacobi* tentaminibus, partim ex *Meryi* libello, *Obſervations ſur la maniere de tailler, pratiquée par Frére Jacques, à Paris, 1700*, profeciſſe; quare neceſſe non fuerit, quod domi haberi poterat, apud exteros, Anglos ſcilicet, quærere, alterum, ne fuiſſe quidem eam curationem Gallo-Francis per Cel. *Morandum* a *Cheſeldeno* reſtitutam, cum, antequam *Morandus* hanc curationem Pariſiis perficeret, a *Percheto* in puero aliquo tentata ſit, quam curationem ipſe *Morandus*, tanquam recte factam, inter exempla curationis per methodum lateralem factæ retulerit. Non vero neceſſe eſſe exiſtimamus, inquirere, an primus utique ſit Frater *Jacobus*, qui lateralem calculoſos curandi viam inſtituerit, & recte adeo, an male, ejus inventionis gloria ad Gallo-Francos referatur. Cum tamen ipſe *Fulbertus* fateatur, hunc monachum in Anatome perparum verſatum fuiſſe, an is credi poteſt, ſine alicujus inſtitutione, novam ejusmodi viam inveniſſe, cujus præſtantia non niſi ex partium ſectarum poſitu & natura intelligi poterat? Utque, iis omiſſis, quos *Falconetus* Quæſtione: an educendo calculo ceteris anteferendus apparatus lateralis, ait ante fratrem *Jacobum* ſimile quid tentaſſe, de *Celſo* dicamus, ſi *Fulbertus* contendit, etſi *Jacobi* curatio, quam tot Gallo-Franci Chirurgi viderant, quamque & *Meryus* adeo publico ſcripto expoſuerat, ab his ipſis Chirurgis neglecta fuerit, tamen *Jacobum* ejus inventorem manere, quidni majori jure de *Celſo* affirmemus, etſi Chirurgi ex ejus libro, qui ſatis notus erat, eam curationem non reſtituerint, tamen nihil eſſe, quod, a *Celſo* eam deſcriptam non eſſe, efficeret? Neque vero ea, quæ *Meryus* de emendanda *Jacobi* curatione dixit, tam clara nobis eſſe videntur, ut *Fulbertus* dicere poſ-

fit, Eculeus & Chefdebenus nihil adeo invenisse, quod non ex Meyeri libello haurirent. Nam, quod, urethram, ductum ab utroque ad collum vesicæ incidendum esse, ne huic parcatur, neque urinæ, quid per collum vesicæ intelligi, nihil ne cit. Cap. 2. notum, cum obstacum adeundum omnia propositio, apparet, neque hanc suam curationem vere novatio? Addunt, & etiam, circa omnia vel præsentia, nobis fere videtur, ubi equina carnitis periclitur, ipsum vellum, ejusque usus longe plures, simul dilucet, neque alium superfluum & inutilem Anatomicum illis, non adeo incognitum ells, exhibuisse. Quæ vero Eculeus & Chefdebenus ex Meyeri libello non hauserunt, cum illi potius fuerint, quæ in Cap. I. & II. ita perhibet, a Fratre Jacobo fidei, in propositis, ut, nil plane illum in hoc tractatu, nisi meros somniasse, quis, ob eclatum de pectoris incisionem ipsissimum factum, unicum non contineat? potest, opinabitur. Quisque de Meyro ipso dicerunt, quo & eum ordinationem longe prudentiorem assignarint tempus, & ut, ut de enormitate & facie cognitus, & amendatum vel in ordine dispositionem, prout dudum ante pro pall Pectoris, Jacobus contrillet. Sed ipse Jacobus, a Prima Sec. A. 1725 pro fectum curationem primum ab, affirmat non dubitat, quo post Jacobum in tuto Collo incisionem fuerit. Quod vero ipse Meyer, dicere non formidat dudum Meyeri Meyeri Meyeri. In eo vero, quod Fratrem de tuto Jacobi incisione in Collo, ejusque curationibus prodire, perhibuit a Meyer quod urinarium fuerit, non dubitat ell, & non arcanum, tamen negligentiam fuisse, deprehendere. Non potest hoc, quod, ipsum tempestivius videri fecerit Jacobum habuit, non adhibit, cum vesicæ ita propositi, ac & monachus ille Collo fuisse non exercitio, dit dictus poll Meyer libellum in locum confirmo, ne fine fuisse in Collo urinæ, Annos vero poll Jacobi denique mortem cognovit incidentem curationes fuisse, quæ omnia mira hujus pugnæ, notus ell, quam, ut hic opus desiderat. Quo denique ad Chirurgorum & Pectoris vitium, qui propria dicit dissentire eandem, quod, Meyeri libellum ipsum nunquam, vitam operatis, de in interim ipsum propositum

Digitized by Google

nentur. Veniamus jam ad alterum accuſationis caput, in quo proprie *Fulberti* res agitur. Adeo & non negligit ſe ipſe multis magnisque encomiis ornare. Dicit autem, quia, urethra & veſicæ collo *illæſis*, ipſum veſicæ corpus incidi debere viderit, ad quod tamen per fiſtulæ immiſſæ auxilium perveniri non poſſit, ſe propoſitum cepiſſe, hac, tanquam inutili, imo noxia, abjecta, acu triquetra uti, eamque inter anum & oſſis iſchium tuber, in parte latiſſima anguli duplicis & fere paralleli, immittere, quem ex altera parte oſſa pubis, ex altera erectores & acceleratores, formant. In quibus incomprehenſibilia nobis ſunt, quæ cum de angulis parallelis, tum de oſſibus pubis, muſculisque nominatis, propoſuit. Et miramur ſane, ipſum, cum propter hæc ſe tanquam accuratiſſimum Anatomicum laudaret, ita tamen ſui oblitum eſſe, ut propter angulorum parallelismum, quantum in ſubtiliori Matheſi præſtet, indicare negligeret. Maxime, cum, quæ deinde de ipſa curatione refert, circumforaneum quidem, non vero probum modeſtumque, Chirurgum deceant. His præmiſſis, ipſum Cl. *Faji* locum, qui de *Fulbertiana* curatione eſt, aggreditur. Cumque is, tria eſſe hujus curationis commoda, dicat, facilem calculorum protractionem, extenſionem, lacerationemque partium levem, & curationem vulneris, cum nullo incontinentiæ urinæ metu conjunctam, ipſe *Fulbertus* princeps commodum omiſſum eſſe conqueritur, nempe ſine fiſtula curationem perfici, de quo infra dicendi occaſio erit. Malimus vero, ne primum quidem a *Fajo* additum fuerit, cum *Fulbertus* ad minimum ante A. 1740 tam exigua utplurimum plaga veſicam diduceret, ut mediocres etiam calculi protrahi facile non poſſent. Sed ab his ad incommoda tranſeamus, inter quæ cum *Fajus* primum ponat vel repletionem urinæ, vel tantam ejus retentionem, ut veſica tuto perforari poſſit, *Fulbertus* hæc ſimpliciter negat; alterum, non poſſe omnibus veſicis convenire, *Fulbertus*, nullam concipi poſſe, ait, quæ non tantum urinæ continere poſſit, quantum vaſculum capit, ex quo vina bibuntur; tantum enim ſibi plene ſufficere ad felicem curationem; tertium, quia fiſtula non utatur *Fulbertus*, veſicæ autem variant,

incertam ac minus tutam curationem esse debere, *Fulbertus*, ut antea dictum est, laudi sibi potius hoc ducit, &, ridiculum esse, ait, facilitatem curandi alicui vitio verti; neque ipsam curationem imperfectam ac minus tutam facere, quod aliquando, quia æger urinam reddiderat, perforare vesicam non potuerit; quartum semper fere magnam sanguinis profusionem sequi, quæ probabiliter non a pudenda tantum interna veniat, *Fulbertus* eam non negat, sed se comprimendo facilius, quam alii ligando arteriam, eam cohibere posse gloriatur, quæ vero de alia arteria, quam de pudenda externa, *Fajus* dicat, nullam vim habere, cum, quæ sit illa arteria, non indicaverit, adeoque & nullam noviſse putandus sit; quintum, cartilaginem, quæ ossa pubis colligat, secari posse, *Fulbertus* mavult hanc objectionem ridiculam facere, aut se forte ipsum, quam ad eam respondere; sextum, ob crassitiem sectarum partium, neque purgari commode vesicas posse, neque relictos calculos, eorumque fragmenta educi, *Fulbertus* satis habet, dicere, se hæc comprehendere non posse. Tandem ita Epistolæ suæ finem facit, ut, hunc *Faji* impetum gloriæ magis futurum esse *Fulberto*, prædicat, quam ut, ejus curationis nullam utilitatem esse, demonstret. Ceterum per totam Epistolam non demonstrat, sed simpliciter asserit, expertissimum *Fajum* nullam aliam ob causam & *Fulberti* curandi viam damnasse, & nullam *Garengeoti* & *Perchetti* mentionem fecisse, quam ut celebris cujusdam Chirurgi gloriam assereret, quam aliter recte putaverit non parum imminutum iri. *Fajum* vero hunc inprimis Chirurgum sibi laudandum proposuisse, quem, etsi non nominat, tam parum obscuris coloribus depingit, ut, Cel. *Morandum* esse, apertissimum sit. Eaque causa esse existimatur, quæ hunc doctissimum Chirurgum ad alteram jam recensendam Epistolam scribendam impulerit. Huic Epistolæ brevis ad Lectores monitio præfixa est, in qua, sibi hoc solum propositum esse, indicat, ut, expertissimum *Fajum*, demonstret, rationes gravissimas habuisse, cur, *Fulberti* curandi viam incommoda plura, quam commoda, sequi, existimaret. Cumque, non sufficere, putaret, quæ dicenda habebat, simpliciter affirmare, monet, se præter

Digitized by Google

ter alios Cl. *Keſſelringium* & *Günzium* teſtes citaturum eſſe, ex quorum ſcilicet opuſculis multa hauſerit. Duo autem vidimus eſſe, quæ *Fajo* a *Fulberto* exprobrantur, & ad hæc duo etiam ab Autore Epiſtolæ reſpondetur. Itaque, quod *Fajus* a *Fulberto* dicitur plurium Chirurgorum ex Gallo-Francis in lithotomia ſtudia non memoraſſe, ne *Morandi* aliquid gloriæ decederet, quem velit ſuper omnes extollere, Autor Epiſtolæ monet, ſi ex locorum numero, quibus ſingulos Autores, etiam cum laude, in annotationibus ſuis expertiſſimus *Fajus* citaverit, judicari debeat, quem inprimis magni faciat, hunc *Petitum* potius, quam *Morandum*, eſſe debere, facillime oſtendi poſſe. Deinde, ſi quæratur, cui ſtudium partium exprobrari debeat, *Fajo*, an prioris Epiſtolæ Autori, nihil facilius eſſe, quam ex comparata eadem Epiſtola & illa *Faji* annotatione, ob quam potiſſimum lis ipſi mota fuit, cognoſcere, *Fajum* ſe nullius, Epiſtolæ autorem turpiſſimæ, adulationis ſuſpectum feciſſe. Deinde, cum *Fajo Fulbertus* exprobraverit, *Garengeoti* & *Percheti* nullam ab ipſo mentionem injectam fuiſſe, *Coghlanus*, etſi prolatis ipſius *Faji* verbis (*Remarques ſur Dionis pag. 256*) demonſtrat, utrumque illum Chirurgum neutiquam neglectum fuiſſe, mavult tamen *Fulbertum* negligentiæ, quam malitiæ, accuſare. Ab his ad alterum accuſationis caput tranſit, quod accuratius excutit. *Fulbertus*, ſeu Autor prioris Epiſtolæ, ut ſuperius vidimus, maxime mirum eſſe dicebat, *Fajum*, etſi fiſtulæ neceſſitatem inter incommoda *Cheſeldenianæ* curationis numeraverit, tamen *Fulbertianæ* commodis non accenſuiſſe, quod ſine fiſtula perficitur. Ad hæc *Coghlanus* docet, hanc accuſationem quaſi nullam eſſe, quod vel male intellecto, vel negligenter inſpecto, loco nitatur; *Fajus* enim non fiſtulæ neceſſitatem in numero incommodorum *Cheſeldenianæ* curationis habet *loc. cit. pag. 254*, ſed quod debeat ab alio, quam ſecante, Chirurgo teneri. Veniamus jam ad ſex illa incommoda, quæ ſupra vidimus in *Fulbertiana* curatione a *Fajo* inventa fuiſſe, & quæ *Coghlanus*, ſeu *Morandus* potius, cum argumentis, tum exemplis, confirmat. Primum incommodum, quod in urinæ retentione, & veſicæ adeo diſtentione, conſiſtit, propterea

propterea nullam esse Autor prioris Epistolæ dicebat, quia exiguus admodum modus urinæ ad felicem curationem sufficiat, & minor, quam ut inde distendi vesica possit. Sed quis ipsi in hoc simpliciter fidem habuerit? Maxime cum ipse *Fulbertus*, (*Mercure de France de Juillet A. 1736 pag. 1553*,) ejusque affinis, *Malavalus*, (*These soutenue à Rheims A. 1738*,) in publicis scriptis dixerint, ægrum & urinæ retentioni assuefieri debere, &, quo die secari debet, multum bibere. Ex his autem scriptis Cl. *Fajus* ea sumsit, quæ de hoc incommodo proposuit. Quid igitur? Si *Fulberto* ad felicem curationem sufficit, ægrum tantum urinæ retinere posse, quantum vitreum vasculum, quo ad vini potum utimur, capere possit, cur cogit ægros multum bibere? quod sine dubio vesicæ distentionem debet, &, quæ ab hac incommoda proficiscuntur, efficere? Quodsi vero monitus *Fulbertus* hoc ita correxit, ut non amplius ægros cogeret lotium retinere, cur non hoc olim fatebatur Epistolæ Autor ex incommodis suæ curationis fuisse, nunc porro non esse? Attamen, adhuc esse, neque debere adeo prioris Epistolæ autori fidem adhiberi, ex eo Commentario apparet, qui de hac curandi via inter illos Academiæ Chirurgorum Parisiensis est. Ibi enim *Fulbertus* priori loco duo vascula, altero unum vel duo urinæ necessaria esse ait, ut in vesica sint, si debeat curatio feliciter perfici. Sed, si tam exiguum urinæ modum concedamus ad vesicas, quæ non nimis parvæ, contractæ, aliterve vitiatæ, sunt, feliciter aperiendas sufficere, quis ad has sufficere crediderit? quæ ita post ossa pubis latent, ut ad primum intuitum quasi abesse videantur. Et meminimus in adulto homine, qui tamen calculo non laborabat, vesicam post mortem tam angustam contractamque aliquando inveniisse, ut tantum urinæ non caperet, quantum ad ejusmodi vitreum vasculum implendum requiritur, ex quo vinum bibimus. Quare Cl. *Kesselringio* & *Günzio* subscribere non dubitamus, qui ostendunt, si in ejusmodi vesicis *Fulbertiana* curatio tentetur, impediri non posse, quo minus acus triquetra non tam vesicam aperiat, quam receptacula seminis pertundat, ac peritonæum perforet. Neque, cum *Coghlano* putamus, hic aliquid valere

pilam

pilam, imo ventri impoſitam, cum profundius, & poſt oſſa pubis ſic poſita veſica ſit, ut, quantumcunque valida etiam preſſio concipiatur, tamen deorſum urgeri non valeat. Sed *Fajus* & hoc *Fulberto* objecerat, neque obeſis hominibus curationem ipſius convenire. *Fulbertus*, aut qui alius ſit Autor Epiſtolæ, parum ſollicitus de hac accuſatione removenda, vel diluenda, ſatis habuit reſpondere, in *Cheſeldeniana* curatione, ſi *pinguis* homo ſit, fiſtulam quoque ob adipis craſſitiem ſæpe diſtingui vix poſſe, ſuper qua tamen debeat ſectio fieri. Sed ne hoc quidem jure objicitur. Et facile Cel. *Morandus* demonſtrat, *Fulbertum* adeo *Cheſeldenianam* curationem non cognitam habere, quod in ea cutis cum adipe, facile ſine fiſtula, diſſecetur, quæ tum demum quæri debeat, poſtquam hæ partes diſſectæ ſint, nec difficulter inveniatur. Putamus tamen, inter eos, qui calculi ſectioni ſeſe ſubmittunt, pauciſſimos obeſos eſſe. Tertium locum inter incommoda fiſtulæ defectus habebat, cui *Fulbertus* acum triquetram quaſi ſubſtituit. Hinc defenſor *Fulberti* occaſionem arripiebat, ipſum eo nomine vehementer laudandi, quod anatomica ſcientia inſtructus, etiam ſine fiſtula ſciret veſicam aperire. Tamen omnia eo redeunt, ut majori, quam alii ſolent, audacia, non vero certitudine quaſi ac ſecuritate, *Fulbertum* curationem ſuam perficere, demonſtret. Neque magna circumſpectione *Fulbertum* incedere, illius pueri exemplum confirmat, cujus veſicam ipſe fatetur ſe aperire non potuiſſe, quia brevi ante curationem urinam miſerit. Vid. *Memoires de l' Acad. de Chir. Tom. I. pag. 676.* Quis enim, Chirurgos, neſcit, calculoſos, quos ſecare debent, ſæpius ante curationem, quod ad partes, quæ ſectione comprehendi debent, exanimare. Et in qua curatione hoc magis neceſſarium eſt, quam in *Fulbertiana*? Scilicet, ut, ſatisne urinæ continere veſica poſſit, intelligatur. Quid igitur, ſi *Fulbertus* in illo puero, etiam pila impoſita, diverſum veſicæ ſtatum non animadvertit? Quis non ſupinam hanc negligentiam dixerit? Sed *Cogblanus* & tria alia exempla affert, in quibus *Fulbertus* veſicam aperire non potuit; aliaque tria addit calculoſorum, Aureliæ ſectorum, qui omnes perierunt, ne de illis dicamus,

In quibus duo patent, quum qua faciat debeat, difficile. Sed *usque Fabricem etiam ipse in Academia Chirurgorum Commentatio pag. 67.* parum illius patet exemplum, dum memorant recentiae, in qua vulcum res aperire non possit. His tandem fe excitarunt quafi fomnio, ut, quum illi quidem manus in unum immitti, altera manus hypogaftrio impofita, ea fola inter in vefica fit, non carnitiones quaerunt. Quod ut eo nomine laudem meream, quo propriam errorem *Fabricius confitetur*, fic non leve negligentiae teftimonium prebitet, quae propterea excufari in fubitero non poteft, quod rem illam fpectet, a qua non carnitio petenda, & de cujus certiffima figna nemo fubitaria effe debuerit. Fallitur *Fabricius* Cafinaeus ad refpondet, quae *Fabricius* de fiftula obtenta, narrat quod, cum ab illa tenuit dolorem, minus fentiret infirmitatem fit, & quod cum longiorem, tum dolentiorem magis, continuum effecit. Ad priorem enim facile refpondet eft, Chirurgum fecutum non ni tenuiorem fiftulam duntaxat effe, quum vero ficta & fimum manum, in ventri cavitatem cognitum, habere. Ad alterum vero & in *Cognitione, vel Mercuriali*, refpondeo eft, ut vel, longiorem, & cum majore fenfu cognitum, *Fabricium* curationem effe, patere poffe. Quod enim cogitur urinam retinere, colligitur in cavitate, ne per fallum confringatur, & per tam craffas partes non irritantes injiciatur, quo omnia *Fabricium* propria. Quo minus minui dolorem, quum infigitur urgeri, confitebuntur eft. Neque eft fiftulam adeo provocari poteft, qua *Fabricius* in cognitione non utitur. Non, fi *Fabricius* dolorem non curat, quum fiftula inteftino tegro tum facit, quando calculus exiguus eadem urat, cur in curatione non malimus mereri, quo fiftula tum perfici non poteft? Et cui incognitum eft, de qua re in Gonali operatione aliqua propofuit fum *pag. 29.* optimo quoque Chirurgo, fumma fere neceffitate eft, ut ftimulum, fiftulam brevi non cognitionem injicere, ut & calculi extrahatur, atque urinae etiam, fuis cavis coeftet. Nam aliter fieri poteft, quod vel ipfi examinatur, ut aqua fimulum, & urina, quae fit non eft, & pertinaci quandam incidunt, qua evitari poteft.

ſent. Fiſtulam vero ad calculi curationem, quæ ſub oſſibus pubis ſit, adeo neceſſariam eſſe, *Coghlanus* docet, ut vel expertiſſimus *Le Dran*, qui ante *Fulbertum*, in eodem veſicæ loco, ſectionem tentabat, (*Parallèle de differ. manieres de tailler pag. 18,*) ſe fiſtula carere non poſſe, intelligeret. Hac occaſione *non* poſſumus, quin aliqua proferamus, quæ nobis in mentem venerunt, quo tempore illum ante citatum *Fulberti* Commentarium legebamus. In hac Chirurgi cujusdam mentionem injicit *pag. 672*, qui tres annos poſt, quam *Fulbertus* ſuam curandi viam invenerit, de hac ita locutus ſit, ut, ſatius eſſe, putaret, integumenta prius ſecare, & poſt hæc veſicam, quæ tunc certius percipi poſſit, aperire. Primum igitur dubitari vix poteſt, hunc Chirurgum *Garengeotum* eſſe, qui librum ſuum A. 1730, adeoque tribus annis poſt curationem, a *Fulberto* inventam, ut ſupra vidimus, in lucem emiſit. Deinde quis dubitabit, *Fulbertum* partim male *Garengeoti* verba interpretari, partim ipſum plagii, ut ita dicamus, accuſare? Nullam enim *Fulberti* mentionem facit, ſed, quomodo veſica aperiri poſſit, ubi diu retenta urina fuerit, clare exponit. *Fulbertus* autem, ut hanc, a *Garengeoto* propoſitam, curandi viam, qui ſuam primum tentare velint, ingredi poſſe concedat, tamen non neceſſariam, ſuam vero multo ſimpliciorem (&, quod addere potuiſſet, multo minus certam atque ſecuram,) eſſe, admodum confidenter poſuit. Oportet autem *Fulbertum* vel ſententiam ſuam mutaſſe, vel hæc omnia non ſerio propoſuiſſe. Namque eodem loco, ubi exemplum pueri profert, in cujus ſectione neque acus, neque ſcalpellus, veſicam aperuit, ſe tamen plaga facta cum fructu uſum fuiſſe, fatetur *loc. cit. pag. 676.* Fiſtula enim in veſicam demiſſa, cujus ope potuerit, digito adhibito, veſicam facile ſentire, ſe ipſum corpus veſicæ, ſuper fiſtula tam facile, eoque cum ſucceſſu, aperuiſſe, ut & calculum protraheret, & ægrum ſervaret. Ex multis, quæ occaſione hujus hiſtoriæ moneri poſſent, aliqua tantum ſubjiciamus. Superiore loco, quo *Fulbertus* curationis, a *Garengeoto* propoſitæ, mentionem faciebat, ſe non obſervare potuiſſe dicebat, quod *Garengeotus* indicavit, plaga facta, per digitum immiſſum

ſentiri poſſe, urinæ ſcilicet in veſica contentæ fluctuationem. At in illo pueri caſu facile tamen fuit, fiſtulam, in veſicam immiſſam, per digitum, plagæ ſubjectum, ſentire. Neque regeri a *Fulberto* poſſe crediderimus, quam in hoc caſu fecerit, diverſam plagam fuiſſe ab ea, quam *Garengeotus* ſuadeat facere. Deinde, ſi illa fortuito facta curatio tam facilis fuit, tantumque ſucceſſum habuit, cur eam *Fulbertus*, ſua relicta, non amplexus eſt? Non enim difficile fuerit tanto & Anatomico & Chirurgo ſcilicet dignoſcere, priorem ſuam curandi viam hac longe inferiorem eſſe. Primum enim non difficilius eſſe exiſtimamus, eo loco, quo *Fulbertus* integumenta ſecat, etiam ſine fiſtula plagam facere, quam in *Cheſeldeniana* curatione, in qua, ſupra vidimus, integumenta ſecari ſic, ut fiſtulæ poſitionis non adeo magna ratio habeatur. Deinde, hac plaga facta, ſtatim ſuper fiſtula poteſt veſica ipſa aperiri, quod efficit, ut, cum acu triquetra opus non ſit, propter numerum inſtrumentorum imminutum, & brevior, & ſimplicior, hæc curatio ſit. Sed facile prævidemus, *Fulbertum* hoc propterea negaturum eſſe, quoniam loco acus fiſtula adhibeatur, periculoſiſſimum, ſi ipſi credimus, inſtrumentum. Putamus tamen, facili negotio evinci poſſe, fiſtulam longiſſime acui præferendam eſſe. Primum de dolore jam ſupra dictum eſt. Deinde quis, fiſtulam, negabit longe certius, quam acum, in veſicam demitti? neque metum eſſe, ne tot ſimul partes lædantur, quarum magna ad ſanitatem neceſſitas eſt? Porro, cum acus aberrare poſſit, per fiſtulam contra veſica ita firmari poteſt, ut non alia, quam velis, pars hujus viſceris incidatur. Adhæc, quia, *Fulbertianam* curationem, oſtendimus, cum magno dolore conjunctam eſſe, quod facit, ut æger ſe varie torqueat, facillime accidere poteſt, ut acus, quæ nunquam nimis profunde immitti debet, imo interdum ob impedimenta, a *Günzio* indicata, non poteſt, ex veſica quaſi refugiat. Idque duplex periculum habere debet. Namque acus, niſi jam intra cannulam ſuam retracta ſit, lædere vicinas partes poteſt, & ſcalpellus deinde immitti non poteſt, & tota adeo curatio non perfici. Hæc omnia pericula ab ea curatione abſunt, quæ ſuper fiſtula fit, quæ, ſi etiam dimoveatur,

moveatur, tamen ſine diſcrimine dimovetur, niſi a negligentiſſimo homine teneatur, & dimota facile iterum reſtituitur, quod cum acu fieri nullo modo poteſt. Atque hoc loco opportune recordamur ſingularis fiſtulæ, quæ inter ea chirurgica inſtrumenta eſt, quorum & deſcriptiones & iconas Cl. *Monrous* dedit in *Medical Eſſays of Edinburg Tom. V Tab. VI Fig. 4.* Ejus fiſtulæ inventio Cl. Medico & Chirurgo Rothomagenſium, *Le Cat*, debetur. Accepimus ipſam cum ipſa curandi via ab Amico quodam, cui in hac re plena fides haberi debet. Eſtque ea non, ut *Monrous* indicavit, ex chalybe parata, verum ex argento, ſic tamen, ut illa pars, qua incurvari incipit, cum filo, fiſtulæ inhærente, & reliquis mobilibus partibus, quæ cum filo cohærent, ex duriſſimo auro paratæ ſint. Ut vero hæc in deſcriptione, a *Monroo* data, corrigi debent; ita & illud, quod de longitudine ibi legitur. Non enim duplo, ſed altera tantum parte, & duos digitos circiter, longior eſt fiſtula, quam ibi in icone exhibetur. Neque tota fiſtula debet, ubi cum filo pars mobilis ex ſua cannula emota partique ſecandæ intus applicata fuit, verſus oſſa pubis tolli, ſed manubrium tantum verſus dextrum inguen inclinando moveri, Cl. *Le Cat* ſuper hoc inſtrumento veſicam & inter utrumque ſeminis receptaculum, ſiniſtro propius, & ſuper hoc ſiniſtroque uretere, eoque adeo loco, aperit, quo & *Fulbertus* acum triquetram injicit. Facitque eam plagam diverſis temporibus ſic, ut ſupra diximus, quod nos exiſtimare facit, hanc curationem ab illa, quam *Fulbertus* in illo puero coactus fecit, parum differre, tumque, ſi utile ſit, eam hoc loco inſtituere, fiſtulam, a Cl. *le Cat* inventam, reliquis præferendam eſſe. Sed graves nonnullæ rationes ſunt, ob quas ne *le Cat* quidem negat, plagam, huic veſicæ parti inflictam, periculoſiorem curationem facere. Eædemque adeo, *Fulbertianam* curandi viam deferendam eſſe, oſtendunt. Sed ad *Coghlanum*, vel, ſi mavis, *Morandum*, redeamus, qui, *Fulbertum* ne quidem autorem illius curationis eſſe, demonſtrandum ſuſcepit. Oſtendit autem, quantum ad locum ſectionis, a Cl. *le Dran* ad id, quod urinam retinere jubet, a *Roſſeto* in acu triquetra, a *Drovino*, *Junckero*,

ckero, aut, quem nonnulli Conſpectus Chirurgiæ autorem eſſe dicunt, Argentoratenſium Chirurgo, *le Maire*, *Garengeoto*, *Denyſio*, & lithotomo, a *Beverovicio* citato, præventum eſſe. Imo, quantum ad locum veſicæ aperiendum, idque ſine fiſtula, attinet, potuiſſet etiam *Riolanus* afferri, qui videtur veſicam eodem loco in eo caſu aperuiſſe, in quo urina per fiſtulam educi non poteſt. Nam, profunde, inquit, adigitur cultellus uſque ad veſicam lateraliter (in perinæo), donec urina fluxerit. Sic enim ſæpe liberavimus multos ab imminenti periculo. (*Enchirid. Anat. Pathol. Lib. II Cap. 31.*) Et inter opuſcula *Riolani*, Medici cujusdam, *Pleſſii* nomine, Epiſtola eſt, in qua, ſe, ſcribit, hoc modo a Chirurgo liberatum fuiſſe, qui ejus curationis felicem ſucceſſum in pluribus ægris comprobaverit. Præcipueque huc pertinet *Bimeli*, Chirurgi Lugdunenſis, obſervatio, quæ tertia eſt in *Zodiac. Med. Gall. Ann. II.* Sed malumus credere, *Fulbertum* hæc omnia ad minimum tum ignoraſſe, quando curandi hanc viam excogitabat, quam inhumaniores quodammodo & levem illam voluptatem ipſi turbare, quæ ex inventionis gloria ſolet exiſtere. Itaque ad quartum incommodum tranſeamus, quod in hæmorrhagia conſiſtit. Cum *Fajus* ſimpliciter dixerit, præter externam pudendam, & alias arterias in *Fulbertiana* curatione ſecari, Autor vero prioris Epiſtolæ ex hoc, quod, quæ ſint illæ aliæ arteriæ, non addidit, argumentum ad probandum duxerit, nullas eſſe; *Coghlanus* plures earum enumerat, truncum ſcilicet hæmorrhoidalem, qui ex pudenda interna ad corpora cavernoſa progrediatur, arteriam, quæ his ipſis proſpiciat, pudendam externam, ſi ſecundum veſicam inter urethram, veſiculam ſeminalem, & collum veſicæ, progrediatur, imo ipſam denique pudendam internam, quæ vaſa, ſi non omnia, tamen unum alterumque in *Fulbertiana* curatione, in reliquis non, aperiantur. Ac præter hæc, etſi ad hæc vaſa, quorum parum conſtans cum ortus, tum progreſſus, eſt, minus reſpiciamus, debet tamen ſanguinis profuſio magna eſſe, modo partim vulnus profundius, partim rete vaſorum, conſideremus, quod circa illam partem veſicæ magnum eſt, quæ inciditur. Affirmavit etiam nobis *Günzius*, illos

illos ægros, quos viderit a *Fulberto* ſectione curari, majorem ſanguinis profuſionem expertos eſſe, quam qui eodem tempore alia methodo ſecti fuerint. Quintum incommodum ad ſymphyſin oſſium pubis pertinebat, quam, *Fajus* dixerat, diſſecari poſſe. Autori contra Epiſtolæ ridiculum eſſe videbatur, hujus ſymphyſeos læſionem metuere, & inter incommoda referre velle. Verum, & hoc incommodum *Fulberto* vere accidiſſe, exemplis declaratur, riſuique ſe *Fulbertus* expoſuit, quod, cur *Fajus* non coccygis etiam & iſchium oſſis læſionem metuat, quæſivit, quæ tamen oſſa dorſum cultri in ſectione reſpiciunt. Videtur tamen *Fulbertus* jam ipſe de læſione oſſium pubis non dubitare. Ad quem enim finem alias dixerit, quomodo oſſa pubis evitari debeant? (*Memoir. de l' Acad. pag. 671.*) Supereſt, ut, quæ Cel. *Morandus* de ſexto incommodo dixit, conſideremus. Primum vero, cum *Fulbertus* contenderit, ſe non comprehendere poſſe, cur veſicæ morboſæ ob ſitum partium, earumque craſſitiem, commode purgari nequeant, *Morandus* oſtendit, vulnus veſicæ externo vulneri non reſpondere. Idque partim a diverſitate veſicæ plenæ, & vacuæ, partim ab eo provenit, quod *Fulbertus*, dum, digito ano immiſſo, hunc dextrorſum premit, veſicam ſiniſtrorſum, ac verſus oſſis iſchium tuber, magis cedere cogit. Eaque non hanc tantum vim habent, verum & id efficiunt, ut veſica, quæ in ſectione integumentis propinqua erat, ab iis refugiat, ac longitudinem, ſeu profunditatem, plagæ augeat. *Fulbertus* autem, ſeu Autor Epiſtolæ, plagam etiam ſecundum viæ inclinationem factam eſſe, contendit, quam urina ex veſica habet. Huic tamen cum *Morando* ipſæ icones repugnant, quibus *Fulbertus* plagam exhibuit, quam veſicæ ſolet infligere. A poſteriore enim veſicæ parte prope ureterem incipiens, non recta ad urethram antrorſum deorſumque ducitur, ſed aliquantum ſuperiora verſus, & poſt oſſa pubis, terminatur. Deinde, etſi laterales veſicæ partes, quibus plaga infligitur, urina retenta, a latere inteſtini recti tantillum deſcendunt, ſectione tamen facta, quæ urinam effluere facit, ſe quaſi reſtituunt. Denique *Fajus*, eodem loco pro incommodo habuerat, calculos, qui relicti fuerint, eorumque fragmenta, commode educi non poſſe.

poſſe. Adhæc Autor Epiſtolæ, quæ ratio ſit, quærit, cur in ea curatione, in qua, ipſe *Fajus* dixerit, calculos facile protrahi poſſe, fragmenta, minoresque calculi, educi nequeant. Ad quæ ſane facilis reſponſio eſt. Non enim de illis fragmentis calculisque hic ſermo eſt, qui in ipſa curatione protrahuntur, ſed de iis, quos pluribus ſæpe poſt eam diebus educi oportet. Plagam vero veſicæ, jam demonſtratum eſt, curatione facta, externæ non reſpondere. Sed ne hoc quidem putaverimus *Fulberto* dari poſſe, poſſe ſcilicet, ſi ipſius curandi via utamur, calculos facile protrahi. Nam præter ea, quæ de difficultate, calculos in *Fulbertiana* curatione protrahendi, a *Günzio* prolata ſunt *pag. 35*, non difficile eſt, ex plagæ veſicæ poſitu, & proſtatæ baſeos amplitudine, ac cedendi difficultate, cognoſcere, qua via in *Fulbertiano* curandi modo calculus educi debet, ea, ut omnes calculos, ſic aliquanto majores potiſſimum, difficilius, quam in reliquis omnibus curationibus, debere protrahi. Ut vero Cl. *Morandus* addere fortaſſis hæc non voluit; tamen, *Fulbertum*, demonſtrat, parum ſcire, quæ Fratris *Jacobi* curandi via fuerit. Intelligimus autem eam, qua, *Meryi* aliorumque conſiliis inſtructus, feliciter uſus eſt, &, quæ, quod *Morandus* ait, alteram epocham hiſtoriæ hujus Monachi facit. In eaque, certum eſt, eam veſicæ partem apertam fuiſſe, quam collum veſicæ nominant. Quare, ſi hanc partem aperuit, quomodo *Fulbertiana* curatio dici poteſt ex illa Fratris *Jacobi* nata eſſe? Hic fiſtula utebatur, & collum veſicæ incidebat; *Fulbertus* utrumque damnat, & veſicæ corpus incidit. Itaque *Coghlanus*, poſtquam ad lateralis quoque ſectionis, & illius, quæ cum magno, ut dicunt, apparatu fit, feliciſſimos ſucceſſus provocavit, nullam *Fulbertiana* inferiorem eſſe, colligit, neque eam poſſe, niſi ad eos ægros liberandos, utilem eſſe, quibus veſica pertundi, atque incidi, debet, poſtquam fiſtula ad urinam, diu retentam, educendam fruſtra adhibita fuit. Et nobis quidem ab initio animus erat, obſervationes quasdam, quando & illam Epiſtolam, & *Fulberti* Commentarium, legebamus, factas, his omnibus addere. Sed nolumus Lectorem ultra morari, easque obſervationes alii occaſioni reſervamus.

COMMEN-

Digitized by Google

COMMENTATIO IN METHODUM INTERPOLANDI Newtonianam, cujus præſertim inveſtigatio analytica, eademque genuina, ante oculos ponitur, ejusdemque uſus inſignis exemplis quibusdam ſelectioribus comprobatur.

Autore JO. THEOPHILO WALZIO, *Potentiſſ. Polon. Reg. Saxon. Elect. Mathematico & Geographo, nec non Regiæ Majeſtati a Conſiliis.*

Inter inventa, quibus æternam nominis famam meruit, ac monumentum ære perennius exegit, Illuſtriſſimus *Newtonus*, Methodus interpolandi, quam Vir inſignis differentialem appellat, præcipuum quendam locum ſibi vindicare videtur; qua vix quidquam exſtat majori ingenii vi excogitatum, & cujus uſus in re analytica latius pateat. In eo autem poſita eſt methodi vis, ut, expoſita ſerie quavis quantitatum, *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, &c. ad *intervalla* æqualia, vel inæqualia, diſpoſitarum, inveniantur termini intermedii, vel, quod eodem recidit, ut ſeriei terminus generalis, hoc eſt, qui cuivis intervallo a primo *a* reſpondet, formula quadam deſignetur; quam cum diverſi ordines differentiarum a quantitatibus propoſitis ingrediantur, huic Methodo nomen *differentialis* ab Inventore inditum eſt, in cujus locum nobis quidem vocem *Interpolationis*, idque, vitandæ ἀμφιβολίας cauſa, ſubſtituere liceat. Primas methodi lineas ipſe duxit *Newtonus* in *Princ. Phil. Nat. Lib. III Lemmate V*, ejusdemque uſum ſtatim commonſtravit in determinando loco Cometæ, qui obſervatos quosdam interjaceat. Cum vero omnia absque ulla analyſi & demonſtratione tradiderit, peculiari deinceps Schediaſmate, quod cum ceteris ejus Opuſculis cura Doctiſſimi *Joneſii* in lucem exiit, defectum ſupplere anniſus eſt, deditque methodi demonſtrationem, ſubtiliſſimam illam quidem, ſed arduam, & talem, quæ fontem inventi ipſum tegat potius, quam retegat, præſertim cum formulæ, ex *Lemmate V Princip.* promanantes, alio habitu,

bitu, ac in dictis demonſtrationibus, veſtitæ appareant. Deinceps veſtigia Viri legentes Geometræ Angli, certatim in hac methodo demonſtranda perpoliendaque deſudarunt; ſed utplurimum in demonſtratione, miſſa inveſtigationis genuina ratione, acquieverunt. Quod equidem de omnibus, quæ hanc in rem pervolvi, ſcriptis affirmare auſim; nusquam enim methodum analyticam, omni licet cura adhibita, inveni. Ex Operibus quidem *Coteſianis* & *Stirlingianis* perſpici poteſt, Viros hoſce egregios rectam hujus doctrinæ inveſtigandæ rationem utique habuiſſe, ſed, quo majori admirationi eſſet, veterum Geometrarum more, qui Anglis ſolennis eſt, eandem texiſſe, atque adeo involviſſe, ut a minus exercitatis non adeo facile erui, & in apricum produci, queat.

Fuere tamen, qui analyticam methodi inveſtigationem contexere anniſi ſunt, Viri quondam eximii, *Jo. Craigius* & *Fr. Chr. Majerus*; ille quidem in Tractatu *de Calculo fluentium*, hic vero in *Comm. Petrop. Tomo II.* Si autem, quod res eſt, dicendum, laudati Viri ſcopo præfixo minime videntur potiti. Uterque peccat in aſſumtione formæ termini generalis: *Craigius* quidem, quod formam aſſumſit analogam ei, qua *Newtonus* utitur in demonſtrando methodi fundamento, quæ vero ad inveniendum inepta eſt; *Majerus* autem, quod inductione potius, quam legitima inveſtigatione, eſt uſus, terminumque generalem pro ſerie duarum, trium, quatuor, &c. quantitatum ſucceſſive quæſivit, unde pro majori quantitatum numero terminus generalis vix aliter, quam divinando, erui poteſt, cum lex continuationis non adeo facile in oculos incurrat.

Huic malo remedium allaturus, methodique penitus cognoſcendæ, & in egregios uſus vertendæ, cupidiſſimus, jam ante aliquot annos de fundamento ejus analytice perveſtigando cogitavi, atque analyſin ipſam, qualem hic deſcribo, inter adverſaria mea retuli, opuſculo cuidam analytico, quod ſuo tempore in lucem emittere conſtitueram, inſerendam. Verum adverſaria haud ita pridem revolventi cum in mentem veniſſet, me nihil adhuc certi de edendo libello ſtatuere poſſe, ſatius viſum

Digitized by Google

viſum eſt, doctrinam Interpolationis *Newtonianæ* ſpeciminis loco præmittere, idque inprimis in gratiam eorum, qui, dum rei analyticæ operam navant, magiſtri ope deſtituuntur. Experiundo enim *ipſe* didici, quantam laboris & temporis jacturam tirones *in* perplexis arduisque demonſtrationibus percipiendis *faciant*, quas cum ſic ſatis intellexerunt, de rei quidem veritate certi, in applicatione autem ejus non raro fluctuant, & in arte inveniendi, quod tamen palmarium eſt, ne γρὺ quidem proficiunt. Adde librorum Anglicorum, ex quibus talia haurienda eſſent, apud nos raritatem & immane pretium, quo tenuiores prorſus abſterrentur. Quibus cauſis effectum puto, ut methodus pulcherrima in regionibus noſtris minus forte, quam par eſt, innotuerit. Quæ cum ita ſint, nemo eſt, qui non videat, me hac vice utilitati diſcentium unice litare, quod non minus, quam novis inventis rem mathematicam augere, ejusque pomœria proferre, officii mei eſſe puto. Vix quidquam, fateor, ſi a methodo inveſtigandi diſceſſeris, meum hic eſt; ſed, ſi conatus ingeniorum præſtantiorum hac parte adjuvero, ex aſſe mihi ſatisfactum, æqui ſciant rerum æſtimatores. Eodem fine, quæ in difficiliora quædam Analyſeos *Newtonianæ* capita dudum ſcriptis mandavi, ὑπομνήματα publici juris faciam, niſi forſan alii Viri docti, quod opto, conatus meos prævertant ac ſuperent. Verum ſic plus ſatis præluſimus; nunc ad rem.

Exponatur ſeries quantitatum quævis

$a, b, c, d, e, f, g, h, i$, &c. tuncque, ſubducto quovis termino antecedente a conſequente, ordo differentiarum primarum ſequens proveniet:

$b-a, c-b, d-c, e-d, f-e, g-f, h-g, i-h$, &c.

Subducto iterum termino quovis antecedente hujus ſeriei a ſuo conſequente, erit ordo differentiarum ſecundarum

$c-2b+a$, $d-2c+b$, $e-2d+c$, $f-2e+d$, $g-2f+e$, &c.

Eodem operandi modo ſeries differentiarum tertiarum eſt

$d-3c+3b-a$, $e-3d+3c-b$, $f-3e+3d-c$, $g-3f+3e-d$ &c.

ficque iterum obtinetur ſeries differentiarum quartarum

$e - 4d + 6c - 4b + a$, $f - 4e + 6d - 4c + b$, $g - 4f + 6e - 4d + c$ &c.

atque ita deinceps. Unde ſtatim patet, coefficientes numericos in ſingulis differentiarum ordinibus eosdem eſſe cum unciis Binomii $A - B$ ad poteſtatem evecti, cujus index eſt æqualis ordini differentiarum. Ita v. g. coefficientes in ordine differentiarum decimarum ſunt, $1, -10, +45, -120, +210, -252, +210, -120, +45, -10, +1$.

Antequam vero ulterius progrediamur, notandum, ſeriem quantitatum propoſitam a puncto vel termino quodam fixo ad unam ſolum, vel ad utramque, partem excurrere poſſe; ita e. g. a termino fixo $(x+y)^0$ poteſt excurrere ſeries ad dextram

$(x+y)^0$, $(x+y)^1$, $(x+y)^2$, $(x+y)^3$, $(x+y)^4$, $(x+y)^5$, &c.

vel ad dextram & ſiniſtram ſimul, veluti

$(x+y)^{-3}$, $(x+y)^{-2}$, $(x+y)^{-1}$, $(x+y)^0$, $(x+y)^1$, $(x+y)^2$, $(x+y)^3$, &c.

Unde problema de inveniendo termino generali ſeriei propoſitæ in duos ramos principes diſpertitur. Aut enim prorſum duntaxat, aut prorſum & retrorſum, ſeries propoſita continuari ſupponitur. Sit itaque

Problema I. Expoſitis ordine quantitatibus, $a, b, c, d, e, f, g, b, \ldots\ldots$ ſignis $+$ & $-$ utcunque affectis, quæ a termino fixo a ad unam partem excurrant, atque ad intervalla æqualia, quorum quodlibet deſignetur per n, ſint diſtributæ; quæritur terminus ſeriei generalis, hoc eſt, is, cujus diſtantia a primo a ſit $= y$.

Solutio. Dicto Termino quæſito $= Q$, tota jam difficultas poſita eſt in aſſumenda forma ſeriei, qua Q exprimi debet. Ea autem talis eſſe debet, ut ſeries abrumpatur, quoties $y =$ cuidam multiplo ipſius i, atque terminum reſpondentem in ſerie propoſita præbeat. E. g. ſi $y = o$, debet fieri $Q = a$; ſi $y = n$, debet fieri $Q = b$; ſi $y = 2n$, $Q = c$; ſi $y = 3n$, $Q = d$, &c. Unde perſpicitur, formam termini Q hujus-

hujusmodi, $Ay^0 + By^1 + Cy^2 + Dy^3 + Ey^4 + Fy^5 +$ &c. qualem adhibent *Craigius* & *Majerus*, huic negotio minus esse accommodatam Non enim ejus est indolis, ut eam abrumpi pateat, si τῷ y aliquis valorum prædictorum tribuatur; & præterea si numerus terminorum seriei expositæ a, b, c, d . . . . . fit ingens, æquationes pro determinandis coefficientibus A, B, C, D, &c. adeo fiunt complicatæ, ut earum solutio vires ingenii humani fere superet. Jam vero ex ipsa synthesi æquationum algebraicarum superiorum ordinum facile in mentem venire potest, cujus formæ debeat esse quantitas, quæ in nihilum abeat, si indeterminatæ certi valores tribuantur. Ita neminem fugit, si formula ex indeterminata z & datis, m, n, p, q, &c. componi debeat talis, quæ toties fiat $= 0$, quoties $z = m$, vel $= n$, vel $= p$, vel $= q$, &c. formulam fore hujusmodi, $M(z-m)(z-n)(z-p)(z-q)$, ubi M est constans arbitraria, ex conditionibus quæstionis specialibus facile definienda. Quæ cum ita sint, in forma ipsius Q definienda non admodum laborabimus. Erit nempe talis: $A + By + Cy(y-n) + Dy(y-n)(y-2n) + By(y-n)(y-2n)(y-3n) + Fy(y-n)(y-2n)(y-3n)(y-4n) +$ &c. quam ultro patet abrumpi, quoties $y =$ cuidam multiplo ipsius n. Primus autem terminus duci nequit in y, quia, posito $y = 0$, Q non evanescit, sed potius fit $= a$; unde est $A = a$. Reliqui coefficientes B, C, D, E, &c. definientur, scriptis successive n, $2n$, $3n$, $4n$, $5n$, &c. pro y, & valores Q, exinde resultantes, æquando terminis analogis b, c, d, e, f, g, &c. in serie proposita. Nempe, si $y = n$, erit $Q = A + Bn$, & quia tunc est $Q = b$, erit $b = A + Bn$, & $B = \frac{b-A}{n} = \frac{b-a}{n}$; si $y = 2n$, erit $Q = A + 2Bn + 2Cnn = c$, adeoque $C = \frac{c-2Bn-A}{2nn} = \frac{c-2b+a}{n \cdot 2n}$, substitutis nempe valoribus τῶν A & B. Si $y = 3n$, est $Q = A + 3nB + 6Cn^2$

$+6Cn^2+6Dn^3=d$, unde $D=\frac{d-A-3nB-6Cn^2}{6n^3}$ $=\frac{d-3c+3b-a}{n.\,2n.\,3n}$. Sic porro, si $y=4n$, invenitur E $=\frac{e-4d+6c-4b+a}{n.\,2n.\,3n.\,4n}$; si $y=5n$, proveniet $F=\frac{f-5e+10d-10c+5b-a}{n.\,2n.\,3n.\,4n.\,5n}$, & sic deinceps. Unde generaliter concluditur $Q=a+\frac{b-a}{n}y+\frac{c-2b+a}{n.\,2n}y(y-n)+\frac{d-3c+3b-a}{n.\,2n.\,3n}y(y-n)(y-2n)+\frac{e-4d+6c-4b+a}{n.\,2n.\,3n.\,4n}y(y-n)(y-2n)(y-3n)+\frac{f-5e+10d-10c+5b-a}{n.\,2n.\,3n.\,4n.\,5n}y(y-n)(y-2n)(y-3n)(y-4n)+$ &c. Jam vero ex iis, quæ de ordinibus differentiarum quantitatum $a, b, c, d, e, f, g, h,$ &c. prælibavimus, perspicuum est, $b-a$ esse primam differentiarum primarum, $c-2b+a$ primam secundarum, $d-3c+3b-a$ primam tertiarum, & sic deinceps; quapropter, si majoris compendii gratia ponas $b-a=d'$, $c-2b+a=d''$, $d-3c+3b-a=d'''$, $e-4d+6c-4b+a=d''''$, & sic porro; valor ipsius Q exhibebitur per seriem, $Q=a+\frac{yd'}{n}+\frac{y(y-n)}{n.\,2n}d''+\frac{y(y-n)(y-2n)}{n.\,2n.\,3n}d'''+\frac{y(y-n)(y-2n)}{n.\,2n.\,3n.}$ $\frac{(y-3n)}{4n}d''''+\frac{y(y-n)(y-2n)(y-3n)(y-4n)}{n.\,2n.\,3n.\,4n.\,5n}d'''''$ + &c. *Q. E. I.*

Corollarium 1. Si $n=1$, qui casus est omnium simplicissimus,

ciſſimus, erit $Q = a + \frac{y\,d'}{1} + \frac{y(y-1)}{1.\,2}\,d'' + \frac{y(y-1)(y-2)}{1.\,2.\,3}\,d''' + \frac{y(y-1)(y-2)(y-3)}{1.\,2.\,3.\,4}\,d'''' + \&c.$

Corollarium 2. Si ponas $y = x - 1$, erit $x =$ numero terminorum, adeoque etiam $Q = a + \frac{(x-1)}{1}\,d' + \frac{(x-1)(x-2)}{1.\,2}\,d'' + \frac{(x-1)(x-2)(x-3)}{1.\,2.\,3}\,d''' + \frac{(x-1)(x-2)(x-3)(x-4)}{1.\,2.\,3.\,4}\,d'''' + \&c.$

Problema II generalius. Expoſitis, ut antea, quantitatibus $a, b, c, d, e, f, g \ldots\ldots Q$, ſtatuantur earum diſtantiæ a puncto quodam fixo utcunque inæquales, $k, l, m, n, p, q, r \ldots\ldots y$, & requiratur terminus Q, reſpondens diſtantiæ y.

Solutio. Forma ſeriei, qua Q exprimitur, erit $A + B(x-k) + C(x-k)(x-l) + D(x-k)(x-l)(x-m) + E(x-k)(x-l)(x-m)(x-n) + \&c.$ quæ talis eſſe ſtatuitur, ut abrumpatur, quoties $x = k$, $x = l$, $x = m$, $x = n$, &c. Jam ad determinandas $A, B, C, D, E,$ &c. ſit $x = k$; unde $Q = A = a$. Sit porro $x = l$, erit $Q = A + B(l-k) = b$, unde $B = \frac{b-A}{l-k}$; ſit $x = m$, erit $Q = A + B(m-k) + C(m-k)(m-l) = c$, unde $C = \frac{c-A-B(m-k)}{(m-k)(m-l)}$; ſit $x = n$, erit $Q = d = A + B(n-k) + C(n-k)(n-l) + D(n-k)(n-l)(n-m)$; unde $D = \frac{d-A-B(n-k)-C(n-k)(n-l)}{(n-k)(n-l)(n-m)}$ & ſic deinceps, unde lex continuationis affulget. Erunt itaque coefficientes hujusmodi:

$A = a$

$$A = a$$

$$B = \frac{b - A}{l - k}$$

$$C = \frac{c - A - B(m-k)}{(m-k)(m-l)}$$

$$D = \frac{d - A - B(n-k) - C(n-k)(n-l)}{(n-k)(n-l)(n-m)}$$

$$E = \frac{e - A - B(p-k) - C(p-k)(p-l) - D(p-k)(p-l)(p-m)}{(p-k)(p-l)(p-m)(p-n)}$$

$$F = \frac{f - A - B(q-k) - C(q-k)(q-l) - D(q-k)(q-l)(q-m) - E(q-k)(q-l)(q-m)(q-n)}{(q-k)(q-l)(q-m)(q-n)(q-p)}$$

Et ſic porro in infinitum. Quæ formulæ, etſi a *Newtonianis* videntur diverſæ, re tamen ipſa cum iisdem congruunt, atque ad uſum magis videntur accommodatæ. Q. E. I.

Corollarium 1. Si $k, l, m, n, p \ldots\ldots$ exponantur per $0, 1, 2, 3, 4 \ldots\ldots$, prodibit $A = a, B = b - a, C = \frac{c - 2b + a}{1 \cdot 2}$, $D = \frac{d - 3c + 3b - a}{1 \cdot 2 \cdot 3}$, ut prius inventum in Coroll. 1 Problematis præcedentis. Sin $k, l, m, n, p \ldots$ exponas per $0, n, 2n, 3n, 4n$, &c. incides in caſum ipſius Problematis.

Corollarium 2. Si $k, l, m, n, p \ldots$ exponas per $1, 2, 3, 4, 5 \ldots\ldots$ invenies $Q = a + \frac{(x-1)}{1} d' + \frac{(x-1)(x-2)}{1 \cdot 2} d'' + \frac{(x-1)(x-2)(x-3)}{1 \cdot 2 \cdot 3} d''' +$ &c. ut in Corollario 2. Problematis præcedentis.

Provehimur jam ad Q inveniendum, eo caſu, quo ſeries quantitatum a puncto quodam fixo utrinque in infinitum excurrit. Duplex autem caſus iterum hic conſiderandus eſt. Aut enim numerus terminorum omnium eſt *impar*, adeo ut unicus

unicus in medio consistat: vel *par*, cum duo termini medium locum occupant.

Problema III. Exposita serie quantitatum, a media *a* utrinque æqualiter excurrentium, veluti .... $\zeta, \varepsilon, \delta, \gamma, \beta, a, b, c, d, e, f$ ..... existente numero terminorum impare; concipiantur omnes termini ad intervalla æqualia dispositi, quod designetur, simplicitatis gratia, per unitatem; quæritur terminus Q, cujus distantia a medio a sit $= y$.

Solutio. Ad inveniendam formam seriei, qua exprimendus est Q, considerandum est, si $y = 0$, fore $Q = a$, qui igitur primum seriei terminum constituit. Quoniam porro series abrumpi debet, existente $y = \pm 1, \pm 2, \pm 3, \pm 4$, &c. quo nimirum termini ex utraque parte ipsius a prodeant; non difficile perspicitur, secundum terminum habiturum formam $By + Cyy$, sive $(B + Cy)\,y$, ut, posita $y = 0$, ipse etiam fiat $= 0$, & ut B & C determinari queant, ponendo $y = +1$, & $= -1$. Nam, si $y = 1$, est $Q = a + B + C = b$, unde $B = b - a - C$. Sin $y = -1$, est $Q = a - B + C = \beta$, unde $B = +C + a - \beta$. Unde emergit $C = \frac{b - 2a + \beta}{2}$, & $B = \frac{b - \beta}{2}$. His perspectis, jam facile patet progressio seriei; ut enim series terminetur, si $y = \pm 1$, $= \pm 2$, $= \pm 3$, &c. debet terminus tertius esse hujus formæ, $(D + Ey)\,y\,(y + 1)(y - 1)$, sive $(D + Ey)\,y(yy - 1)$, qui evanescit, posito $y = 0$, & $= \pm 0$. Quartus erit formæ $(F + Gy)\,y\,(y^2 - 1)\,(y + 2)\,(y - 2)$, sive $F + Gy\,(yy - 1)\,(yy - 4)$, & sic porro. Igitur erit $Q = A + (B + Cy)\,y + (D + Ey)\,y\,(yy - 1) + (F + Gy)\,y\,(yy - 1)\,(yy - 4) + (H + Iy)\,y\,(yy - 1)(yy - 4)(yy - 9) + (K + Ly)\,y\,(yy - 1)\,(yy - 4)\,(yy - 9)\,(yy - 16) +$ &c. Invenimus vero jam $A = a$, $B = \frac{b - \beta}{2}$, $C = \frac{b - 2a + \beta}{2}$; pro reliquis inveniendis, fiat $y = 2$, & $y = -2$; prior suppositio dabit $Q = A + 2B + 4C + 6D + 12E = \gamma$, posterior vero $Q = A - 2B$

$-2B+4C-6D+12E=\gamma$; ex quibus æquationibus conjunctis, si valores τῶν A, B, C, substituantur, emerget $D=\frac{\epsilon-2b+2\zeta-\gamma}{12}$, & $E=\frac{\epsilon-4b+6a-4\zeta+\gamma}{24}$.

Posita jam ulterius $y=3$ & $y=-3$, inveniuntur binæ æquationes, $A+3(B+3C)+24(D+3E)+120(F+3(i)=d$, altera autem $A-3(B-3C)-24(D-3E)-120(F-3G)=\delta$, quibus recte conjunctis, & valoribus, qui præcedunt, substitutis, detegitur $F=\frac{d-4c+5b-5\zeta+4\gamma-\delta}{240}$, & $G=\frac{d-6c+15b-20a+15\zeta-6\gamma+\delta}{720}$, & sic porro.

Quo autem lex continuationis innotescat, loco $\frac{b-\zeta}{2}$ scribatur $\frac{a-\zeta+b-a}{2}$; loco $\frac{\epsilon-2b+2\zeta-\gamma}{12}$ ponatur $\frac{b-3a+3\zeta-\gamma}{12}+\frac{\epsilon-3b+3a-\zeta}{12}$, & sic porro: tuncque deprehendentur valores coefficientium sequentes: $A=a$; $B=\frac{a-\zeta+b-a}{2}$; $C=\frac{b-2a+\zeta}{2}$; $D=\frac{b-3a+3\zeta-\gamma+\epsilon-3b+3a-\zeta}{12}$; $E=\frac{\epsilon-4b+6a-4\zeta+\gamma}{24}$; $F=\frac{\epsilon-5b+10a-10\zeta+5\gamma-\delta+d-5c+10b-10a+5\zeta-\gamma}{240}$; $G=\frac{d-6c+15b-20a+15\zeta-6\gamma+\delta}{720}$, & sic porro.

Hinc jam proclive est, legem coefficientium elicere. Nimirum, si a sit terminus omnium medius in serie quantitatum exposita, $b-2a+\zeta=D'$, $c-4b+6a-4\zeta+\gamma=D''$ &c. ut adeo D', D'', D''', D'''', &c. sint termini medii serierum, quas constituunt differentiæ ordinum parium, veluti secundi,

cundi, quarti, ſexti, &c. porro ſit $a-\mathfrak{G}=d$, & $b-a=d'$; $b-3a+3\mathfrak{G}-\gamma=d''$, & $c-3b+3a-\mathfrak{G}=d'''$, & ſic porro, ut adeo d & d', d & d'', d & d''' &c. ſignificent duos terminos medios ſerierum, quas efficiunt differentiæ ordinum imparium, velut primæ, tertiæ, quintæ, &c. Tandem ponatur $d+d'=\Delta'$, $d+d''=\Delta''$, $d+d'''=\Delta'''$. &c. his ita factis, erit, $A=a$, $B=\frac{\Delta'}{1.2}$, $C=\frac{D'}{1.2}$, $D=\frac{\Delta''}{1.3.4}=\frac{2\Delta''}{1.2.3.4}$, $E=\frac{D''}{1.2.3.4}$, $F=\frac{\Delta'''}{240}=\frac{3\Delta'''}{1.2.3.4.5.6}$, $G=\frac{D'''}{1.2.3.4.5.6}$, $H=\frac{4\Delta''''}{1.\ldots\ldots.8}$, $I=\frac{D''''}{1.\ldots\ldots.8}$ &c. &c. adeoque eſt $Q=a+\frac{(\Delta'+D'y)}{1.2}y+\frac{(2\Delta''+D''y)y(y^2-1)}{1.2.3.4}+\frac{(3\Delta'''+D'''y)y(y^2-1)(y^2-4)}{1.2.3.4.5.6}+\frac{(4\Delta''''+D''''y)y(y^2-1)(y^2-4)(y^2-9)}{1.2.3.4.5.6.7.8}+\frac{(5\Delta^{v}+D^{v}y)y(y^2-1)(y^2-4)(y^2-9)(y^2-16)}{1.2.3.4.5.6.7.8.9.10}$ + &c. quæ ſeries ſolis ſymbolis ab ea differt, quam Cel. *Stirlingius* ſine analyſi dedit. *Q. E. I.*

Corollarium. Quodſi loco 1 ponas n pro intervallo terminorum communi, erit $Q=a+\frac{(\Delta' n+D'y)y}{n.2n}+\frac{(2\Delta''n+D''y)y(y^2-n^2)}{n.2n.3n.4n}+\frac{(3\Delta'''n+D'''y)y(y^2-n^2)}{n.2n.3n.4n.}\frac{(y^2-4n^2)}{5n.6n}$ + &c.

Problema IV. Expoſita jam quantitatum ſerie, ... ζ, ε, δ, γ, β, α, a, b, c, d, e, f, ... quæ a puncto inter a & α medio utrinque excurrat, exiſtente numero terminorum pari; ſint diſtantiæ terminorum a & α a puncto medio reſpective $= 1$ & -1, reliquorum vero terminorum ſingula intervalla ſint eadem, & $= 2$; quæritur terminus Q, reſpondens cuivis diſtantiæ y a puncto medio inter a & α.

Solutio. Quoniam hoc caſu, poſito $y = a$, nihil determinatur immediate, primus ſeriei terminus ſtatim habebit formam $A + By$, ut, poſito $y = 1$ & $= -1$, binæ æquationes oriantur, ex quibus A & B definiri poſſint. Quoniam porro, poſito ſucceſſive $y = \pm 1, = \pm 3, = \pm 5, = \pm 7$, &c. ſeries abrumpi debet, (ob intervallum commune terminorum $= 2$), intelligitur, terminos ſubſequentes fore $(C + Dy)(y^2 - 1)$; $(E + Fy)(y^2 - 1)(y^2 - 9)$ &c. atque adeo $Q = A + By + (C + Dy)(y^2 - 1) + (E + Fy)(y^2 - 1)(y^2 - 9) + (G + Hy)(y^2 - 1)(y^2 - 9)(y^2 - 25) +$ &c. Jam ad determinandos coefficientes, poſito $y = 1$, vel -1, habetur $A + B = a$, & $A - B = \alpha$, unde $A = \frac{a + \alpha}{2}$, & $B = \frac{a - \alpha}{2}$. Poſito $y = \pm 3$, erunt duæ æquationes, $A + 3B + 8C + 24D = b$, & $A - 3B + 8C - 24D = \beta$, quibus conjunctis eſt $C = \frac{b - a + \beta - \alpha}{16} = \frac{b - 2a + \alpha}{16} + \frac{a - 2\alpha + \beta}{16}$, & $D = \frac{b - 3a + 3\alpha - \beta}{48}$; porro, ſi $y = \pm 5$, exibit $A + 5B + 24(C - 5D) + 16.24(E + 5F) = c$, & $A - 5B + 24(C - 5D) + 16.24(E - 5F) = \gamma$; quibus reſte tractatis, provenit $E = \frac{c - 3b + 2a + 2\alpha - 3\beta + \gamma}{2.16.24} = \frac{b - 4a + 6\alpha - 4\beta + \gamma}{2.16.24} + \frac{c - 4b + 6a - 4\alpha + \beta}{2.16.24}$, &

$F =$

$F = \frac{\varepsilon - 5b + 10a - 10\alpha + 5\mathfrak{C} - \gamma}{10.\ 16.\ 24}$, & ſic porro. Quibus perſpectis, facile iterum eſt legem continuationis exprimere. Nimirum, ſi ſit $a + \alpha = A'$; $b - 2a + \alpha = d'$; $a - 2\alpha + \mathfrak{C} = d$; $b - 4a + 6\alpha - 4\mathfrak{C} + \gamma = d''$; $c - 4b + 6a - 4\alpha + \mathfrak{C} = d$ &c. denotantibus itaque d' & d, d'' & d &c. duos terminos medios in ſerie differentiarum, quarum ordo eſt par: ſi ponatur ulterius $D' = a - \alpha$, $D'' = b - 3a + 3\alpha - \mathfrak{C}$, denotantibus adeo D', D'', D''' &c. terminos medios differentiarum ordinis imparis: tandem, ſi fiat $d' + d = \Delta'$; $d'' + d = \Delta''$; $d''' + d = \Delta'''$; &c. habebitur $Q = \frac{A' + D'y}{2} + \left(\frac{\Delta'}{16} + \frac{D''y}{48}\right)(y^2 - 1) + \left(\frac{\Delta''}{2.\ 6.\ 24} + \frac{D'''y}{10.\ 16.\ 24}\right)(y^2 - 1)(y^2 - 9) +$ &c. hoc eſt, $Q = \frac{A' + D'y}{1.\ 2} + \frac{(3\Delta' + D''y)(y^2 - 1)}{1.\ 2.\ 4.\ 6} + \frac{(5\Delta'' + D'''y)(y^2 - 1)(y^2 - 9)}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6} + \frac{(7\Delta'' + D'''y)(y^2 - 1)(y^2 - 9)(y^2 - 25)}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 8} + \frac{(9\Delta''' + D''''y)(y^2 - 1)(y^2 - 9)(y^2 - 25)(y^2 - 49)}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 8.\ 9.\ 10} +$ &c. quæ ſeries eum *Stirlingiana* ad amuſſim conſpirat. Q. E. I.

Scholion. Generaliſſime autem, ſi quantitates intervallis utcunque inæqualibus inter ſe ſint diſpoſitæ; ſi numerus terminorum ſit impar, & k, l, m, n, p, &c. deſignent diſtantias terminorum a medio ex una, & $-\varkappa$, $-\lambda$, $-\mu$, $-\nu$, $-\pi$ &c. ex altera parte; erit terminus generalis hujus formæ: $Q = A + (B + Cy)y + (D + Ey)y(y^2 \pm k\,y - k\varkappa) + (F + Gy)y(y^2 \pm k\,y - k\varkappa)(y^2 \pm l\,y - l\lambda) + (H + Iy)y(y^2 \pm k\,y - k\varkappa)$

$\underset{\kappa}{\pm} ky - k\kappa)(y^2 \underset{\lambda}{\pm} ly + l\lambda)(y^2 \underset{\mu}{\pm} my - m\mu) +$ &c. Sin numerus terminorum ſit par, adeoque k, l, $-\kappa$, $-\lambda$, &c. diſtantias a puncto medio inter a & α deſignent, erit $Q = A + By + (C + Dy)(y^2 \underset{\kappa}{\pm} k\,y - k\kappa) + (E + Fy)(y^2 \underset{\kappa}{\pm} k\,y - k\kappa)(y^2 \underset{\lambda}{\pm} l\,y - l\lambda) + (G + Hy)(y^2 \underset{\kappa}{\pm} k\,y - k\kappa)(y^2 \underset{\lambda}{\pm} l\,y - l\lambda)(y^2 \underset{\mu}{\pm} my - m\mu) +$ &c. Coefficientes autem eadem omnino ratione, qua hactenus uſi fuimus, eruuntur, quem laborem induſtriæ Lectoris relinquo, cum, nullo artificio particulari opus eſſe, ultro pateſcat.

Atque ſic quidem parte prima laboris noſtræ defuncti ſumus, dum analyticam methodi *Newtonianæ* inveſtigationem, quam licuit, perſpicue, & ad captum omnium hominum, commonſtravimus. Supereſt jam, quod initio promiſimus, ut ampliſſimum hujus doctrinæ uſum exemplis quibusdam ſelectioribus declaremus; ſed, cum præter exſpectationem videamus, Commentatiunculam hancce in majorem, quam par eſt, amplitudinem jam excreviſſe, hac vice unicum commemorasſe ſufficiat, ceteris, quæ hanc in rem dicenda habemus, in aliam proximam opportunitatem rejectis.

Sit itaque inveſtigandum $(a+b)^q$, hoc eſt, valor Binomii $a+b$ ad poteſtatem indeterminatam evecti. Loco, $a+b$ ſcribatur $a\left(1+\frac{b}{a}\right)$, ut adeo ſit $(a+b)^q = a^q\left(1+\frac{b}{a}\right)^q$. Explicentur jam valores ſucceſſivi ipſius q per $0, 1, 2, 3, 4, 5,$ &c. atque valores $\tau\tilde{\sigma}\left(1+\frac{b}{a}\right)$ reſpondentes diſponantur ut vides 1; $1+\frac{b}{a}$; $1+\frac{2b}{a}+\frac{bb}{aa}$; $1+\frac{3b}{a}+\frac{3bb}{aa}+\frac{b^3}{a^3}$; $1+\frac{4b}{a}+\frac{6bb}{aa}+\frac{4b^3}{a^3}+\frac{b^4}{a^4}$; &c. Horum terminorum

rum jam capiantur differentiæ primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, &c. ut ſequitur

1ma.... $\frac{b}{a}$; $\frac{b}{a} + \frac{b^2}{a^2}$; $\frac{b}{a} + \frac{2b^2}{a^2} + \frac{b^3}{a^3}$; $\frac{b}{a} + \frac{3b^2}{a^2} + \frac{3b^3}{a^3} + \frac{b^4}{a^4}$ &c.

2da ... $\frac{b^2}{a^2}$; $\frac{b^2}{a^2} + \frac{b^3}{a^3}$; $\frac{b^2}{a^2} + \frac{2b^3}{a^3} + \frac{b^4}{a^4}$; &c.

3^{tia} ... $\frac{b^3}{a^3}$; $\frac{b^3}{a^3} + \frac{b^4}{a^4}$; &c.

4ta ... $\frac{b^4}{a^4}$ &c.

Habemus ergo (per Coroll. 1 Probl. 1) $a = 1$; $a' = \frac{b}{a}$; $a'' = \frac{b^2}{a^2}$; $a''' = \frac{b^3}{a^3}$; $a'''' = \frac{b^4}{a^4}$ &c. Igitur terminus, ad intervallum q a primo pertinens, hoc eſt, $\left(1 + \frac{b}{a}\right)^q = 1 + q\frac{b}{a} + \frac{q(q-1)}{1.\ 2}\frac{b^2}{a^2} + \frac{q(q-1)(q-2)}{1.\ 2.\ 3}\frac{b^3}{a^3} + \frac{q(q-1)(q-2)(q-3)}{1.\ 2.\ 3.\ 4}\frac{b^4}{a^4}$ + &c. adeoque $(a+b)^q = a^q + q a^{q-1} b + \frac{q(q-1)}{1.\ 2} a^{q-2} b^2 + \frac{q(q-1)(q-2)}{1.\ 2.\ 3} a^{q-3} b^3$ + &c. Quod eſt Theorema Binomiale *Newtoni*, & ſeries abrumpitur, quoties $q =$ numero integro affirmativo.

Poteſt vero $(a+b)^q$ etiam expandi in ſeriem, quæ abrumpitur, quoties $q =$ numero integro negativo; quem in finem pone iterum $a + b = a\left(1 + \frac{b}{a}\right)$, & ad intervalla æqualia diſponantur termini, ut vides. Nempe

0 ; 1 ; 2 ; 3 ; ..... q ;

$\left(1 + \frac{b}{a}\right)^0$; $\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-1}$; $\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-2}$; $\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-3}$; ..... $\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-q}$;

erit-

eritque $a = 1 = \left(1 + \frac{b}{a}\right)^0$; porro, ſumtis differentiis, $d' = \left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-1} - 1 = -\frac{b}{a+b}$; $d'' = \left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-2} - 2\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-1} + 1 = \frac{b^2}{(a+b)^2}$; $d''' = \left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-3} - 3\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-2} + 3\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-1} - 1 = -\frac{b^3}{(a+b)^3}$; $d'''' = \frac{b^4}{(a+b)^4}$; $d''''' = -\frac{b^5}{(a+b)^5}$ &c. Quamobrem per Cor. 1 Probl. 1 eſt $\left(1 + \frac{b}{a}\right)^{-q} = 1 - \frac{qb}{a+b} + \frac{q(q-1)}{1 \cdot 2}\frac{b^2}{(a+b)^2} - \frac{q(q-1)(q-2)}{1 \cdot 2 \cdot 3}\frac{b^3}{(a+b)^3}$ + &c. adeoque ſcripto $+q$ loco $-q$, & reſtituto a^q, eſt $(a+b)^q = a^q + q a^q \frac{b}{a+b} + \frac{q(q+1)a^q}{1 \cdot 2}\frac{b^2}{(a+b)^2} + \frac{q(q+1)(q+2)a^q}{1 \cdot 2 \cdot 3}\frac{b^3}{(a+b)^3} + \frac{q(q+1)(q+2)(q+3)}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}\frac{b^4}{(a+b)^4}$ + &c. quam ſeriem terminari patet, quoties $q =$ numero integro negativo. Hoc idem Theorema ex præcedenti poteſt derivari, quod me admonuit *Eulerus*, Vir Celeberrimus, mihique amicitia conjunctiſſimus. Nimirum, quia $a + b = a\frac{(a+b)}{a} = a\left(\frac{a}{a+b}\right)^{-1} = a\left(1 - \frac{b}{a+b}\right)^{-1}$, erit $(a+b)^q = a^q\left(1 - \frac{b}{a+b}\right)^{-q}$, hoc eſt, per Theorema Binomiale, $= a^q + q a^q \frac{b}{a+b} + \frac{q(q+1)a^q}{1 \cdot 2}\frac{b^2}{(a+b)^2}$ + &c. prout jam invenimus. Sunt alii quoque modi idem perveſtigandi, ſed qui ad inſtitutum noſtrum non ſatis pertinent. Poteſt vero pro $(a+b)^q$ inveniri quoque ſeries, quæ abrumpitur, quoties q eſt æqualis numero integro, eidemque vel affirmativo, vel negativo. Verum de his in ſequentibus.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLV.

Pars II.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SAcrés & Eccleſiaſtiques, &c.

hoc eſt,

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SACRorum & Eccleſiaſticorum, continens eorum vitas, Operum catalogum, examen criticum, judicia, chronologiam, analyſin & recenſionem variarum editionum, &c. Autore R. P. REMIGIO CELLIERIO, Benedictino.

Tomus IX.

Pariſiis, apud Paulum du Mesnil, 1741, 4 maj.

Alph. 4 plag. 10½.

Series recenſendi eximii Operis *Cellieriani* ducit nos ad *Volumen IX*, quod totum fere vitæ & ſcriptis *Chryſoſtomi* enarrandis eſt deſtinatum. *Capitis I* inſcriptio eſt *de S. Jo. Chryſoſtomo, Archiepiſcopo Conſtantinopolitano. Articulus I* complectitur hiſtoriam vitæ ipſius. Natus eſt Antiochiæ circa A. 347 parentibus Chriſtianis, conditione nobilibus. Juvenis 18 annorum Philoſophiam a *Libanio*, oratoriam artem ab *Adragantio*, hauſit, inque hac poſteriori tantos fecit progreſſus, ut *Libanius* moriturus neminem cathedra ſua digniorem illo judicaverit, niſi Chriſtianis ſe applicuiſſet. Inde, cognita vanitate Rhetorum, ſe totum

divinioribus literis, ac illarum meditationi, mancipavit. Et plurimum quidem profuit ſtudium *Meletii*, Epiſcopi Antiocheni, qui ipſum per triennium in principiis Chriſtianæ religionis erudivit, poſt ſacris aquis adſperſit, ac in Eccleſia publicum lectorem conſtituit. Cum A. 372 ſacrorum antiſtites, Antiochiæ congregati, id agerent, ut ipſum eccleſiæ præficerent, Noſter, re cognita, clanculum ſe ſubduxit, in montes, Antiochiæ vicinos, ſeceſſit, ibidemque vitæ ſolitariæ, jejuniis, vigiliis, ac aliis pietatis exercitiis, per integrum quadriennium vacavit. Inde, ubi ſeſe uſibus civitatis Chriſtianæ rite præparaſſet, *Meletius* ſub finem anni 380, vel initium anni 381, Diaconi, inde, lapſo quinquennio, *Flavianus* Presbyteri munus in ipſum contulit. Fama doctrinæ, virtutis, ac eloquentiæ, per omne imperium Romanum ſpargebatur; qua motus *Arcadius*, conſentientibus Epiſcopis ac populo, ipſum A. 398 d. 26 Febr. Epiſcopum Conſtantinopolitanum deſignavit. Quotiescunque pro concione dicebat, quod ter quaterve ſingulis ſeptimanis fiebat, ingens turba ad ipſum audiendum confluebat, in vitia libere invehebatur, ſuoque ardore ac vitæ ſanctimonia efficiebat, ut multi a vanitatibus ad virtutis ſtudium ſe converterent, multi ex hæreticis ad eccleſiæ ſocietatem poſtliminio reverterentur. Severitate ſua nonnullos Epiſcopos offenderat, fœminæ etiam, quarum luxum publice perſtrinxerat, ſpeciatim *Eudoxia*, Auguſta, maie ipſi cupiebant; accedebat favor, quo monachos Ægyptiacos, Origeniſmi reos, aque *Theophilo* Alexandrino mirum in modum vexatos, complectebatur; quibus rebus effectum eſt, ut A. 403 in exilium ageretur. Sed, quoniam populus Conſtantinopolitanus abſentiam Præſulis ſui ferre non poterat, & hinc res ad ſeditionem vertebatur, non ita multo poſt eſt revocatus. Verum fortuna illa non diu eſt fruitus. Statua quædam in gratiam Imperatricis non longe a S. *Sophiæ* templo inter publicæ lætitiæ teſtificationes poſita erat. Factum hoc multa cum libertate reprehendit, nec honorifice admodum de Auguſta eſt locutus; quare illa, ira percita, per ipſius inimicos effecit, ut de novo ſede ſua dejiceretur, atque A. 404 in Bithyniam exulatum mitteretur. In exilio poſt multas afflictiones

Digitized by Google

nes placide tandem exſpiravit A. 407 d. 14 Sept. ac juxta *Baſilium* terræ eſt mandatus. Poſtquam vitæ ipſius præcipua momenta enarraſſet, ordine ſcripta ejus recenſet Rev. Autor, & quidem *Art. II* §. 1 agit de *duabus exhortationibus ad Theodorum*, quem a mundi illecebris ad ſanctioris vitæ ſtudium revocare eſt anniſus; §. 2 de *tribus libris apologeticis vitæ monaſticæ*, quos ab ipſo profectos eſſe, nullus plane dubitat, ideo exaratos, ut crimina vitæ monaſticæ objecta dilueret; §. 3 de opere *de comparatione Regis & monachi*, & de duobus libris *de compunctione*, quos *Savilius* primum ad ſuppoſitios rejecit, poſt autem illius vere eſſe agnovit, quod etiam Noſter ex ſtilo & convenientia cum prioribus ſcriptis efficit; §. 4 de *tribus Libris de providentia*; §. 5 de *duobus Libris contra habitationem mutuam Clericorum & fœminarum*, item de *Tractatu de virginitate*, quos ex ſententia *Palladii* ſub primordiis Epiſcopatus publicavit; §. 6 de *duobus Libris ad juvenem viduam*, quam ob mariti præcipitatam mortem ſolari contendit; §. 7 de *VI Libris de Sacerdotio*, quod opus pro præcipuo ex illius ſcriptis ab omni tempore eſt reputatum; §. 8 de *homiliis contra Anomæos*, & de *Tractatu contra Judæos & gentiles*; §. 9 de *octo homiliis contra Judæos*, quas habuit, cum animadverteret, Judæos ægre ferre, Chriſtianos ipſorum feſtivitatibus, menſe Septembri celebratis, non intereſſe; §. 10 de *Sermonibus contra anathema* & *ſtrenas*; §. 11 de *ſeptem ſermonibus de Lazaro*; §. 12 de *ſcriptis* quibusdam, *Chryſoſtomo* ſuppoſitis. *Articulo III* de ſcriptis, *Tomo II* Operum contentis, Autor diſſerit, quæ omnia nominat, inde notatu digna excerpens. Inter dubia, vel *Chryſoſtomo* falſo adſcripta, §. 13 ponit *homiliam de Juda proditore, de ſancto Baſſo, de Abrahamo, de S. Thecla*, duas *homilias de precibus*, quæ num *Chryſoſtomum* autorem agnoſcant, dubitat. Suppoſititia ipſi ſunt *homilia de Zacharia & conceptione Eliſabethæ, de Joanne Baptiſta*, &c. *Articulo IV* ſiſtit recenſionem ſcriptorum, quæ *Tomum III* Operum conficiunt. §. 4 enarrat ſcripta, edita occaſione motuum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ex quibus hiſtoria vitæ *Chryſoſtomi* multum lucis accipit. Reſpiciunt illa maxime *Eutropium* eunuchum, qui, cum ante ſumma apud Imperatorem gratia floruiſſet,

ruiſſet, poſt in ejusdem indignationem incurrit, ac ſummo dignitatis gradu eſt dejectus, ut ad eccleſiam & Epiſcopum, quem multis malis ante affecerat, confugere neceſſe haberet; §. 7 de *Conſtantio*, ad quem literas direxit Epiſcopus, notat, fuiſſe illum ex ipſius familiariſſimis, addictum miniſterio eccleſiæ Antiochenæ, virum recti & æqui amantiſſimum; §. 9 agit de *homiliis*, ipſi ſuppoſitis, in quarum cenſum refert illam *de adſcenſione Chriſti, pentecoſte, Spiritu Sancto, paſtore & ove, adoratione crucis. Articulus V* enarrationem ſcriptorum *Tomi IV* complectitur. *Articulus VI* agit de ſcriptis, quæ inſunt *Tomo V*; *Art. VII* de ſcriptis, *Tomo VI* contentis; ubi §. 5 diſſeritur de *VI homiliis Severiani, Gabalitarum Epiſcopi, de creatione.* Illæ quidem in Codice aliquo MSto Bibliothecæ Vaticanæ nomen *Chryſoſtomi* in fronte gerunt, ſed ex argumento, tractatione, ac ſtilo, ſatis apparet, illius non eſſe, quare hodierno die univerſali conſenſione *Severiano*, Epiſcopo Gabalitarum, tribuuntur. De opere imperfecto *in Matthæum* §. 7 obſervat, *Chryſoſtomum* autorem non agnoſcere, ſtilum, qui in illo adhibetur, eſſe durum & impeditum, imo, ex nonnullis locis apparere, addit, primitus Latine exaratum eſſe, provocans quippe paſſim ad verſionem Latinam. *Art. VIII* commentatur de ſcriptis, quæ *Tomo VII* inſunt; *Art. IX* de operibus, quæ complectitur *Tomus VIII*; *Art. X* de ſcriptis *Tomi IX.* De *homiliis in Actus Apoſtolorum*, de quibus §. 1, judicavit *Eraſmus*, *Chryſoſtomo* indignas eſſe; *Billius* contrarium affirmavit; *Flaminius Nobilius* non quidem negat, *Chryſoſtomi* eſſe, ſed, non integras ad nos perveniſſe, cenſet, verum paſſim per ignorantiam librariorum errores multos irrepſiſſe; eruditiſſimus *Cellierius* Epiſcopo aſſerere nullus dubitat. §. 2, ubi agit de *homiliis in Epiſtolam ad Romanos*, non quidem omnino ſubſcribit judicio *Iſidori*, Commentarium hunc mirum quantum extollentis, & illum theſaurum ſcientiæ *Chryſoſtomi* appellantis, cujus præſtantia ſit tanta, ut, ſi quidem *Paulus* voluiſſet ſe ipſum cum aliquo purioris græcitatis apparatu explicare, non majore eloquentia id facere potuiſſet; arbitratur tamen, ſublimitatem genii, vim ac perſpicuitatem ratiociniorum, eloquentiam nativam, & ὕψος ſtili, in illis

illis deprehendi. *Articulus XI* eſt de ſcriptis, quibus abſolvitur *Tomus X.* De *homiliis in 1 Epiſt. ad Corinthios* judicat Autor, eſſe ex præſtantiſſimis Operibus *Chryſoſtomi*, ſive quis elegantiam ſtili, ſive accurationem, reſpiciat. *Articulus XII* recenſet ſcripta, quibus conſtat *Tomus XI.* De *homiliis in Epiſtolam ad Epheſios* ex ſtilo ac aliis περιστάσεσι quidam judicant, non *Antiochiæ*, ſed *Conſtantinopoli*, eſſe habitas; ſed contrarium ſtatuit Noſter. *Homilias* in *utramque Epiſtolam ad Timotheum* Antiochiæ publice propoſitas eſſe, §. 5. probat ex elogiis, quæ monachis, qui in vicinia Antiochiæ degebant, tribuit, officiis item Epiſcopi, de quibus ita loquitur, ut ſatis appareat, ipſum tum temporis ad Antiſtitis dignitatem nondum evectum fuiſſe. *Articulus XIII* enarrat ſcripta, quæ in *Tomo XII* habentur. In §. 2 ſermonem facit de *homiliis* quibusdam, prima vice operarum formis exſcriptis. Editæ illæ ſunt ex Codice MSto Vaticano, quem alii ex monte *Athos*, alii ex inſula *Patmo*, delatum eſſe exiſtimant, calamo forte auditorum exceptæ, Conſtantinopoli A. 398, 399, habitæ. *Articulus XIV* de ſcriptis *Tomi XIII* agit. Sunt illa varii generis, maxima ex parte homiliæ. *Articulus XV* exponit doctrinam *Chryſoſtomi*, quam de ſingulis articulis religionis Chriſtianæ tenuit, ac teſtimoniis ex ipſius ſcriptis confirmat. *Articulus XVI* ſiſtit judicia virorum præſtantiſſimorum de ſcriptis Epiſcopi, ſimulque diverſas Operum illius editiones enarrat. Pluribus quidem cognomentum *Chryſoſtomi* additur, ſed nemo melius hoc elogium meretur, quam Epiſcopus Conſtantinopolitanus, quod ipſi jamdum a Seculo V communi conſenſione eſt inditum. Illius dictio eſt perſpicua, pura, ſplendida, non affectata, ſimplex, nativa, ac omnibus inutilibus ornamentis, quæ vana eloquentia poſt introduxit, nudata. Prima editio Operum integrorum eſt illa, quæ Venetiis A. 1503 ex officina *Aldina* prodiit, poſtrema, quam paravit *Montfauconius*, qui non ſolum multas lacunas ſupplevit, verum etiam diverſa ſcripta, quæ in Bibliothecis Italiæ offenderat, e tenebris eruit. Editio hæc lucem adipexit Pariſiis A. 1718 *Voluminibus XIII.* Præterea ſpecialium librorum editiones ac translationes in alias linguas nominat. Hiſtoria *Chryſoſtomi* adeo arcto vinculo conjuncta eſt cum illa

Theophili Alexandrini, ut altera ab altera ſeparari commode nequeat; quare hujus vitam ſuperiori *Cap. II* ſubjungere conſultum duxit. Quo tempore natus, & qua familia oriundus ſit, non liquet. Epiſcopus Alexandrinus eſt conſtitutus A. 385 d. 26 Jul. deceſſit A. 412 d. 15 Oct. Multis ingenii dotibus fuit ornatus, in ſtudiis philoſophicis, matheſi, & aſtronomia, verſatiſſimus, ſed turbulenti & inquieti animi, qui ſe illis ducem præbuit, qui in vexando *Chryſoſtomo* nec modum, nec menſuram, tenuerunt. Scriptis non æque celebrem ſe reddidit; ex illis tamen nominandus *Cyclus paſchalis*, item *Epiſtolæ paſchales*, quædam *contra Origeniſtas*, & quæ *diſciplinam eccleſiaſticam* ſpectant, denique fragmentum aliquod de *reſurrectione* a *Sirmondo* ex Bibliotheca regia in lucem eſt retractum. *Cyclum paſchalem* juſſu *Theodoſii* Imp. confecit, in quo notavit, quo die menſis feſtum, reſurrectioni Chriſti ſacrum, celebrandum eſſet. Initium ducit a primo Conſulatu *Theodoſii M.* A. C. 380. Index *Voluminis* huic eſt ſubjectus.

LA VERA ISTORIA DI S. ROMOLO, VESCOVO, E Protettore di Fieſole, liberata dal Dottore PIER FRANCESCO FOGGINI dalle calunnie appoſtele in una ſcrittura pubblicata per Difeſa degli Atti di detto Santo Apocrifi, e alla glorioſa memoria di lui ingiurioſiſſimi.

hoc eſt,

VERA S. ROMULI HISTORIA, EPISCOPI ET tutatoris Fæſularum, per D. PETRUM FRANCISCUM FOGGINIUM liberata a calumniis, inſidioſe projectis in ſcripto quodam, quod inſcribitur: Vindiciæ Actorum illius Sancti apocryphorum, & in glorioſam ejus memoriam perquam injuriorum.

Romæ & Luccæ, 1742, 4.

Plag. 11.

Conſtat hic Commentarius, diligenter compoſitus, procemio iſagogico, & *Capitibus* tractationis *ſeptem*. Occaſionem

nem illi in literas redigendo ſuppeditavit libellus, cujus hic eſt index: *Diſeſa degli Atti di S. Romolo Martire, diſcepolo di S. Pietro Apoſtolo, ſtampati nel Primo Tomo dell' Iſtoria di Paſſignano, eſtratta da una Lettera ſcritta ad un ſuo Amico dal molto Reverendo Padre Maeſtro D. Fidele Soldani Vallombroſano.* Non quæritur, an *Romulus* ille exſtiterit, an fuerit ſanctitatis laude conſpicuus, an veneratione ſit dignus. Id vero in quæſtionem venit, ac in præſens diſquiritur, an Acta illa, quæ *Fogginius* in *Hiſtoria monaſterii Paſſinianenſis*, ejusque *Tomo priori*, edidit, ſint fide digna. Hoc ipſum negat pernegatque *Fogginius*, cujus eruditionem jam alibi concelebravimus; idque ipſum propugnare contendit *Fidelis Soldanius*, Cœnobita Vallis Umbroſæ. Ne quis vero illi dicam eo nomine impingeret, quod in Epiſcopum *Romulum* viſus fuerit gravior, vel ejus vitam ſanctiorem dubitationibus expoſuiſſet, Cl. *Fogginius* ſuarum partium eſſe exiſtimavit, veram Epiſcopi *Romuli* hiſtoriam in lucem emittere. Dolet, quod antagoniſta lingua ſcripſit populari, eumque, qui Acta illa haud reputat pro genuinis, genuini nominis Pontificium eſſe, negavit. Largitur, exſtitiſſe tempus, quo Mathematici ac viri diſciplinarum periti pro Magis ſint habiti. Illuſtrat hoc pronuntiatum labe, quam imperiti adſperſerunt famæ *Silveſtri II*, *Franciſci Petrarchæ*, *Petri de Abano*, *Franciſci Stabilis*, & aliorum. Lætatur, illud tempus effluxiſſe, quo barbaries, ignorantia, malitia, & ſuperſtitioſa pietas, ad optimorum virorum tantum valuit famam labefactandam. Criticam artem a malevolentia vindicat. Scripſit jam antea *Exercitationem de primis Florentinorum Apoſtolis*, & librum *de Romano D. Petri itinere & Epiſcopatu.* Nonnihil in utroque ſcripto ſibi minus placuiſſe, ſignificavit Anonymus in libello, *Appendice alle Novelle di Berna.* Quid Noſtro in hujus libelli argumento haud probetur, id ipſe viciſſim modeſte oſtendit. Nunc ad rem ipſam. *Capite primo* Cl. *Fogginius* demonſtratum it antiquitatem cultus, S. *Romulo* a Fæſulanis præſtiti, colligitque notitiæ genuinæ de illo documenta, quæ adhuc exſtant, ac refert ea, quæ de reliquiis *Romuli* hinc inde translatis commemorantur.

Pag. 3. 4. 5. 10. 15.

Digitized by Google

memorantur. Exſtitiſſe S. *Romulum*, eumque ſanctitatis laudibus floruiſſe, docet ex antiquiſſimorum templorum & altarium dedicationibus, in honorem ejus peractis, ſanctisque ejus oſſibus, quæ in baſilica Fæſulana aſſervantur. Provocat ad notitiam *Jacobi Bavari*, Fæſularum Epiſcopi, ad A. 1028 & 1032 de *Romulo* apud *Ughellium* exhibitam. Exſtat adhuc charta *Zenobii II*, Fæſularum Epiſcopi, A. 966 conſcripta,
Pag. 16. qua hic memorat, *ſeſe veniſſe in eccleſiam B. Romuli Confeſſoris, ubi ſanctiſſimum ejus corpus quieſcat humatum.* Templum illud olim *Petro* Apoſtolo fuerat conſecratum, ac ipſa eſt ædes cathedralis. Jeſuitæ Antwerpienſes haud dubitarunt Acta S. *Romuli* ſubleſtæ fidei accuſare, licet varii Autores ex eis hauſerint maximam eorum partem, quæ de Vita S. *Romuli* in
18. literas retulerunt. Noſter, ut fidem dictis ſuis conciliarer, reſpicit potiſſime ad lapidem ſepulcralem & homiliam, laudibus *Romuli* olim dicatam, ac ad notitiam de translationibus variis, quibus corpus S. *Romuli* ex uno loco in alterum deportatum
19. fuit. Suſpicatur, S. *Romulum* Fæſulis, vel prope eas, natum fuiſſe, ſiquidem a prima ſua pueritia ſervitio Domini in majori templo, S. *Petri* in honorem dedicato, fuit conſecratus, ac Clericum ibi cuſtodem, ſeu oſtiarium, egerit. Obiit S. *Romulus* d. 6 Julii, ac ſepultus fuit Fæſulis in templo, ubi altare eſt poſtea conſtitutum, cui adjecta eſt Inſcriptio, cujus poſtrema exeſa ſunt & obliterata. En initium ejus: *Meſſi hic Romuli corpus longa in pace quieſcit, qui Chri cumprimis juſſa ſervaret ab annis, tum lector domini annis quindecim juſtus continuis probatusque fuit meritoque juvatus eccleſiæ ſanctæ diaconii eſt ordinatus honore.* Reliqua legi haud poſſunt. Conſtitit inſcriptio tota verſibus hexametris, ſed legi poeticæ paſſim repugnantibus. Vox initialis *Meſſi* indubie denotat idem ac
21. *mi ſignori, domini mei.* Seculis jam barbaris Inſcriptio hæc originem debet. Corpus *Romuli* A. 1028 ex æde cathedrali antiqua in novam fuit translatum. A. 1584, 17 Jun., novam translationem peregit *Franciſcus Cattaneus da Diaccetto*, Fæſula-
23. rum Epiſcopus. *Capite ſecundo* exponit Autor de apocryphis S. *Romuli* Actis, quæ qui attente legerit, non poteſt non infra omnem

Digitized by Google

omnem fidem ponere. Ridiculum enim eſt, *Romulum* hunc in ſilva uberibus lupæ fuiſſe enutritum. *Melchior Canus* jam repudiavit in *Locis theologicis II, 6*, ejusmodi fabuloſas de Sanctis commemorationes. Non eſt, quod *Jacobi Bavari inſtrumentum* ad *A.* 1028 repetamus, primo *Conradi* Imperatoris anno exaratum. Secutus Autor eſt illud *Ciceronis de Offic. II, 2: Contra omnia diſputatur a noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non poſſet, niſi ex utraque parte cauſarum eſſet facta contentio.* Nihil enim eorum, quæ in utramque partem de *Romulo* diſputata fuerunt, omiſit. Inprimis multum operæ in eo ponit, ut Inſcriptionem, de qua diximus, *Romulo* huic, ſimulque Seculo quarto, vel quinto, vindicet. Homiliam antiquam, laudibus S. *Romuli* dicatam, edidit jam in Exercitatione *de Primis Florentinorum Apoſtolis.* Edere tamen parat opus aliud *de prima Thuſciæ Chriſtianitate*, in quo diſſeret de rebus ad *Romulum* ſpectantibus, nec non inter alia de antiquo Paſſionario, quod in tabulario Fæſularum aſſervatur, & manu ſcriptam illam continet Homiliam. Exponit in præſens ſane haud pauca de antiquitate, autoritate, & momentis hujus Homiliæ. Autorem ejus appellat Abbatem Teutonem. *Capite quinto* in eo eſt, ut, *Romulum* illum nec Martyrem, nec *Petri* diſcipulum, fuiſſe, oſtendat. *Zenobius* certe Epiſcopus B. *Romulum* vocavit *confeſſorem. Sexto Capite* diſſerit de eis, quæ S. *Romulum* appellant *Martyrem*, monumentis. *Septimo* tandem, eoque poſtremo, *Capite* diſquirit, an Fæſulis *Romuli* olim exſtiterint complures. Cl. *Fidelis Soldanius*, tres *Romulos* exſtitiſſe ibi, ſibi perſuaſit, nec tamen id Cl. *Fogginio* potuit perſuadere. Magna eſt Duumvirorum eruditio, induſtria, & exiſtimatio, aliunde jam collecta. Quare *non opis eſt noſtræ, tantas componere lites.*

Pag. 31. 33. 47. 51. 54. 75.

LAUR. REINHARDI, S. S. THEOL. DOCTORIS, Eccleſiaſtæ in templo metropolitano Vinarienſi, & in Ill. Gymnaſ. S. Theol. Hiſt. & Moral. P. P. Societ. Lat. Jen. & Teuton. Gœtt. Sodalis, Commentarius in Canticum

ticum Canticorum Salomonis prophetico-hiſtorico-dogmaticus. Præmiſſa eſt ejusdem nova hujus libri Chronotaxis.

Lemgoviæ, impenſis Jo. Henr. Meyeri, 1743, 8.
Plag. 8.

Canticum canticorum deſcribere caſtiſſimos amores, quibus Chriſtus & eccleſia in ſe mutuo feruntur, communis fere recte ſentientium vox eſt. Pontificios, qui etiam de *Maria* Θεοτόκῳ cogitant, non moramur. Quoniam autem cura Chriſti in eccleſiam omni tempore tendit, & hæc nullo non tempore ipſi fide conjuncta eſſe debet, eidem fiduciam, & omnia amoris, obſequii, & cultus, officia præſtare eſt obſtricta; haud pauci ſunt inventi, qui, in excellentiſſimo hoc Cantico delineationem propheticam fatorum eccleſiæ, quæ per *ſeptem*, ſic dictas, *periodos* ſint decurſura, exhiberi, ſibi perſuaſerunt. Quosdam illorum tantum nominabimus. Ex Pontificiis *Cornelius a Lapide*, ex Evangelico-Lutheranis *Caſp. Heunifchius*, ex Reformatis *Coccejus*, *Græwegenius*, alii, eminent. Opponunt alii, inter omnes illos, qui hanc interpretandi viam ſectentur, nullam eſſe concordiam, periodos alios contrahere, alios ampliare, alios ſtatum eccleſiæ V. T. hic deſcriptum velle, alios id negare, initium a Novo Teſt. ducentes, deſcendere aliquando ad ſpecialiores eventus, in quibus vacillare & labi per ſit facile. Hos inter arbitros ſedere, noſtrum non eſt. Prophetica interpretandi ratio etiam arriſit Venerando *Reinhardo*, qui multis jamdum ſcriptis nomen ſuum nobilitavit. Is pariter ad VII periodos Novi Teſt. *Cantici* hujus verba applicat; in conſtitutione autem & applicatione periodorum a ſuperioribus discedit, ita tamen, ut, contentus generales characteres, ſingulis intervallis eccleſiæ majoribus proprios, indicaſſe, ad peculiares caſus raro divertat. Sententia ipſius ex iis, quæ ex præſenti Commentatione in medium adducemus, dilucidius apparebit.

In Chronotaxi præmiſſa rationem reddit totius *Cantici*, ad VII periodos Nov. Teſt. relati; cujus ſuæ ſententiæ fundamentum

tum quærit in VII parabolis, *Matth. XIII* perſcriptis, VII eccleſiis Aſiaticis, *Apoc. II, III*, nominatis. Periodos ita digerit & applicat: 1) exhibet *ſtatum eccleſiæ primævæ ad tempora uſque Neronis Cap. I, II*; 2) complectitur *ſtatum eccleſiæ ab imperio Neronis ad tempora uſque Conſtantini Magni Cap. III-IV, 16*; 3) progreditur a *Conſtantino M. uſque ad manifeſtationem Antichriſti*, a *Cap. IV, 6*, ad *Cap. VI, 7*; 4) repræſentat *ſtatum eccleſiæ* ſub *Antichriſto preſſæ, Cap. VI, 7-9*; 5) comprehendit *ſtatum eccleſiæ, e Papatu egreſſæ, ad noſtra uſque tempora*, a *Cap. VI, 10*, ad *Cap. VII, 9*; 6) delineat *ſtatum eccleſiæ paulo ante ruinam antichriſtianiſmi, & in temporibus corruentis Papatus, & converſionis illuſtris gentilium & Judæorum*, a *Cap. VII, 10*, ad *Cap. VIII, 8*; 7) *ſtatum eccleſiæ ultimis temporibus* reſpicit *Cap. VIII, 8 ſeq.* Jam ad Commentationem venimus, ex qua quædam, quæ nobis præ aliis notatu digna ſunt viſa, enotabimus. *Cap. I v. 6* verba כרמי שלי לא נטרתי vertit, ſubintellecta interrogatione: *An vineam meam, quæ mihi* data eſt, *non cuſtodivi? Genæ v. 10* Pag. 6.
ſunt realis fidei confeſſio, id eſt, vera Chriſtianiſmi praxis, ſanitas eccleſiæ, bonaque Chriſtianorum indoles, *collum*, mutua eccleſiæ inter presbyterium, reliquaque eccleſiæ membra, harmonia. *Cap. II, 2, lilium inter ſpinas* repræſentat eccleſiam, 9.
ex Judæis collectam, a fratribus multa adverſa patientem. *Caput v. 6* eſt ipſi cum Cel. *Honerto*, filio, presbyterium, quod 14.
in eccleſia primas tenet, non dominio, ſed ordine. Verba 16.
v. 7 השבעתי אתכם וג reddit: *adjuro vos per ornamenta gloriæ, & per virtutes agri*, ſcilicet ſpiritualis. Vox *turturis v. 12* 17.
eſt vox hominum, ex gentiliſmo ad Chriſtianiſmum in terra Judæa converſorum, doctrinam ſalutis, doctorum inſtar, explanantium. *Urbs Cap. III, 2*, eſt *Hieroſolyma* ſpiritua- 19. 20.
lis, ſpeciatim *Roma*, & provinciæ, Romano imperio ſubjectæ, quæ plenæ erant perſecutoribus veritatis cæleſtis. שמרים *v. 6* ſunt rerum eccleſiaſticarum adminiſtratores, & eccleſiæ doctores. *Verſ. 6* exhibetur chorus eccleſiæ triumphantis, 24.
conſtantiam militantis admirantis. *Sexaginta heroes, circumſiſtentes lectum Salomonis*, ſunt partim angeli, partim doctores. Sed, quoniam de his dicitur, fuiſſe ex heroibus Iſrael, de an- 26. 27.

gelis cogitari non poſſe videtur. *Verſum 11* Autor refert ad tempora *Conſtantini M.*, quibus majeſtas regia Chriſti, antitypi *Salo-*
Pag. 29. *monis*, ſolenni ritu eſt manifeſtata. *Dies*, de quo *v. 6 Cap. IV*,
30. eſt tempus *Conſtantini*, quo inſtitutio Chriſtianorum, publica & privata, ſecura eſt reddita. *Mons myrrhæ & collis thuris* eſt excelſus Romanæ monarchiæ mons, ita dictæ ob multas vexatio-
34. 35. nes illatas Chriſtianis. *Verſ. 13* כפרים, *cypri*, vel potius fructus redemtionis per Chriſtum, nempe experimenta pacis cum
40. Deo *Eph. I, 6*, exhibentur. *Cap. V, 2*, notatur remiſſio prioris ardoris eccleſiæ, ubi externum nacta erat ſplendorem, ſinceram tamen doctrinam adhuc amplexari gloriabatur, quæ quadrant in
44. 45. turbulenta tempora Sec. IV, V, VI. Verba *v. 4* דודי שלח וג interpretatur Autor: *Dilectus meus extendit manum ſuam in candore*, atque ita παραφράζει: divinam ſuam potentiam in me excitanda manifeſtavit (*Act. XI, 19-21*,), & ſincerum maxime ac perennem amorem. *Verſ. 7 Percuſſerunt me*, linguis ſuis, hæreſium propagatricibus, *vulnerarunt me*, perſecutionibus duriſſimis, quæ evenerunt Sec. IV, V, & VI, extra & intra imperium Romanum, *abſtulerunt carbaſum meum cuſtodes mœnium*, id eſt, externus meus ornatus valde eſt diminutus, imo omnis libertas profitendi rectèque colendi ſupremum Numen mihi penitus eſt ablata ab Epiſcopo Romano Sec. VI & præcipue
47. VII. *Verſ. 10* דגול מרכבה, *inſtar vexilli erectus a myriadibus, Jeſ. XI, 10*, coll. *Exod. XVII, 15, Rom. XV, 12.* Vexillum exhibet ſignum Meſſiæ, qui eſt dux exercitus Jehovæ. Vexilliferi dicuntur doctores eccleſiæ Novi Teſt. *Act. IX, 5, Jeſ.*
49. 50. *XI, 12.* Verba *v. 11* קוצותיו תלתלים וג convertit: *capilli ejus accumulati ſunt nigri velut corvi.* Capillos explicat de Chriſti robore ſpirituali, quod ineſt regiæ & pontificali ejusdem dignitati, ſecundum typos *Jud. XVI, 19, Apoc. V, 6. Ge-*
51. *næ v. 13* ſunt emblemata meritorum Chriſti, quæ areolæ aromaticæ comparantur, tum quia Chriſti obedientia eſt ſacrificium boni odoris *Eph. V, 2*, coll. *Gen. VIII, 21*, tum quia Chriſti
52. 53. nomen eſt ſimile unguento diffuſo *Cant. I, 3. Verſ. 14* ita exponit: *viſcera ejus ſicut nitor eboris, tecti ſapphiris.* Viſcera Chriſti ſignificant tum eximiam ejus miſericordiam, tum ejus in

Deum

Deum patrem obedientiam *Pſ. XL, 8, 9. Ebur* conſtantiam notat miſericordiæ, *tectum ſapphiris* nitorem & gloriam hujus miſericordiæ, & gratiam ſalutarem, quam ſponſæ largitur. *Crura v. 15* Pag. 53. Chriſti omniſufficientiam indicant. Comparantur hæc *columnis marmoris*, quia illa conſtantiſſime perſiſtit, nec hoſtibus cedit. *Innituntur ſtilobatis auri ſolidi*, tota rerum ſacratum ſuſtentatio 54. fundata eſt in ſufficientiſſimo Chriſti merito, quod aliquoties 54. auri ſymbolo in ſacris venit. Implementum verborum *Cap. VI, 2*, ſecundum alios *v. 3*, invenit 1) in converſione *Francorum, Sueco-rum, Weſtphalorum, Helvetiorum,* & *Belgarum*, Sec. VII; 2) *Saxonum*, & multarum *Germaniæ* nationum, Sec. VIII; 3) *Da-norum, Suecorum*, nationum *Slavonicarum*, & *Bulgarorum*, Sec. IX; 4) *Normannorum, Polonorum*, & *Hungarorum*, Sec. X. *Re-ginæ v. 7*, aliis *8*, ſunt eccleſiæ particulares, puriora dogmata amplexæ, *pellices*, eccleſiæ particulares impuræ, Chriſti no-men falſo profeſſæ, *puellæ innumeræ*, cœtus populorum, a Chri-ſto adhuc remotorum, ad illum poſthac perducendorum. Qua-lis ſtatus eccleſiæ externæ fuit poſt manifeſtationem antichriſti. Elogium eccleſiæ *inviſibilis* habetur *v. 8*, aliis *9*, medias inter Pa- 61. patus tenebras conſervandæ, augendæ, tuendæ. Inſtauratio 62. eccleſiæ per Reformationem prædicitur *v. 9*, aliis *10*, cujus aurora apparuit tempore *Jo. Wicleſi, Jo. Huſſi*, & reliquorum. *Luna* eſt emblema eccleſiæ *Pſ. LXXXIX, 38, Jeſ. LX, 19, 20.* Illa eſt *pura & fulgida inſtar ſolis*, cognitio Jeſu Chriſti in ea eſt clariſſima, Evangelium in ea diem attulit, noctemque fu-gavit, corda fidelium calefacit ſua doctrina de nexu juſtifica-tionis & ſanctificationis, *terrifica inſtar vexillationum*; terro-rem enim hoſtibus Evangelii injicit. גנת אגוז *v. 10*, aliis *11*, non 63. 64. reddit cum aliis *hortum nucum*, ſed *hortum bene putatum*, & intelligit eccleſiam evangelicam, a traditionum humanarum ſordibus purgatam. Per *chorum duorum agminum v. 12*, aliis 65. *Cap. VII v. 1*, intellectam vult tutelam ſanctorum angelorum, coll. *Gen. XXXII, 2, 3, 8, 9, 11, Apoc. XII, 7-12. Honertius Theol. typ pag 54* intelligit duas acies eccleſiæ evangelicæ, *Lutherа-norum* & *Reformatorum*. *Cap. VII, 1*, aliis *2*, prædicatur feli- 66. 67. citas eccleſiæ evangelicæ, quæ dicitur *filia ingenui*, quoniam

jugum traditionum humanarum penitus excuſſit. Verba חַמּוּקֵי יְרֵכַיִךְ וג ita explicat: *emanationes femorum tuorum ſunt velut monilia*, quibus verbis indicatur mirum incrementum eccleſiæ evangelicæ; femora quippe ſunt emblema fœcunditatis. אַגַּן הַסַּהַר, *calix rotunditatis*, *v. 2*, aliis *3*, exprimit calicem euchariſticum, qui per Reformationem eſt reſtitutus. *Venter* repræſentat corpus mortale fidelium, quod aſſimilatur *acervo tritici* ad certitudinem reſurrectionis indicandam; dicitur *circumſeptus liliis*, quia ſpes illis eſt facta, fore, ut ſtatim ab exceſſu ex corpore ſuo perveniant in poſſeſſionem ſummæ felicitatis, nec, ut ignem purgatorium tranſeant, neceſſe habeant. *Duo ubera v. 3*, aliis *4*, ſunt ſacramenta, a ſuperſtitioſis ritibus purgata. Per *collum v. 4*, aliis *5*, quod inſervit ſono ſermonis recte dilatando, deſignatur ſonus Evangelii, qui in omnes terras Europæ exiit. Comparatur *turri eburneæ Salomonis 2 Chron. IX, 17*, *Neh. VIII, 4*, quoniam Chriſtus ope Evangelii, recte annuntiati, thronum ſuum erexit cum inſigni ſplendore, qui terrorem ſummum injicit antichriſto. *Naſus ſicut turris Libani attente obſervans conſtitutionem Damaſci* exprimit 1) eccleſiæ evangelicæ vigilantiam in detegendis hoſtibus; 2) ejusdem fortitudinem & fidelium magnitudinem animi *Pſ. XXVII, 5*, *Rom. XVI, 17*. Adhæc *naſus* eſt emblema *iræ Pſ. XVIII, 9, 16*. Significare igitur poteſt iram Principum proteſtantium, qua excitati de fœderibus pangendis fuere ſoliciti. *Rex ligatus in canalibus v. 5*, aliis *6*, eſt Chriſtus ſponſus, ex cujus dotibus, tanquam canalibus, gratiſſimus bonæ fragrantiæ odor, & jucundiſſimus Evangelii ſermo, inſtar effuſæ aquæ fluunt. *Verſ. 7*, aliis *8*, præſignificatur Proteſtantium in bello tricennali conſtantia, & inde per pacem Weſtphalicam ſecuta victoria. *Ager v. 11*, aliis *12*, eſt eccleſia Pontificia, terreſtribus commodis in tenebris detenta; *pagi* ſunt gentiles, a civitate Dei ſejuncti. *Dudaim v. 13*, aliis *14*, in agris creſcentes, proferentes fructus amabiles *Gen. XXX, 14 ſeq.*; *ſpargentes ollorem ſuavem* effigiant Chriſtianos evangelicos, ex Papatu, agro mundi, collectos, proferentes fructus fidei gratiſſimos; *res pretioſiſſimæ ante fores* effingunt gentilium converſionem appropinquantem. *Cap. VIII, 1,*

Pag. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78.

Digitized by Google

VIII, 1, exprimitur votum cœtus fidelium ecclesiæ Pontificiæ, Pag. 79.
ſocietatem evangelicorum anhelantium. *Verſ. 2* habetur invita- 80.
tio illorum, ut evangelici intrent terras, a longo tempore nu-
tui Pontificis Romani obnoxias, pollicentes omnem gratitudi- 81.
nem & liberalitatem. Vocatio Judæorum & gentium exprimitur *v. 3,* qui per doctores Evangelii ad ecclesiam veram sunt
advocandi. *Verſ. 4* ecclesia, ex Judaismo & gentilismo collecta, 82.
alloquitur Christum, Pontificem ſuum, cujus perpetuo amori
ſe commendat. A *v. 8* ad *14* ſiſtitur ſtatus ecclesiæ ultimorum 83.
temporum ad conſummationem usque mundi. Breviter qui- 84-88.
dem S. Rev. Autor mentem ſuam explicat, ſed multam medi-
tandi materiam præbet.

TESTACEO-THEOLOGIA, oder grünblicher Beweiß des Daſeyns und der vollkommenſten Eigenſchaften eines göttlichen Weſens aus natürlicher und geiſtlicher Betrachtung der Schnecken und Muſcheln, ꝛc.

id eſt,

SOLIDA DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ ET perfectiſſimarum virtutum Dei, ex naturali & ſpirituali cochlearum & conchiliorum contemplatione concinnata, a FRID. CHRISTIANO LESSERO, Eccleſiaſta ad S. Jacobi & Martini Northuſæ, Miniſterii Evangelici ibidem Seniore, ac Imperiali Acad. Nat. Curioſ. adſcripto.

Lipſiæ, impenſis Michaelis Blochbergeri, 1744, 8.

Alph. 3, Tabb. æn. 18.

Jam dudum eruditioni ac laboribus literariis Rev. Autoris debitos habuimus honores. Amplificat ac illuſtrat merita ſua idem eo ipſo, quod hoc egregium maximæque operæ & multi temporis monumentum publico conſpectui exhibet, omniumque conſecrat utilitati. Præmiſit huic Operi iſagogen, qua momenta, apologiam, & uſum, hujus tractationis ſolide nitideque exponit. Recenſet impedimenta, quæ in mora eſſe ſolent,

cur

cur plerique mortalium contemplationem rerum, quas Deus in naturæ theatro exhibuit ſpectandas, haud faciant ſuam. Condit catalogum ſcriptorum, qui de genere teſtaceo aliquid literis memoriæ prodiderunt. Præter *Ariſtotelem*, *Plinium*, *Ælianum*, commemorat *Matthiolum*, *Bellonium*, *Wilh. Rondeletium*, *Conradum Geſnerum*, *Ulyſſem Aldrovandum*, *Fabium Columnam*, *Joannem Jonſtonum*, *Olaum Wormium*, *Chriſtophorum Merretum*, *Gualtherum Charletonum*, *Joannem Danielem Majorem*, *Ferrandum Imperati*, *Andream Chioccum*, *Nicolaum Antonium Stelliolam*, *Nehemiam Grew*, *Philippum Bonanni*,
Pag. 30. qui *Muſeum Ath. Kircheri* ſcripſit, idque ſatis rarum, *Robertum Sibaldum*, *Joannem Lauerenzen*, *Oligerum Jacobæum*, & *Mar-*
34. *tinum Liſterum.* Nec omittit *G. Eberh. Rumphium*, *Frid. Ruyſchium*, *Jacobum Pettiverum*, *Mich. Bern. Valentini*, *Richardum Bradley*, *Car. Nic. Langium*, *Jo. Chriſtianum Kundmannum*, *Jo. Ern. Hebenſtreitium*, *Franciſcum Valentini*, *Jac.*
39. *Theod. Kleinium*, *Jo. Phil. Breynium*, atque *Janum Plancum.* Addit deinde nonnihil de figuris teſtaceorum æri inciſis, ac eas, quas opera *Martini Liſteri* ſuppeditant, collaudat. Subjun-
47. git tandem recenſionem Virorum alphabeticam, qui in muſea ſua collectiones teſtaceorum intulerunt. Hiſce adjicit in
984. fine Operis Perilluſtrem noſtrum Mecænatem, *Joannem Chriſtoph. de Wichmanshauſen*, *Jo. Georg. Haaſium*, & Conſiliarium aulæ rerumque metallicarum, *Trierum.* Diſtribuit tractationem in *Partes duas.* *Priori* notitiam de teſtaceis lectori ſubminiſtrat. *Poſteriori* in uſum eorum & varium, & multiplicem,
72. inquirit. *Pars* utraque rurſus in *Libros duos* diſpeſcitur. *Liber Partis prioris prior* in *octo* abit *Capita.* *Primo* docetur lector, quid ſint teſtacea animalia, quomodo appellentur, mutuoque differant. *Secundo Capite* de eorum generatione in-
102. ſtituitur expoſitio. *Caput tertium* eſt ſatis copioſum ac diffuſum, quippe quo diviſiones ac genera teſtaceorum ediſſeruntur. *Capite quarto* de partibus teſtaceorum externis, *quinto* de membris partibusque eorum internis, *ſexto* de illorum vita, *ſeptimo* de ſenſibus eorum, ac *octavo* de teſtaceorum pulchritudine, tractationem ſeſe dignam ſuſcepit. *Libro Partis*

prioris

prioris posteriori Capita *quatuor* continentur. *Primum* de lo- Pag. 725.
cis domiciliisque testaceorum est inscriptum. *Secundo* de mo-
tu eorum locali agitur. *Tertio* exponitur de nutrimento ac ci- 782.
bo illorum. *Quarto* adduntur nonnulla, quæ eis insunt & accidunt, adjuncta. *Pars secunda* est Voluminis universi pars fere quarta. *Partis* hujus peræque *duo* sunt *Libri*, quorum *priori* usus, quibus testacea homines impartiunt, expenduntur; *posteriori* usus, qui inde redundant, medici considerantur. Hæc est Voluminis summa. In hisce cardinibus vertuntur ejus partes ac membra. *Capitibus* singulis accedit meditatio, Philosophum Christianum ornans, ac ad Deum manu ducens propius noscendum, ac justissime concelebrandum. Sanguinem inesse conchis cochleisque, immo muricibus, ne- 74.
gat. Testas earum æmulari lapideam naturam, docet. Reddunt ipsæ omnino, simul ac comburuntur, calcem. Cochleas dividit in terrestres & aquaticas, hasque rursus differre tradit pro domiciliis in aqua vel dulci, vel salsa. Principio rationis sufficientis utitur, ut, ex quo ostendit, conchas cochleasque 81.
in numero rerum contingentium duci, Deum existere, doceat. Ex concursu limosæ concretionis fortuito generari conchas cochleasque, merito negat. *Aristotelem* hic fluctua- 86.
re, demonstrat. Eas esse & mares, & fœmellas, partim divisim, partim simul, addit. Androgynas dari cochleas, observationibus constat hortensibus. De hisce ita Rev. Autor disse- 89.
rit: *Gestant genitalia in collis juxta sese invicem, ac ea una cum parte carnis protendunt ex foramine, quod ex uno latere inter magnum parvumque cornu sensorium sese aperit. In hac parte evolvunt ea cochleæ primo patentem genitalium rimam, tum vero virgam genitalem, ac utrinque penem inflectunt in modum fili metallici, in lineam spiralem extensi supra utrumque invicem, ut penis unius cochleæ vulvam alterius mutuo ineat, gravidamque reddat.* Dantur inter conchas præterea conchæ androgynæ. Id vero negat Autor, androgynas cochleas sua ipsius vi, vel actione, gravidas reddi. Prægnantes enim ipsæ fiunt ex mutua penis insertione, & seminis, prolem excitantis, mutua immissione. Describit Noster apparatum omnem hymenæum,

quo cochleæ hortenſes rebus venereis ſeſe accingunt. Obſervationibus hiſce nihil in regno animali eſt illuſtrius & præſtabilius. Juvat enim noſſe adminicula, quæ Deus ſapientiſſime ad animantium genus propagandum conſtituit ac ordinavit. Murices ſeſe per affrictum, quo communicatur ſemen, red-
Pag. 91. dunt gravidos. Oſtreæ autem, glandes marinæ, ac nonnullæ concharum ſpecies, ita ſunt androgynæ, ut ſuo inſtinctu ac in-
93. teſtina commotione ſeſe ipſæ reddant prægnantes. Ova, e quibus conchæ cochleæque pronaſcuntur, expoſitione jucunda Noſter illuſtrat, nec fœtus, in eis reconditos, ex experientia propria ediſſerere omittit. De humore lento, in quo ova illa delitere ſolent, diligenter commentatur, monens, dari quo-
97. que conchas viviparas. Oſtreas autem innumerabilem ovorum copiam excludere, docet. Adde, quod cochleæ oviparæ ova, quotquot excluſerunt, non curant, ſed ſorti ac tempeſtati re-
102. linquunt. Non eſt, quod operoſiſſimam Autoris expoſitionem, qua omnes concharum ac cochlearum claſſes ſpeciesque recenſet, repetamus. Grata potius mente prædicamus eum, quem huic argumento impendit, laborem. Fabulam anilem, quæ,
442. ex conchis tellinis pedatis, ſeu anatiferis, quoddam genus anſerum in arboribus creſcere, vulgavit, ipſe merito refellit, originemque erroris demonſtrat. Echinos marinos, quoniam ipſe non teſtaceis, ſed cruſtatis, animalibus inſerit, eorum ratio-
449. nem hoc loco haud habet. Principio indiſcernibilium *Leibnitiano* aſſurgit. Tantam præfert modeſtiam, ut, ſingulas concharum & cochlearum ſpecies a ſeſe deſcriptas eſſe, vel exponi poſſe, neget. Conchas cochleasque ſine teſtis cruſtisve ſuis vitam agitare, vel agitare poſſe, negat. Teſtas artificioſe decerptas recreſcere, initio autem tenues pellucidasque eſſe,
454. docet. Ipſas perioſtio extrinſecus contectas eſſe, oſtendit.
462. Easdem creſcere & reſudare, monet. Volumina, ſeu volutas, contemplatur geometrice, easque a ſiniſtra verſus dextram inde a primo puncto introrſum ſito procurrere, demonſtrat. Excipit tamen ab hac regula cochleam Xanxus, in ora Indiæ orientalis Tutucarin ſolitam inveniri, & paucas alias. Res hic redit ad animantis, intus latentis, motus primos, eorum-

que

quod alterum latus directionem primitus exercitam. Teſtarum uſus ſpectat ad ſecuritatem, durationem hibernam, caloris conſervationem, atque ad ipſam pulchritudinem. Conchæ ſeſe valvis ambabus muniunt clauduntque. At cochleæ pleræque operculo inſtar oſtii inſtructæ ſunt, ne quid ipſis ſit noxæ. De blattis Byzantinis Autor affert ea, quæ memoratu ſunt digna, opinatus, Ebræos vocaſſe muricem *ſchelechet*. Nautilorum nauticorum interiora ſtudioſe perſpexit. Seram atque ſphincterem cutis penſiculatius obſervavit. Teſtas concharum & cochlearum jucunda comparatione cum domibus contendit. Tum vero ex affectionibus teſtarum variis, quanta ſit intellectus divini amplitudo & gloria, ſolide docet ac perſuadet. Si qui objiciunt, ac prave monent, eſſe nonnunquam nonnihil in teſtis, quod a regula recedat, ii ignorant, eo ipſo indicari excellentiam architecti, ſpecialiſſimis deſtinationibus ſatisfacturi. Hinc Ven. Autori viſum eſt ad corpora beſtiarum, in quarum contemplatione ars ipſius verſatur, penetrare, & eorum ſtructuram diligentiſſima perquiſitione dignari. Caro earum cutibus circumcluſa eſt. Cutis exterior, quam extra valvas, vel domicilium, collocat ſeſe commovens beſtia, papillulis ſparſa eniteſcit. Ea caute detracta, cuticula ſpectatori ſe prodit ſubtiliſſima, eaque pertenuis, quæ univerſum beſtiæ corpus, veluti induſio, circumquaque tegit, ac fibrillis vaſculisque abundat. Corpus ipſum figuram domicilii æmulatur. Pars, quæ domicilio affixa reſtat, muſculis quibusdam ad teſtam adhæret. Cuticula detracta, prodit caro, quæ muſculorum eſt congeries, oſſium expers. Color carnis variat. Cochlearum caput plerumque eſt rotundum, collo carens, tergo æquale, & a pleriſque intra carnem interventu muſculorum aliquot retrahi poteſt, ab eis præcipue, quæ volutis, ſeu voluminibus, conſtant. In capitibus eminent antennæ, quas noſtri vocant *Fühlhærner*. Eæ non in ſingulis cochleis conchisque, nec eadem ratione figuratæ, reperiuntur. Ipſæ viſuntur numero nunc binæ, nunc quaternæ. Superiores longitudine excellunt, ſi additæ fuerint infra eas binæ. Aliæ inſtar tuborum ductilium procurrunt, ac in cerebrum retrahuntur; aliæ ramulos cornuum cervinorum

Pag. 491. 496. 507. 512. 525. 528. 532.

imitantur reſpectu ductuum, ad latera prodeuntium. Quo modo antennæ retrahantur, *Swammerdammius* explicare tenPag. 536. tavit. Addidit Noſter ſuam quoque opinionem, faſſus tandem, plus Deum valere efficiendo, quam hominem intelligendo. Punctulum nigricans in extimo antennarum procedit ex nervo optico, ac oculi vicem ſuſtinet. Sub eo antennæ glan-
540. dulis abundant. Nervos opticos, eorumque ſitum & uſum, Autor ſolide perſcrutatus fuit. Nervum opticum veſtit cutis tenuiſſima. Oculum ambit tunica uvea, ac retiformis. Ipſe gaudet humore & aqueo, & vitreo, & criſtallino. In antennis quibusdam oculi deſiderantur; unde argumentari licet, eas generatim inſervire perſentiſcendo, ut eædem ea, quæ videntur
545. ipſis nocitura, evitent. Os, vel foramen, e quo lingua exſeritur, accommodatum eſt aquæ introrſum trahendæ, cibisque aſſumendis. Planta, ſeu pedamentum, vice pedis fungitur. Ad latus utrumque muſculi fortiores ei adhærent, quorum beneficio cochleæ arboribus ſeſe affigunt. Glandulæ, eis inſitæ muſculis, promunt viſcidum illud, quo cochleæ inhæreſcunt domiciliis ſuis. Pedum itaque, quibus carent cochleæ, locum fufficiunt illa pedamenta; immo cochleæ aquaticæ interventu illarum quaſi ſquamis natant. Beneficio limbi cochleæ vel na-
549. tant, vel ſeſe commovent extrinſecus ac introrſum. Ut aer in limbum hunc ingredi poſſit, ad dextram limbus gaudet ſpiraculo. Aeris intruſi beneficio cochleæ aquis innatant. Prope exitum hujus ſpiramenti anus exſtat cochlearum, exonerandis excrementis attemperatus. Volumina enim earum clauſa ſunt retrorſum. Sin vero utrinque cochleæ exitu gaudeant, ano
552. locus eſt in exitu poſteriori. Pulmones cochleis terreſtribus deſunt. Defectum eorum ſupplet ſpiramentum illud, quod noſtri *Luftloch* vocant. Cochleis terreſtribus ſunt labrorum ſpecies. Quorum inferius inſervit cibis huc illuc movendis, ac ad guttur deducendis. Dentes ibi conſpiciuntur, ubi mandibula hominum ſuperiora ſolent eſſe ſita. Dentes illi ex cornu furvo conſtant, quod quaſi pecten, inſtar lunæ falcatæ incur-
554. vatum, conſpicitur. Figuram eorum Autor ſcite deſcribit. Cochleis, quæ nec carne, nec cibis, veſcuntur, eſt modo proboſcis,

Digitized by Google

boſcis, qua ipſæ tanquam ſiphone ſuccos aquamque trahunt, & quæ vicem linguæ ſupplet. De palato, non eſt, quod repetamus. De cerebro plura diceremus, niſi jam limites inſtituti migraſſemus. De gutture, ſtomacho, omento, corde, hepate, ſacculo calcario, nodulo, vel ſacculo, purpureo, inteſtinis, eorumque motu periſtaltico, pene, & vulva, ad dextrum colli latus plerumque ſitis, de tuba *Fallopiana*, de utero, de ovario ovisque, de fœtus amnio, de funiculo umbilicali, de parte adipoſa, de branchiis concharum, de medulla ſpinali, de nervis, de glandulis, de arteriis venisque, de muſculis, de ſucco per arterias venasque circulante, de mucore, de ſemine, de chilo, de liquore nerveo, de bile, ac de reliquis teſtacearum gentium membris, præſtat conſulere Autorem, diligentiſſime de hiſce commentatum. Reliqua prorſus omittere jubemur. Noſtrum eſt, inſignem Viri induſtriam, & ſolidam hæc talia tractandi rationem, in publica orbis eruditi luce concelebrare, Lectores ad ipſum dimittere, ac Deum in rebus creatis quoque viliſſimis & abjectiſſimis *maximum, potentem, optimum, omniſcium, & ſapientiſſimum, cum ipſo obſervanter & pie venerari.* Reſtat, ut ominemur, proximis centum annis librum de hoc argumento pulchriorem ſolidiusque elaboratum haud appariturum. Oramus vero eos, qui Oceano fluminibusque accolunt, ut ſicilimenta adjungant, ne quid in hoc genere ſcientiæ prorſus deſideretur. Divinamus præterea & præſagimus, fore, ut hoc quoque Opus in Gallorum Anglorumque ſermonem propediem convertatur. Et quantopere geſtimus videre conſimiles aliorum lucubrationes. Si interrogemur, quid potiſſimum in hoc Opere nobis placuerit, reſpondebimus, cœnam nobis dubiam appoſitam fuiſſe, ad palatum tamen illa manſura, quæ docent, erraſſe *Carteſium*, opinatum, beſtias non niſi machinas eſſe & mechanica inſtrumenta. Pag. 666.

Johann David Köhlers, P. P. im Jahre 1737 wöchentlich herausgegebener Hiſtoriſcher Münz-Beluſtigung neunter Theil.

id eſt,

Digitized by Google

JO. DAV. KOELERI, P. P. GOTTING. EDITA-rum A. 1737 hebdomadalium hiſtoricarum ex Numiſmatibus Deliciarum Pars nona.

Noribergæ, impenſis viduæ Chriſtophori Weigelii, ſenioris, 1737, 4.

Alph. 2 plag. 18.

Gratiſſima deliciisque plena eſt viciſſitudo illa, quam hæc pertractatio Numiſmatum lectorum oculis animoque infundit. De *octo Partibus*, quæ hanc præcedunt, ſuo jam loco diſſeruimus, id unum dolentes, pauciora hic communicari poſſe ex amœniſſimo vireto, quam Europæ politioris videtur intereſſe. Illud præcipue ducimus monendum, Præfatione Operis nuntia attingi laudes Perilluſtris *Gerlaci Adolphi de Münchhauſen*, Domini Strausfurtenſium, ad ſtatum publicum Electoratus Brunſuico-Luneburgenſis tuendum ornandumque delectiſſimi Adminiſtri Conſiliariique intimi, laudes, inquam, juſtiſſimas, quibus Vir tantus, Gottingenſis Academiæ conditor alter, cum *Joanne Zamoiſcio*, *Michaele Hoſpitalio*, ac *Henrico Rantzovio*, quorum metalliones in hac Sylloge exhibentur, comparatur. Nec ſibi defuit Cel. Autor, prædicans jure, Profeſſores Georgiæ Auguſtæ primos ſumma prudentia conſilioque ſapientiſſimo fuiſſe exquiſitos atque delectos. Præfatione exequitur continuationem ſeptimam ſciagraphiæ, quam de plena Thalerorum collectione adornare inſtituit. Ediſſerit hic Thaleros Ducum Saxoniæ, qua *Erneſtinam*, qua *Albertinam*, proſapiam. Primordia capit a Thalero quatuor filiorum Electoris *Joannis Friderici*, eique adjungit Thalerorum deſcriptionem, quos *Joannes Fridericus II* hic, & fratres, *Joannes Wilhelmus* atque *Joannes Fridericus*, junior, *Joannes Fridericus*, medius, ejusque frater, *Joannes Wilhelmus*, ac ſolus *Joannes Wilhelmus*, *Joannes Caſimirus* & *Joannes Erneſtus*, *Fridericus Wilhelmus*, Vinarienſis, & frater ipſius, *Joannes*, Altenburgenſis dominus, conjunctim, *Fridericus Wilhelmus* ſeorſim, ejusque filii, *Joannes Philippus*, *Fridericus*, *Joannes Wilhelmus*, & *Fridericus Wilhelmus* poſthumus, tum conjunctim, tum diviſim, feriun-

Digitized by Google

feriundos curarunt. In Thaleris *Erneſti Pii* recenſitis ſubſiſtit; reliquos in Præfatione, ad *Partem X* afferenda, additurum ſeſe, liberaliter pollicetur. Collectioni vero huic illa *Goldaſti*, quæ hic Commentario ſuo *de Regno Bohemiæ* præfixit, adſcripſit: *Perparum eſt, quod de meo apponitur. Sola ſtructura mea eſt; ipſa autem fercula aliunde & ex ſtipe collegi.* Operæ pretium eſt meminiſſe, Cel. Autorem Comitis Saynenſis ac Witgenſteinenſis, qui Comitatum Hohenſteinenſem ad breve tempus acquiſiverat, duos cum erudito orbe communicaſſe Thaleros, admodum raros. Thalero primo, quo ipſe Comes ſibi Comitis Hohenſteinenſis titulum adſcripſit, inſcripta ſunt verba ominoſa: *Nullum ſimulatum eſt diuturnum.* Jam ſcire juvat, quinam Numi præcipuo quodam ſtudio in hac *Parte nona* commentariis fuerint illuſtrati. In gratiam literati orbis dabimus illos ſuccincte indicatos, quibus quippe haud licet copioſiorem exhibere expoſitionem. 1) In limine Operis conſpicitur præclarus Metallio *Georgii II*, Regis M. Britanniæ, ac *Caroline*, Reginæ, A. 1732 percuſſus, qui ſpectandam offert familiam potentiſſimi Regis univerſam in poſtica. Adjicitur *Joannis Georgii Eckharti* tabula genealogica, quæ Reges Angliæ ex *Wodano*, ſeu *Odino*, ad præſens uſque tempus deductos offert. Pag. 5 ſeq. 2) Ejusdem Regis Auguſtiſſimi Numiſma, A. 1734 percuſſum, & catarrhactarum Hamelenſium, recens ſtructarum, memoriam exhibens, additur. 9 ſeq. 3) Sequitur Numiſma mnemonicum urbis Hildeshemii, offerens inſigne novum, a *Carolo V* conceſſum, cuſum A. 1605. In recenſendis urbibus Epiſcopatus Hildeshemienſis Cel. Autor oppidulum *Sarſtede* appellavit *Sæſtede pag. 20.* Ut numus ille videatur illuſtratus, Autor ſummam *Vindiciarum Hildesbemienſium*, quibus nomen eſt *Aſſertio libertatis*, percenſet. 4) Numus aureus urbis Magdeburgi cum imagine *Ottonis I*, conditoris, ac voto pacis, ad A. 1590 referendus, Hildeshemienſem excipit. Magdeburgum certe jam *Caroli M.* ætate exſtitit, commerciis cum gente Slavorum tunc exercitis, illuſtre, quod ipſum patet ex *Caroli M. Capitulari II A. 805 Tit. VII de Negotiatoribus.* Chronici Moiſſiacenſis ad A. 805 locus eſt memorabilis: *Quartus exercitus* 27.

perrexit

perrexit cum navibus in Albia, & pervenit uſque Maguedeburg, & ibi vaſtaverunt regionem Genetwanam. Nec non ad A. 806: *Mandavit eis Rex Carolus ædificare civitates duas, unam in aquilone parte Albiæ contra Magadaburg. Carolus M.* ibidem templum S. *Stephani* exſtruendum curavit, teſte *Chronographo Saxone* ad A. 938. *Otto Magnus* poſthæc urbi inſignia dedit incrementa. Ex quo factum eſt, ut ipſe fuerit pro conditore ejus reputatus in literis bullatis *Joannis XIII* Papæ, in *Dithmari Annalibus II pag. 15, Adamo Bremenſi H. E. Lib. II Cap. 7,* ac *Sigeberto Gemblacenſi ad A. 939.* Cum vero urbs ipſa A. 1636 a Cæſare *Ferdinando II* confirmationem ac renovationem veterum ac novorum privilegiorum peteret, *Benjamin Leuberus* A. 1648 edidit *gründlichen und hiſtorienmæſſigen Diſcurs über etlichen der Stadt Magdeburg gerühmten alten Privilegiis,* & A. 1661 *gründliche Erwegung der Sæchſiſchen Stapel-und Niederlage. Leuberus* inprimis, privilegium, quod Magdeburgenſes A. 940 ab *Ottone* majores ſuos accepiſſe gloriabantur quondam, eſſe ſuppoſititium fictumque, comprobavit. Illius enim nuspiam reperitur avtographum. In apographo prodit fraudem dialectus Saxoniæ ſuperioris, ac verſio Latine fabricata, quæ exſtat apud *Goldaſtum Conſtitut. Imperial. Tom. I pag. 215.* Notæ chronologicæ, Diploma eſſe
l'ag. 32. falſum, facile neminem non convincunt. Nihilo ſecius Diploma hoc, quod *fundationem Ottonis* vocant, in Inſtrumento pacis Weſtphalicæ, Sueco ita ingratiis Brandenburgici Electoris contendente, fuit confirmatum. 5) Hinc oculis ſeſe ingerit Numus & unus & alter, probabiliter juſſu *Dagoberti II,* Regis Auſtraſiæ, ante A. 678 percuſſus, quem *Claudius Bouteroue,* & *le Blanc pag. 74,* ſpectandum exhibuerunt. Quomodo *Dagobertus* hic in regnum Auſtraſiæ ex Anglia fuerit
38. revocatus, ſcriptores Franciæ veteres tacent. Autor id exponit ex Jeſuitæ *Gothofredi Henſchenii* Diatriba *de Tribus Dagobertis, Francorum Regibus,* quem rectiora didiciſſe novimus ex *Heddio Stephano* in *Vita S. Wilfridi, Epiſcopi Eboracenſis c. 27, 33, Wilhelmo Malmesburienſi,* aliisque. *Antonius Pagius* in Chronologia emendavit & ſupplevit inventionem *Henſchenianam,*

Digitized by Google

ſchenianam, quam *Hadrianus* ſibi *Valeſius* deberi jactitavit quidem, at juſtis armis propugnare haud valuit. 6) Exhibetur pretioſum Numiſma, A. 1567 percuſſum, repræſentans Pro-Ducem Belgii ac Ducem Parmæ, *Margaretam* Auſtriacam. In antica dextrum faciei latus patet. Epigraphe addita: MARGARETA. AB. AVSTRIA. D.ux. P.armæ ET P.lacentiæ. C.aroli. V. F.ilia. In poſtica eminet pars templi anterior, ac in introitu ſupra gradum quartum fœmina, tenens dextra palmam. Supra adjuncta cernitur inſcriptio: FELICI TVTELA. Illuſtratio numi capit exordium a ficta *Richilde*, ſcribendo *dominantium fœminarum theatro* intenta, ac atro carbone notat pellices & concubinas dominationis avidiores. De reliquo *Margaretæ* dominatus fuit vani honoris imago. Imperium enim fuit penes *Granvellam*, cujus illa nævos politicos nonnunquam candide ad *Philippum*, Hiſpaniarum Regem, perſcripſit. Cum ipſa Regem ad conſilia moderata & optima allicere & impellere non poſſet, Dux vero Albenſis ferrum flammasque miſcere cœpiſſet; impetravit, ut imperio vicario, vel potius ejus titulo inani, ipſa expers redderetur, A. 1567 d. 20 Dec. 7) Excipit Numiſma illud Nunus mnemonicus, A. 1722 cuſus, ut memoriam Abbatis Loccumenſis, *Gerhardi Wolteri Molani*, qui ſtudium irenicum ac Theologiam catecheticam amavit, ad poſteros transmitteret. Addita eſt vita viri, eaque ex propria ejus confeſſione magnam partem derivata. 8) Offert ſeſe deinceps rariſſimus Thalerus *Henrici de Bobenhauſen*, Magiſtri Ordinis Teutonici, A. 1590 percuſſus. Incidit præterea Autor Cel. in Thaleros duos, Magiſtris Ordinis illius dicatos. Unus eſt Marchionis Brandeburgenſis, *Alberti*, Magiſtri Ordinis per Boruſſiam; alter *Waltheri de Cronberg*, formam præferens diverſam ab ea, quæ *Delic. hiſtor. numiſm. P. III* fuit allata & illuſtrata. *Henricus* ille, A. 1572 d. 6 Aug. in Adminiſtratorem Magiſterii Boruſſici ac Magiſtrum Ordinis Mariani Teutonici electus, ultimus exſtitit, qui de recuperanda Boruſſia ſerio cogitavit. Ipſe A. 1585 munia illa ſua Archiduci Auſtriæ *Maximiliano* tradidit, habitatum conceſſit Cron-Weiſſenburgum, ibique exſpiravit A. 1595 d. 15 Mart. 9) Sequi-

Pag. 42. 57. TAB. I Fig. 1. Pag. 62.

tur Metallio pulcherrimus, *Lauram Mariam Catharinam Bassi*,
Pag. 65. Bononiensem Philosophiæ Doctricem, Collegii Lectricem pu-
TAB. I blicam, Instituti scientiarum sociam, referens, A. 1732 percus-
Fig. 2. sus. Ipsa fuit A. 1711 d. 30 Oct. e generosa familia Bononiæ edita, patre *Josepho*, lauream Juris utriusque ac sacræ Theologiæ consecuto. *Cajetanus Tacconus*, Medicinæ ibidem Professor publicus, prima Philosophiæ elementa eam docuit, e quibus
Pag. 69 fructus excreverunt longe florentissimi. *Eustachii Manfredi*,
seq. Astronomiæ Cel. Prof. Bononiensis, Epistolam Cl. Autor inserendam duxit, e qua vitam & doctrinam Doctricis inclytissimæ propius nosse licet. Ex eadem patet, in *Supplementis* horum *Actorum ad M. Julium A. 1732 pag. 243* legenda esse nomina fœminarum, *Lauræ*, Doctoratum nactæ, comitum, ita: *D. Com. Mariam Bergonzi Ranuzzi*, & *D. Marchion. Elisabetham Mariam Herculani Ratta*; ibidemque *pag. 344* legendum esse nomen promotoris, qui *Lauræ* lauream doctoralem concessit, *Matthæum Bazzani*. Recolimus merito in hujus *Lauræ* elogiis memoriam *Bellizie Gozadinæ*, ante 200 annos Bononiæ
37. florentis. 10) Vocat spectatorem porro Numus, memoriam A. 1707 feliciter conjunctæ Scotiæ & Angliæ intra Britanniæ magnæ nomen exhibens. *Anna* Regina scilicet perfecit opus illud memorabile, quod inde a *Jacobi I* ætate diligenter, sed
81. frustra, fuerat tentatum, *Wilhelmi* consiliis attribuendum. 11) Sequitur Numisma, quo insignitur natalitius dies *Christiani V*, Regis Danorum, addito in postica titulo: *Arbiter maris Bal-*
89. *thici*, A. 1686 publice emissum. 12) Non est prætereundus Thalerus *Wolfgangi*, Comitis Palatini ad Rhenum, progenitoris communis omnium Comitum Palatinorum Rheni, qui adhuc sunt in vivis, A. 1565 cusus. Adjungitur ei ab Autore bio-
97. graphia concinna, satisque pragmatica. 13) Rarior est Numus *Joannæ*, Reginæ Navarrensis, ejusque filii, *Henrici*, Regis, A. 1569 percussus, in cujus aversa legitur tessera militaris, eventuum tertii belli Hugonottici index: *Pax certa*, *victoria integra*, *mors honesta*. Exponenda hæc sunt in sensu disjunctivo. 14) Additur singularis rariorque forma septimi Thaleri, a campana nomen indepti, ab *Augusto*, Duce Brunsuico-Luneburgico,

Digitized by Google

burgico, A. 1643 profecti. Septimus enim hic caret malleo, quo campana ad ſonum edendum percellitur. Suffixa hic occurrit ſeries eorum, qui numorum Suecicorum exſtiterunt formatores. 15) Non omittendum duxit Vir Cel. Thalerum rariſſimum *Franciſci Philiberti*, Principis Maſſeranæ, A. 1613 factum. Princeps hic patre uſus fuit *Beſſio Ferrero*, Marchione Maſſeranæ, Domino Saſavalli, matre *Claudina*, Sabaudiæ terris orta, filia *Philippi* Comitis *de Raconis* dicti. Ab Imperatore Principis Imperii axioma reportavit. Uxorem duxit A. 1577 *Beatricem* Sabaudam, Ducis Sabaudorum, *Caroli Emanuelis*, filiam naturalem, eaque defuncta *Franciſcam de Grillet*. Principatus Maſſeranæ intra Diœceſin Epiſcopatus Vercellenſis verſus Mediolanum ſeſe offert, feudum vero exiſtit Pontificis Romani. *Carolus V* hujus *Philiberti* progenitoribus primus impertivit jus numos cudendi. Reliqua apud Autorem ſunt legenda. 16) Adſpectu porro dignus eſt Numus mnemonicus, a Rege *Henrico II* in Galliis factus, notans obſidionem, A. 1552 fruſtra a *Carolo V* Metis intentatam. 17) Excipit illum Thalerus *Henrici I*, ex juniori proſapia Reuſſica, Comitis & Domini Plaviæ ac Schlaizæ, A. 1679 percuſſus, isque ſymbolicus. Reuſſi, ſeu Ruſi, vocantur Comites illi Illuſtriſſimi ex *Henrico Ruſe*. *Henricus* enim *Advocatus in Plauen* in charta quadam ad A. 1289 teſtes excitat filios ſuos *Henricum dictum Bohemum* & *Henricum dictum Ruſe*. Videtur ille prior ita cognominatus ob matrem Bohemicam, poſterior vero ob aviam e Ruſſorum Principibus procreatam. Videatur *Becklerus* in *Illuſtri ſtemmate Ruthenico pag. 257 ſeq.* 18) Numus, qui ſequitur, repræſentat memoriam coronationis poeticæ, qua ſpectatiſſimæ fœminæ, *Chriſtianæ Marianæ Ziegleriæ*, *Romani* filiæ, A. 1733 d. 17 Oct. laurea ab Ordine philoſophico Vitembergenſi fuit tributa. 19) Rariſſimus eſt, qui huic ſuccedit, Thalerus urbis Corbaci, in Principum Waldeccenſium terra ſitæ, A. 1566 percuſſus. Urbis hujus proceres quondam contenderunt, ipſam ævo *Henrici IV* conditam, ac A. 1366 ab *Henrico Ferreo*, Comite Waldeccenſi, ſubactam fuiſſe. At Comes *Volquinus* jam A. 1256 judicem ſuum Corbaci aluit. Co-

Pag. 108. 113. TAB. I Fig. 3. Pag. 121. 132. 145.

pioſe oſtendit Autor, fruſtra eſſe, qui, Corbacum unquam fuiſſe in numero urbium imperialium ac immediatarum, ſibi perſuadeant. - Id vero negari non poteſt, oppidanos Corbacenſes jus numos cudendi a Comitibus conduxiſſe pretio interpoſito, eoque determinato. 20) Æque rarus eſt Numus, *Clementis VII* Papæ liberationem & fugam ex caſtro Angeli referens, A. 1527 factus. 21) Succedit ei Thalerus urbis Northeimii, A. 1671 cuſus, isque ſatis rarus. De Comitibus Northeimenſibus, Cœnobio S. *Blaſii*, ac incrementis urbis ipſius, affundun-
Pag. 168. tur lectu haud injucunda. Jus cudendi numos urbs conductitio nomine haud ſecus ac Embeca, Hannovera, Oſteroda, Gottinga, Hamelium, a Ducibus dicitur tenuiſſe. 22) Sequitur typus ſesquithaleri, A. 1634 juſſu *Georgii*, Ducis Brunſuico-Luneburgici, percuſſus in admonitionem fraternæ concordiæ, qua quatuor ipſius filii, principes juventutis, florebant. 23) Succedit Numiſma, referens memoriam fidei homagialis ab Or-
177. dinibus Boruſſicis A. 1663 Electori Brandenburgico, *Friderico Wilhelmo*, ſupremum dominatum, eumque plenum, in Boruſſiam nacto, nuncupatæ. Legi meretur expoſitio, qua Cel. Autor
185. hunc numum illuſtravit. 24) Antiquitatem olet Numus rarior argenteus, annos inter 879 & 887 a *Boſone*, Rege Burgundiæ inferioris ac Provinciæ, publici juris factus. In antica exſtant hæc: BOZO GRACIA DI REX; in poſtica: VIENNA CIVIS (id eſt, civitas,). Operæ pretium eſt, *Boſonis* vitam, hic
193. commemoratam, curatius evolviſſe. 25) Non eſt, quod de Numo ſexdecimvirali Bernenſi, ad A. 1737 referendo, aliquid
201. ſummatim differamus. 26) Florenus dimidius, isque rarus, *Dianæ*, Principis ſacri Imperii, Marchioniſſæ *de Havré*, eum excipit, in cujus adverſa exhibetur eques loricatus cum epigraphe: *Sanctus Mauritius Patronus Vinſtinenſis*. *Diana* hæc fuit uxor *Caroli Philippi*, Marchionis Belgici *de Havré*, filia *Wilhelmi*, Domini Dammertinæ, ac *Annæ Ferdinandi* Neo Comenſis & *Magdalenæ*, ex Domino Vinſtingi ac Marſchallo Lotharingiæ *Joanne*, ultimo ſtirpis ſuæ, natæ. Conf. *Speneri Opus Herald. Part. ſpec. Lib. I Cap. 76 §. 8 pag. 308.* *Carolus* ille *Philippus* A. 1598 a *Rudolpho II* Principibus imperii fuit

Digitized by Google

fuit adſcriptus, eo quod legatione Hiſpanica feliciter fuerat perfunctus. 27) Cel. Autor hinc exhibet primum Sileſiæ Numum exequialem Ducis Lignitii ac Brigenſium, *Joachimi Friderici*, ad A. 1602. 28) Succedit ei rariſſimus urbis Stutgardiæ Thalerus, A. 1522 percuſſus. Illuſtrationis cauſa adjunctum eſt Autoris colloquium cum cive Gottingenſi *Erich*. Potuit hac ratione ſuccurri fatigationibus, quibus ſeria ſubinde laborant. 29) Oculis deinde ſubjicitur Numus ſepulchralis, memoriam re- Pag. 225.
præſentans *Henrici* Reuſſici junioris, Domini Plawiæ in Gera, defuncti d. 3 Dec. A. 1635. 30) Animum tum paſcit Numiſma *Georgii II*, Regis Britanniæ ac Electoris Brunſuico-Luneburgici, memoriam initiatæ Academiæ Gottinganæ A. 1734 referens. Adjungitur ei loco expoſitionis primordium & fundamentum Academiæ hujus recentiſſimæ. 31) Exhibetur paulo 241.
poſt Thalerus ſepulchralis *Henrici VI* ſenioris Ruſi, Comitis Dominique Plawiæ, qui animam Deo naturæque debitum reddidit A. 1698 d. $\frac{11}{21}$ Oct. Segedini, vulnere mortifero accepto. 32) Calamitatem publicam commemorat Numus rhomboidalis, juſſu *Alberti junioris*, Marchionis Brandenburgo-Culmbacenſis, A. 1553 cuſus. 33) Ejusdem commatis, ac Marchionis, immo anni, atque formæ, licet minoris, eſt Nunius ille, qui huic ſubjunctus apparet. Ad utrumque egregie facit diligens expoſitio, a Prof. Schwinfurtenſi, *Bocriſio*, profecta. 34) Attentione dignus eſt is, qui ſequitur, Numus unilateralis, celebrem Theologum *Joannem de Laſco* referens, A. 1557 cuſus. Theologus ille Auguſtanæ Confeſſioni nomen dabat, re vera in doctrina de ſacra Cœna reclamabat, vir diſſidioſus, hæretificationis magiſter, ac Pontificatum in omnes affectans. Cel. Autor hanc ob cauſam Cl. *Bertramum*, qui *Hiſtoriam criticam Joannis a Laſco* edidit, ac ſecus ſtatuit, haud putat affectandum. 35) 272.
& 36) Succedunt Numi tres, duo nempe Thaleri gemini, A. 1602 & 1607 a Silveſtribus Rhenique Comitibus Dhaunenſibus profecti, ac unus Ducatus duplus, A. 1607 percuſſus. Expoſitionem præſtantiſſimam addidit D. *Henricus Chriſtianus Senckenbergius*, quondam Prof. P. O. Gottingæ, nunc in almam Gieſſenſem Academiam ampliſſimo cum honore translatus. 37)

Pag. 289. Maximi moduli eſt Numiſma, quo Eques *Joannes Laurentius Berninus*, architectus ac ſculptor Romanus, A. 1674 expreſſus repræſentatur. Ipſe deceſſit A. 1680 d. 29 Nov. natus annos 82, vir invidus & æmulationis aliorum impatiens, pares qui ferre haud didicerat. 38) Recentius eſt Numiſma illud, quod Regem Britanniæ Magnæ auguſtiſſimum, *Georgium II*, ac inaugurationem Academiæ Gottinganæ, exhibet, A. 1737 percuſſum. Illuſtrationis gratia additur epitome ex actis inaugurationis illius ſolenniſſime peractæ. 39) Adjungitur & Numiſma ſecundum, ejusdem ſolennitatis index. Subjicitur reliquum inaugurationis, & carmen Prof. Cel. *Halleri*, quo averſa illius, *Palladem* & fœminam, cornu copiæ inſtructam, referens, illuſtratur. 40) Sequitur tertium, cui illuſtrationis loco accedunt verſus *Georgii Matthiæ*, quo *ideam Profeſſorum Academiæ Georgiæ Auguſtæ* complexus fuit. En ex ea imaginem Cel. *Kœleri*:

Nummi, ſcripta, libri, veteris monumenta novique
Temporis, & priſcæ nobilitatis avi,
Et ſeries, permixta ſibi, non rupta nepotum,
Hiſtoriæ pandunt intima clauſtra viro.

41) Inde deflectit ejus induſtria ad Numum mnemonicum, quo oſſa S. *Norberti*, Archiepiſcopi Magdeburgici, ac Præmonſtratenſium conditoris, ex Cœnobio S. *Mariæ* Magdeburgico in Monaſterium Pragenſe Strahov translata, oſtenduntur, A.
328. 1627 cuſo. Magdeburgenſes monent, oſſa *Norberti* tum jam evanuiſſe, loco autem eorum Abbatem Strahovenſem Archiepiſcopi decimi *Henrici* ſepulchrum aperuiſſe, ejusque ſecum oſſa abſtuliſſe. 42) *Bogeslai X*, Ducis Pomeraniæ, Thalerus, A. 1498 percuſſus, probabiliter vetuſtiſſimus eſt eorum, quos Pomerania vidit. Hic heros Pomeraniam tandem omnem ditioni ſuæ ſubmiſit, defunctus A. 1523 d. 30 Sept. 43) Excipit eum Numus exequialis *Bogislai XIV*, qui Ducum Pome-
337. raniæ ſtirpem maſculam clauſit, A. 1580 d. 31 Mart. nati, A. 1654 d. 25 Maji defuncti. 44) Conjungitur merito cum eo ſemithalerus *Ulrici*, Ducis Pomeraniæ & Epiſcopi Caminenſis, A. 1622 factus ac percuſſus. 45) Ad easdem oras illuſtrandas ſpectat Numus Gryphiswaldiæ ſtanneus, neceſſitate expreſſus &

excuſus

Digitized by Google

excuſus A. 1631, cum Rex *Guſtavus Adolphus* eam obſideret, Pomerania reliqua potitus. 46) Tum vero Cel. Autor in Gallias ſeſe transfert, exhibito typo Numi mnemonici, qui refert Academiam Regiam Inſcriptionum & Numiſmatum, a *Ludovico XIV* A. 1663 inſtitutam. Ipſe hunc numum eo inprimis nomine notat Deliciarum conditor, quod in averſa deſignet perigraphe *fidem rerum geſtarum*, imago autem in medio offerat ſpectatoribus *Mercurium*, inſtar opilionis, pedo innixi, recubantem. Conſonatne *Mercurius* ille bilinguis, fur, fraudum ar- Pag. 368.
chitectus, oſtentator, & mendax, fidei rerum geſtarum? *Autori* videtur Academia illa ejusdem fuiſſe moduli, quo exſtitit *Ovidius*, cum caneret:

Non mihi ſunt viſæ Clio Cliusque ſorores.

47) *Leonardus Vincius*, Florentinus, pictor ſuæ ætatis præſantiſſimus, vivit in Numo, A. 1669 percuſſo, & in expoſitione, qua vitam ipſius perſecutus fuit diligentia Autoris indefeſſa. 369.
48) Succedit *Vincio* Numiſma, A. 1668 poſt pacem Aquisgranenſem in gloriam Belgii fœderati cuſum. 49) Ter- 385.
tium deinde offert ſeſe Numus, ſexui fœmineo ſacer, nempe numiſma, quo *Anna Dacieria*, *Fabri* filia, defuncta A. 1720, Gallorum decus, repræſentatur. Juvat legiſſe vitam *Dacieriæ*, illuſtrando huic numo adjunctam. 50) Antiquitatem redolet typus Numi, ad *Abelem*, Regem Daniæ, fratricidam, referendi, A. 1252 circiter facti. 51) Succedit *Sixti V* Papæ Numus, in averſa juſtitiam exhibens, adjecta perigraphe: PVBLICÆ. QVIETIS. PARENS. 52) Huic ſubjunctum apparet Numiſma minus, *Ægidium Menagium* repræſentans, Academiæ *de la Cruſca* dictæ ſodalem. In vita ejus, hic adjecta, id ei proprium traditur fuiſſe, ut laudibus ſuis nimium tribueret, diſſenſui ferendo minus habilis, præco ſuimet. Quod judicium ipſius *Menagii* teſtimonio confirmatur ex *Tomo I Menag. pag. 164 edit. tert.* Nec tamen id videtur omittendum, ipſum fuiſſe virum eruditiſſimum, gentis ſuæ & ætatis *Ludovici XIV* ornamentum, in Germanos comem, commercio epiſtolari celebrem, memoriæ portentoſæ plenum, vivaci ingenio inſtructum, ac ſodalibus pergratum. Lucem adſpexerat primam

A. 1613

Pag. 416. A. 1613 d. 15 Aug. Obtrectatores & inimicos habuit *Boilavium*, *Cotinum*, *Saleum*, *Buburſium*, & *Ballietum*, aliosque. Obiit A. 1692 d. 11 Aug. Supplementi loco accedunt Numi aliquot, quos ut deſignemus ſtrictim, res ipſa monet. Primas tenet tertius rarusque Thalerus *Kronemannianus*; cui jungitur Numus, A. 1610 in obſidione Juliaci, urgente neceſſitate, cuſus; atque ſuccedit Florenus aureus rariſſimus urbis Stutgardiæ, A. 1520 percuſſus. In calce ſuffigitur *Jo. Chriſtophori Olearii*,
435 ſeq. A. 1709, 12, editus, dudum rarior, *Prodromus Hagiologiæ numiſmaticæ Sanctorum & Sanctarum, Icones in Numis illuſtrantis.*

D. Samuel Scharſchmids Medicinische und Chirurgiſche Nachrichten, ꝛc.

hoc eſt,

D. SAMUELIS SCHARSCHMIDII Relationum medicarum atque chirurgicarum Eteodromi tres, multis novis obſervationibus, caſibusque, aucti, aliquot etiam Figuris æneis illuſtrati, cum Præfatione FRIDERICI HOFFMANNI.

Tomi III.

Berolini, impenſis Danielis Auguſti Gohlii, 1743, 4. Tom. I Alph. 2 plag. 10, Tom. II Alph. 2 plag. 5, Tom. III Alph. 2 plag. 13.

Pro eo, qui jam ab aliquo tempore fuit in re literaria, ſeculi genio, ut res præcipue, quæ ad emendandos hominum mores, caſtigandamque complurium ſtultitiam, pertinent, novo inſtituto per partes, ſingulis foliis qualibet utplurimum hebdomade publicatis, inculcentur, Cl. etiam Autor nonnulla ex rebus medicis, quæ ad valetudinem ſartam tectamque conſervandam, avertendosque morbos, & ſcientiam medicam atque chirurgicam amplificandam, comparata eſſent, eundem in modum ſingularibus qualibet hebdomade foliis ediſſerere, ante aliquot annos animum induxit, idque tam felici per tres annos ſucceſſu, ut brevi illa tempore penitus diſtraherentur.

Digitized by Google

tur. Quare nunc eadem in unum corpus coacta majori emtorum compendio in lucem revocavit denuo, variisque simul observationibus & casibus, quos vocant, medicis auxit. Atque meruit omnino novam hanc curam, qua in plurium manus veniat, præclarum hoc Opus, in quo nunc quæstiones ex Diætetica, quas accuratius nosse, tot hominum interest, disceptantur, nunc singularia & nova morborum exempla ex Medicina & Chirurgia, expromuntur, docteque explicantur. Ubique autem magna doctrinæ medicæ peritia, judicii acumen, soliditas, & perspicuitas, cum plana, & quibuslibet lectoribus, etiam non medicis, facile intelligenda, ad retinendosque animos accommodata, dictione, dignitatem hujus Operis præ reliqua libellorum medicorum, vernacula lingua exaratorum, fæce & sentina satis ostendunt. Ut Lectores nostri intelligant, quid in hac Collectione quærere habeant, singula ejus, quæ sparsim pertractantur, capita ad ordinem disciplinarum medicarum strictim hic indicabimus. Ad *Medicinam* generatim referuntur, quæ *P. II pag. 12* de fide medica, & *pag. 401* de quæstione, disseruntur, an dedecus pariat, vel scientiæ incertitudinem indicet, si medicus in magno morborum periculo plures in consilium vocet medicos. *Diæteticam* illustrant observationes quæstionesque *Part. I pag. 21*, an somnus meridianus sanitati conducat; *pag. 31* quantum detrimenti ex paucitate potus homo capiat; *pag. 46* quantum detrimenti potus nimius sanitati afferat, & an crapula levior eidem conducat; *pag. 73* de usu & noxa thoracum; *pag. 166* de aere, ejusque in corpus nostrum effectibus; *pag. 180* de effectibus aeris gravis densique; *pag. 184* de effectibus aeris levis, rari, & tepidi; *pag. 205* an dicta nimis scrupulosa sanitati, & proverbium: medice vivere est pessime vivere, veritati conveniat; *pag. 250* in quantum quilibet sui corporis medicus esse debeat; *pag. 264* an esus potusque in desuetudinem deduci queat; *pag. 278* alvusne aperta esse debeat, licet nihil comedatur; *pag. 310* cur sternutantibus bene precemur; *pag. 381* de salubritate sacchari; *pag. 400* de salubritate salis culinarii; *pag. 426* an sanitati conducat, intra duodecim a natali Jesu Christi dies vesci leguminibus; ex *Part. II pag. 81*, quid bonæ valetu-

dini magis congruat, ſemel de die, an bis, cibum capere; *pag. 134* de ſalubritate motus corporis poſt paſtum; *pag. 168* fumusne tabaci poſt paſtum congruat; *pag. 198* quamdiu dormire liceat; *pag. 295* de ſalubritate vini aduſti in prandio; *pag. 341* an & qua ratione alvus quotidie laxa ſervari queat; *pag. 366* quantum interſit ad concoctionem ciborum juvandam, allevandamque, atque adeo conſervandam ſanitatem, eosdem ſatis maſticare; ex *Part. III pag. 1* an & quantum ſanitati conducat, pedes a refrigeratione defendere; *pag. 94* an a ſtrophiolo, tempeſtate turbida, nebuloſa, & inſalubri, ori admoto, quidquam opis ſperare liceat; *pag. 145* quantum ſudatio copioſa & vehemens homini ſano conducat; *pag. 203* de ſalubritate potus Coffee; *pag. 249* de neceſſitate & uſu commotionis corporis; *pag. 288* uter magis valetudini ſuæ conſulat, qui ſtando, an qui ſedendo, ſtudiis operatur; *pag. 343* de uſu lachrymarum; *pag. 264* de noxa conclavium nimis calidorum; *pag. 386* de fame tanquam coquo optimo; *pag. 394* an ſanitati conveniat, multis veſci juſculis, ab iisque prandium ordiri; *pag. 405* de noxa cibi multiplicis, præcipue aromatibus nimium conditi; *pag. 411* an fluxus menſtruus in fœminis ad fœcunditatem ſit neceſſarius. *Pathologiæ* amplificandæ inſerviunt obſervationes ex *Part. I pag. 13* de calculis veſicæ, ex corporibus peregrinis, extrinſecus in corpus delatis, genitis; *pag. 36* de ſingulari lethalique veſicæ urinariæ abſceſſu, cum urinæ non per urethram, ſed aliquod in perinæo foramen, emiſſione; *pag. 39* de liene præter naturam magno diſruptoque; *pag. 45* de hepate item corde diſrupto; *pag. 53* de ſomnolentia diuturna, & ſtupore totius corporis ſingulari; *pag. 59* de fœminis ebrioſis; *pag. 82* de hepate diſrupto ex ictu ferali; *pag. 83* de apoplexia ſubito fatali, cum lienis corruptione; *pag. 117* de colica, ſingulari uſu interno fiſtulæ tabaci, ad nigredinem uſque infumatæ, primum exacerbata, poſthæc curata; *pag. 123* de hominibus præ brutis animalibus, & ſequiori præ maſculino ſexu, ad morbos proclivioribus; *pag. 132* de epilepſia aſſidue inſultante, & quatuor horarum intervallo lethali; *pag. 134* de epilepſia continua; *pag. 149* de partu difficili gemellotum, quorum cuique ſuæ erant ſecun-

ſecundinæ; *pag. 150* de partu infantis ſeptimeſtris, cujus motum mater aliquot dies ante non percepit; *pag. 156* de morte ſubita mulieris gravidæ, ex uſu remedii emetici; *pag. 159* podagra male tractata, & repulſa tandem lethalis; *pag. 173* de peripneumonia, tumore parotidum inflammatorio, & copioſa urinæ excretione, ſoluta; *pag. 175* de partu infauſto poſt prægreſſam febrem; *pag. 192* de diarrhœa, ex refrigeratione corporis ſudantis enata; *pag. 200* de gonorrhœa diuturna; *pag. 214* de vermibus, e ſinu maxillari per nares delapſis; *pag. 220* de febre acuta, in hecticam mutata, & abſceſſu auris dextræ curata; *pag. 234* de febribus intermittentibus, præſertim tertiana; *pag. 243* de febre catarrhali anomala, & quæ, licet perverſis curationibus variis tentata fuerit, tandem tamen feliciter, & ſua propemodum ſponte, ceſſavit; *pag. 283* de febre intermittente anomala, poſt excretionem nonnullorum calculorum renalium tandem penitus ceſſante; *pag. 285* de calculo renum, & cur frequentius in ſiniſtro, quam dextro, rene reperiatur; *pag. 303* de menſibus vehementi terrore confeſtim ſuppreſſis; *pag. 314* de apoplexia ſpaſmodico-verminoſa, & apoplexia generatim conſiderata; *pag. 345* & *352* de febre quartana; *pag. 362* de febre tertiana, paroxyſmo ſeptimo lethali, ex ulcere omenti orta; *pag. 364* an medicus in morbis, qui levioris momenti videntur, certam opem promittere, aut in conditione morbi ſumme periculoſa ægrotanti omnem vitæ ſanitatisque ſpem eripere, queat; *pag. 373* de epilepſia ſymptomatica, uſum corticis chinæ in febre tertiana ſecuta; *pag. 374* de obſtructione iliaca poſt febrem tertianam; *pag. 392* de fonte & origine vomitus cruenti; *pag. 409* de ſomnolentia, per lapſum ex ſcalis effecta; ex *Part. II pag. 1* an, cervicali moribundis ſubtracto, mors allevetur; *pag. 17* an ex nimio gaudio mors oriri queat; *pag. 21* de morbo thoracis phthiſeos ſimili, per intumeſcentiam vaſorum ſanguineorum in manibus pedibusque feliciter ſublata; *pag. 22* de phthiſi, ejusque a febre hectica diverſitate; *pag. 36* de fluxu menſtruo ex pede; *pag. 53* de febre amatoria, cum diſquiſitione, ſitne ullum amori remedium; *pag. 71* de ſuppreſſione urinæ poſt prægreſſam gonorrhœam virulentam; *pag.*

97 an frequens gallorum esus podagram concitet; *pag. 101* de otalgia vehementi; *pag. 103* de otalgia generatim; *pag. 112* de tinnitu aurium in sanis, & an aliorum de nobis sermones indicent; *pag. 141* de affectibus hypochondriacis, a podagra male tractata relictis; *pag. 143* de malo hypochondriaco; *pag. 157* de clavo pedum; *pag. 174* de tumore hydropico, in infante, post febrem literis quibusdam proscriptam, sua sponte discusso; *pag. 182* de atrophia; *pag. 253* an conveniat, ægrotantem operose ad capiendum cibum invitare; *pag. 269* de febre epidemia tertiana duplici; *pag. 273* de consideratione febrium æstate anni 1739 epidemiarum; *pag. 316* de affectus cancrosi generatione; *pag. 338* de febre tertiana gravidæ lethali; *pag. 362* de fausta multarum singularium molarum excretione; *pag. 374* de catarrho extra ordinem vehementi; *pag. 380* de causis catarrhorum; *pag. 400* de sphacelo sub cute serpente, ex depositione materiæ arthriticæ orto; ex *Part. III pag. 38* de pudore in urina continenda sanitati noxio; *pag. 36* de apoplexia lethali, ex fluxus serosi in pede exsiccatione per metastasin exorta; *pag. 110* de hemicrania pertinaci, cum paralysi palpebræ superioris juxta ac musculorum bulbi oculi sinistri conjuncta; *pag. 125* de doloribus capitis; *pag. 179* de gutta serena; *pag. 197* de homine gutta serena affecto, apoplexia mortuo; *pag. 198* de altero gutta serena affecto, peripneumonia in paroxysmo epileptico exstincto; *pag. 199* de tertio, eoque phthisico, exstincto; *pag. 201* de morte subita, ex liene disrupto orta; *pag. 202* de lethargo funesto; *pag. 231* de steatomate mesenterii singulari, in cadavere reperto; *pag. 232* de apoplexia lethali; *pag. 242* de singulari cordis conditione hominis post iterum demortui; *pag. 268* de lethargo funesto, post opii usum quotidianum viginti annorum; *pag. 270* de inflammatione pleuræ funesta, verisimiliter per insolitam intestinorum intumescentiam effecta; *pag. 273* de diarrhœa, pulmonis inflammationi accedente; *pag. 278* de asthmate ex ventriculo & intestinis; *pag. 295* de tympanite lethali; *pag. 310* de morbo pectoris lethali, in quo nonnullæ pectoris partes osseam duritiem acquisiverunt; *ibid.* de osse in capite reperto; *pag. 311* de pulsu exiguo, præcipue in morbis pectoris; *pag. 328* an

328 an medicus morborum cauſam ubique perfecte & accurate exploratam habere queat; *pag. 338* de hepate & pulmonibus diſruptis; *pag. 340* de foramine, in ventriculo poſt mortem reperto; *pag. 362* de paralyſi lethali, poſt febrem intermittentem exorta; *pag. 363* de mortis ſubitæ & extraordinariæ binis exemplis; *pag. 373* de inflammatione oculi dextri vehementi, ſed feliciter diſcuſſa; *pag. 577* de reſorbitione humorum, in oculum effuſorum. In *Therapia* locum inveniunt obſervationes & quæſtiones ex *Part. I pag. 1*, præſtetne, remedia evacuantia venæſectioni præmittere, an poſt eam demum adhibere; *pag. 13* qua ætate venæſectioni aſſueſcere, quamdiu eandem continuare, & an in ſenectute etiam eandem admittere, conveniat, item an a morte liberet venæſectio prima; *pag. 108* ſatiusne ſit, ante, vel poſt, æquinoctium venam ſecare; *pag. 142* an pilulæ *Stahlianæ* hæmorrhoides efficiant; *pag. 188* de morbo arthritico & rhevmatico, ſingulari fonte Freywaldenſi ſublato; *pag. 214* an menſis, quo roſæ effloreſcere ſolent, medicationi præ aliis conveniat; *pag. 222* de uſu emeticorum in reſtituendis menſibus; *pag. 228* rectene in proverbio dicatur, multa multum prodeſſe; *pag. 232* de febre tertiana, ſubito curata; *pag. 240* quouſque tertiana tolerari debeat, & an febre intermittente affectis noceat, templum, vel cellam, frequentare, vel ſuper aquam incedere; *pag. 255* de infauſto ſucceſſu curationis, in morbo faucium, ad febrem tertianam accedente, per incongrua remedia domeſtica peractæ; *pag. 259* an conveniat diebus caniculariibus medicamentis uti; *pag. 333* de fructu rectoque uſu pediluviorum & maniluviorum; *pag. 344* de febre quartana duplici & contumaci, croco Martis aperitivo *Stahlii* feliciter ſublata; *pag. 350* de febre tertiana, remediis incongruis in quartanam duplicem converſa; *pag. 389* de febre intermittente anomala, cum vomitu cruento gravidæ feliciter curata; *pag. 48* quid de pulveribus febrifugis ſit ſentiendum; *Part. III pag. 213* de nonnullis methodis curandæ luis venereæ per decocta & ſuffimigia, cum quæſtione, ſitne ſingularibus & novis remediis adhuc opus; *pag. 170* cœcitas utriuſque oculi feliciter curata; *pag. 232* in quantum valeat proverbium: Medice, cura

te ipſum. *Chirurgia* novis augetur acceſſionibus ex obſervationibus *Part. I pag. 9*, de ulcere maligno, in collo veſicæ partibusque vicinis ex male tractata gonorrhœa orto, feliciterque curato; *pag. 27* de carie laminæ internæ oſſis bregmatis in dextro latere, per trepanationem feliciter ſanata; *pag. 64* de ulcere vaginæ uterinæ atque inteſtini, ex peſſo uterino, decem annos geſtato, genito, feliciterque curato; *pag. 66* de læſione inteſtini coli, poſthæc partibus externis accreſcentis, per quam ultra anni ſpatium exiverunt excrementa; *pag. 94* de vulnere ſclopetario utriuſque pedis, ex quibus ſiniſter amputandus, dexter autem tendine Achillis, utut penitus diſcuſſo, ita ſanatus fuit, ut eo ad eundum uti ægrotans valuerit; *pag 119* de amputatione brachii, carie infecti, feliciter peracta; *pag. 136* de operatione in infante, qui occluſo ano prognatus erat, feliciter peracta; *pag. 223* de calculo, in glandula maxillari genito, & feliciter educto; *pag. 294* de fractura cranii, ſine ſingulari vi externa, quaſi ſua ſponte, facta; *pag. 296* fierine queat, ut oſſa corporis noſtri ſponte diffringantur; *pag. 307* an ex ſternutatione certo intelligatur, venam ſectam nunc coaluiſſe; *pag. 326* de ſteatomate permagno in cavo abdominis; *pag. 369* de felici duarum herniarum incarceratarum operatione; *pag. 410* de concuſſione cerebri, cum effluxu ſanguinis ex auribus; *pag. 425* de vulnere ſclopetario periculoſo, & tamen ſanato; ex *Part. II pag. 8* de caſu ſingulari hominis, qui ſibi ipſe feliciter pedem ope ſerræ amputavit; *pag. 42* de ſcroti ſphacelati amputatione, feliciter peracta; *pag. 89* de vulnere, aſperæ arteriæ dimidiam partem penetrante, feliciter ſanato; *pag. 90* de vulneribus colli, & præcipue aſperæ arteriæ; *pag. 95* de pede contuſo, ſubito amputando; *pag. 120* de vulnere capitis lethali; *pag. 121* de fundamento periculi in vulneribus capitis; *pag. 210* de tumoribus glandularum externarum lethalibus; *pag. 235* & *240* de paronychia; *pag. 315* de tumore cancroſo in ſcapula ſiniſtra, feliciter curato; *pag. 358* de carie maxillæ ſuperioris, per metaſtaſin a febre male curata exorta; *pag. 17* de amputatione pedis, ſeptem hebdomades tanquam membrum demortuum ex corpore vivo pendentis, feliciter peracta; *pag. 19* an membrum demortuum

tum & putrefactum ſua ſponte decidere queat; *pag. 34* de hernia, cum exulceratione inteſtini cœci conjuncta, operatione feliciter ſublata; *pag. 61* cur ulcera tibiæ tam difficulter coaleſcant, & conſolidata ſæpiſſime magnam noxam pariant; *pag. 82* de infauſto cancri mammæ poſt ſalivationem eventu; *pag. 91* de teſticulo interne oſſeo & piloſo; *pag. 92* de verme, ex ulcere linguæ prodeunte; *pag. 325* de operatione labii leporini ſingulari; *pag. 374* de vulnere capitis cum extremitate fiſtulæ, fugendo tabaci fumo deſtinatæ, in oculo relicta; *pag. 401* de hydrocele duplici, cum teſticulo cancroſo conjuncta, operatione feliciter ſublata.

Chriſtian Auguſt Cruſii Anweiſung vernünftig zu leben, ꝛc. hoc eſt,

COMMENTARII DE VITA RATIONI CONVENIENTER INSTITUENDA, in quibus, poſt expoſitam voluntatis humanæ naturam & indolem, officia naturalia, & præcepta prudentiæ generalia, nexu legitimo exponuntur a CHRISTIANO AUGUSTO CRUSIO.

Lipſiæ, ex officina Gleditſchiana, 1744, 8.

Alph. 2 plag. 12.

Quanquam poſt tot magnorum virorum induſtriam nonnullis omnis Philoſophia practica ita expedita videatur, ut in ea nihil novi ulterius exſpectandum ſit, præterquam quod novi ſcriptores ſuis verbis dicant, quæ ab aliis ſexcenties æque bene dicta fuerunt, aut, quæ apud alios diſperſa reperiuntur, pro ſuo quisque ſcopo colligant ac compingant; in eo tamen, quem jam delineatum imus, libello permulta occurrunt, quæ a novitatis gloria parum abeſſe videntur. Etenim non modo nova argumenta, & accuratum in concinnandis diſponendisque veritatibus ordinem, in eo deprehendimus, quo fit, ut partim convincatur intellectus, partim univerſus Philoſophiæ practicæ ambitus uno veluti obtutu oculis ſubjiciatur; verum ejusmodi etiam capita Cl. Autor aggreſſus eſt, & ſufficienter expoſuit,

expoſuit, quæ ab aliis aut omitti penitus, aut immerito faſtidiri, aut leviter tangi, & obſcuriuſcule potius eminus ſentiri, quam ſatis determinate cognoſci, aut explicari, ſolent. Sed, ſi quid eſt, quod in Philoſophia practica novum vocari poteſt, ſine dubio hoc erit. Facile enim concedimus, obſcurum æqui bonique ſenſum, quem natura nobis ingeneravit, quique uſu deinde & exemplis dijudicandis excitari & acui ſolet, ſe ad omnes omnino veritates quæſtionesque practicas extendere. Sed, in eo ſibi elaborandum eſſe, intelligunt Philoſophi, ut exinde diſtinctam, & ſolidis argumentis confirmatam, ordineque legitimo junctam, cognitionem eliciant, id quod vero multis locis adeo impeditum & difficile eſt, ut omnes plerumque melius ſentiamus & pronuntiemus, quam eorum, quæ docet natura, diſtincte rationem reddamus. Hoc vero a Noſtro ita factum eſſe, ut lector cordatus videatur contentus eſſe poſſe, intelligent omnes illi, qui librum ipſum perlegere voluerint. Noſtrum eſt, quædam exempli cauſa, velut in ſatura, exhibere. Ut vita humana rationi convenienter agatur, partim virtus requiritur, partim prudentia. Utramque igitur tradendam ſibi exiſtimavit Cl. Autor, poſtquam animum appulerat ad commentarios de vita rationi congrua conſcribendos. Præmiſit initio theoriam voluntatis humanæ in peculiari diſciplina, quam *Thelematologiam* dixit. Virtutis deinde doctrinam tribus comprehendit diſciplinis. Officia, quæ circa nos ipſos, id eſt, circa noſtrum ipſorum ſtatum virtuti convenienter conformandum, occupantur, *Ethicam* conſtituunt. Sequitur ſecundo loco *Theologia naturalis moralis*, de officiis erga Deum immediatis, tertio denique complexus jurium & officiorum hominum erga homines, quem Autor *Jus naturæ ſtricte ſic dictum* appellat. Quintam denique Opuſculi diſciplinam conſtituit *doctrina prudentiæ*. De ſingulis, quid præcipue nobis præſtitum videatur, exponemus. *Thelematologia* Autori eſt diſciplina mere theoretica de natura, viribus, & operationibus voluntatis humanæ, ubi illa non, quomodo eſſe debeat, ſed quomodo ſit, agat, muteturque, conſideratur. Ad Metaphyſicam illam referri noluit, quia Metaphyſica non niſi veritates neceſſarias ſibi vindicet, cum e contrario in volun-

voluntate humana quam plurima ſint mere contingentia. Meretur ob ambitum ſuum peculiaris diſciplina eſſe, doletque Cl. Autor, naturam voluntatis a Philoſophis hactenus nimis neglectam fuiſſe. Plerique Ethicæ quædam eo ſpectantia inſeruerunt, ſed pauca, & ad facultatem infinite multiformem intelligendam nondum ſufficientia; quamobrem in Philoſophia practica deinceps haud mediocres difficultates & obſcuritates exortæ ſunt. Illi vero ex recentioribus, qui doctrinam de voluntate Metaphyſicæ intulerunt, non modo omiſerunt multa, ſed quam plurima etiam plane perperam dixerunt, &, omnia ad intellectum referendo, verum animæ humanæ ſyſtema tantum non ſuſtulerunt. Cl. Autor principia, quæ hic nexu ſyſtematico colligata, aucta etiam, & in præcipuis quibusdam capitibus mutata, exponit, accepta refert præceptori ſuo, ex cujus ore illa olim hauſit, *Adolpho Friderico Hoffmanno*, Med. Doctori, Philoſopho celeberrimo & acutiſſimo, qui Academiæ noſtræ ante paucos annos obitu præmaturo ereptus eſt. Voluntas eſt facultas ſpiritus, ſecundum ideas ſuas agendi. Conſtituit in anima peculiarem, & ab intellectu re vera diſtinctam, facultatem fundamentalem, aut potius facultatum complexum. Attamen notiones intellectus ubique tanquam ſuum correlatum præſupponit, ideoque facultas cœca dicitur. Bonitas eſt relatio entis ad voluntatem, quemadmodum veritas relatio entis ad intellectum. Senſus grati oritur ex perceptione convenientiæ ſtatus alicujus cum voluntate, & in caſu contrario diſplicentia, aut dolor, exiſtit. Poteſtas operandi voluntati triplex ineſt. Primo in intellectum agit, ſcilicet eum ad objecta dirigendo, unde attentio & meditatio compoſita oritur, & intellectus ſtatus multifariam mutari, imo etiam corrumpi, poteſt. Secundo in corpus agit, motus tum animales, tum naturales, tum vitales, efficiendo, quanquam duorum generum poſteriorum nobis conſcii non ſimus, eaque non pro lubitu, ſed neceſſitate naturæ, perficiamus, cujus rei ratio redditur. Cl. Autor confutat ſyſtema *Carteſianum* & harmoniæ præſtabilitæ. Syſtema autem influxus phyſici, quod adoptat, mirifice emendat, & clarius, quam fieri ſolet, explicat. Tertio voluntas quoque in ſe ipſa agit. Volitionum duplex genus datur. Volitiones, cum aliqua perpetuitate etiam ſine propoſito perdurantes, dicuntur inſtinctus, ſeu appetitus, ex qui-

bus averſationes contrarii ſimul oriuntur. Ab his diſtinguenda eſt libertas, quæ eſt facultas activitatem voluntatis internam ita incipiendi, ut etiam, poſitis iisdem circumſtantiis, omitti, aut actio contraria ſuſcipi, potuiſſet. Libertas probatur, & ab objectionibus vindicatur. Scopus ejus, & conditiones, ſub quibus agere poſſit, dilucide exponuntur. Dividitur in plenam & minus plenam. Prior non obtinet, niſi ubi fines, aut media æquipollentia, occurrunt. Docetur, quibus conditionibus eligi poſſit id, quod judicio intellectus ipſius tanquam minus bonum repræſentatur, & quomodo judicia intellectus deinceps ſubito mutari ſoleant. Primaria libertatis regula hæc eſt, quod ſemper eligat inter objecta appetituum quorundam jam concitatorum, ideoque ſemper præſupponat motiva, ſeu rationes inclinantes, quanquam non determinantes & cogentes. Appetitus alii ſunt fundamentales, & a natura inſiti, alii vero ex his derivati & propagati. Ante omnia generales notari merentur qualitates, quæ appetitibus accidunt, ſcilicet quomodo commoveantur; quod gradu celeritatis, roboris, & durationis, in activitate ſua differant, unde temperamenta animi, quæ vocant, ſcite deducuntur; quomodo ex volitione finis oriatur volitio medii; quomodo ſpe appetitus ſuſpendantur; quomodo habitus exiſtant; quomodo ex uno appetitu plures generentur, dum crebra actione ad ſpeciem, individuum, partem, medium, effectum, ſignum, ſimile objecti fui, & ſic porro, determinatur; quomodo affectus animi gignantur, nimirum gaudium, riſus, timor, terror, ira, triſtitia, & deſperatio; quid ſit fortitudo, ſeu vis voluntatis; denique quod mutationes voluntatis certas quoque mutationes in corpore comites habeant, quantumque utilitatis exinde proveniat. Præter has qualitates, quæ ſingularum volitionum modos conſtituunt, ab appetitibus quoque abſtractione mentis ejusmodi qualitates ſeparari poſſunt, quæ ipſæ inter inſtinctus, ſeu volitiones perpetuas, collocari poſſunt, attamen non peculiares facultates, ſed potius facultatum naturalium, actionumque earum, notabiles circumſtantiæ, ſunt. Hæ quidem ſunt cupiditas notionis objecti, averſatio oppoſiti, aviditas vivendi, cupiditas futuræ ſecuritatis, appetitio perpetuæ activitatis, averſatio actionum fruſtranearum, cupiditas poſſibilitatis, inſtinctus felicitatis, & guſtus moralis.

Digitized by Google

ralis. Appetitus inſiti humanæ voluntatis dividuntur in animales & rationales. Appetitus rationales tres ſunt; primo appetitus propriæ perfectionis, unde ſtudium veri, cupiditas rationi convenienter agendi, ſtudium honoris, opulentiæ, & ſexcenta alia, emanant; ſecundo appetitus unionis cum eo, in quo perfectionem deprehendimus, cujus præcipua progenies eſt amor moralis; tertio inſtinctus conſcientiæ, ſeu naturalis animi diſpoſitio, qua ad legem divinam naturalem agnoſcendam & reverendam ferimur, quæ pulcherrime vindicatur. Appetitus animales, cum enumerari nequeant ob rationes maximi momenti, quæ exponuntur, ſaltem ad certas claſſes referendi ſunt. Dividuntur autem in duo genera, quorum utrumque inſitam animæ notionem ſui corporis præſupponit, cujus tamen, ne ſibi ipſi noceret nimium, aut nimis independens eſſet, conſcia ſibi eſſe non debuit. Alterum genus conſiſtit in niſu, determinato modo per ſuum corpus agendi, alterum vero in appetitione obſcura certi ſtatus corporis, unde de corporis voluptate & dolore, multisque admirabilibus, quæ natura animantia docere dicitur, ratio ſatis accurate redditur. Ex his facile intelligere putamus Lectores noſtros, in hac Thelematologia non recoqui ſexcenties dicta, ſed maximam partem recentia tradi. Et, quanquam occurrant aliqua, quæ brevi recenſione memorata paradoxa videri poſſint, fidenter tamen ſperamus, fore, ut, qui tractationem perſpicuam, & in ipſa brevitate laxam, Autoris ipſius adeat, aut calculum ipſi adjiciat, aut ſaltem ejus ingenii acumen, & in meditando ἀκρίβειαν, non contemnat. Jam ad ipſas Philoſophiæ practicæ diſciplinas progrediamur. Primum locum obtinet *Ethica*, ſeu diſciplina de ſtatu hominis, & præcipue animi, virtuti convenienter conformando. *Primum Caput* de virtute in genere præcipit, legisque naturalis exiſtentiam invictis argumentis copioſe demonſtrat, quæque eo ſpectant, notiones explicat. Autor ipſe fatetur, ſe *Caput* hoc non partem Ethices, ſed Philoſophiæ practicæ univerſalis, venditare, quam tamen, tædii evitandi cauſa, peculiari diſciplina complecti noluit, ſed potius, rerum diviſione facta, Ethicæ & Juri naturæ inſerendam duxit. Eſt autem lex divina naturalis ejusmodi voluntas Dei moralis, qua ea, quæ perfectioni rerum eſſentiali congrua ſunt, a ſpiritibus, ratione utentibus, libere ex

obedientia & amore erga Deum ob omnimodam ſuam ab eo dependentiam fieri vult. Dari ejusmodi legem, partim a poſteriori ex inſito conſcientiæ inſtinctu, nec non ex natura felicitatis animi humani, partim a priori ex notione perfectionis divinæ, evincitur. Duplex igitur legis naturalis obligatio ſtatuitur. Altera dicitur obligatio prudentiæ, quæ in nexu officiorum cum felicitate humana, etiam adhucdum ſine Deo ſpectata, conſiſtit. Altera vocatur legalis, quæ ex ſanctitate divina, vi cujus bonum ubique, ideoque in actionum quoque liberarum conformatione, neceſſario vult, ſimulque ex omnimoda noſtra a Deo dependentia, originem ducit. Prior ad ipſos quoque atheos ſpectat, ſed ſine altera neque veram virtutem parit, neque legem naturæ contra objectiones eorum, qui clam ſcelera committunt, in tuto collocat. Quare improbantur illi, qui non niſi alterutram docent. Aſſeritur igitur officiis internus ſuus cum perfectione rerum eſſentiali nexus, quem internam actionum bonitatem vocant. Sed illa, niſi ad voluntatem divinam referatur, non eſt bonitas vere moralis. Virtus igitur, quod ſit vere virtus, id habet a voluntate Dei. Sed ideo lex naturæ non ubivis mutabilis eſt, quia voluntas illa divina, ex qua proficiſcitur, non eſt actio libera, ſed attributum Dei eſſentiale, ſcilicet neceſſaria & immutabilis veri boni appetitio. Pœnarum neceſſitas deducitur ex neceſſitate differentiam conſtituendi inter eos, qui legem divinam ſervarunt, aut violarunt, quæ quidem differentia ut ubique ſceleris magnitudini proportionalis ſit, non ſuffecere pœnæ naturales, ſed etiam morales a Deo conſtitui debent. *Capite ſecundo* ſcopus vitæ humanæ demonſtratur, qui in eo conſiſtit, ut homines ſociali ſtudio virtutem in animo ſuo libere informent, exerceant, augeant; prætereaque jus habeant, vitæ hujus bonis legitime fruendi, quo facto, ad aliam perpetuam vitam tranſeundum eſt, quæ recte factorum præmia, ſcelerum pœnas, diſtribuet. Scopus igitur primarius vitæ eſt virtus, ſecundarius indolentia & voluptas. Singula per partes rigidiſſime demonſtrantur, & præſertim ex argumentis moralibus animæ humanæ immortalitas aſſeritur, doceturque, eam non ex animæ eſſentia, ſed ex voluntatis divinæ erga creaturam rationalem relatione, evinci debere. Jam *Caput tertium* de conformatione animi virtuti conveniente agit, nitidiſſimam-

diſſimamque virtutis effigiem ob oculos ponit, in qua tuta omnia & pacata conſpiciuntur, dum intellectus ad veritatem, voluntas ad obedientiam & amorem Dei, aſſuefacta eſt, omnesque reliqui fines his, tanquam primariis, ſine ullo veræ voluptatis, aut tranquillitatis, detrimento ſubjiciuntur. Magis ea cognoſcitur, dum *Capite quarto* oppoſitum juxta ponitur, nimirum malum morale. Probatur ejus exiſtentia, imo propagatio. Origo ex abuſu liberæ voluntatis operoſe repetitur. Limitationem animi ad originis mali rationem reddendam non ſufficere, oſtenditur. Blaſphemum de Deo malo commentum refutatur. Scelerum potiora genera ex primis principiis eruuntur. Subjunguntur *Capite quinto* remedia mali moralis. Monſtratur, quam impoſſibilis & inſufficiens ſit emendatio naturalis, & quantopere & exoptanda ſit, & requiratur, revelata religio, cujus criteria demonſtrantur. Dein non vulgaria amovendi mali moralis ſubſidia ſubjiciuntur, ex ipſa animi humani indole depromta. *Capite ſexto* ſcopus vitæ humanæ ſecundarius, indolentia ſcilicet & voluptas, ſpeciatim excutitur. Præcipitur de ſummo bono. Media exquiſita ad augendam vitæ tranquillitatem & voluptatem, avertendumque dolorem, commendantur. Explicit diſciplina *Capite ſeptimo* tradendis virtutibus, quæ circa voluptatem doloremve nobis incumbunt, continentia, caſtitate, temperantia, modeſtia, laboris patientia, & ſic porro. Jam alia ſequitur diſciplina, de officiis erga Deum immediatis, quæ *Theologiæ naturalis moralis* nomine inſignitur. Hæc, ut alia taceamus, præcipue ſe commendat novo augmento de officiis erga Deum immediatis circa aſſenſum. *Caput* illud ita comparatum eſt, ut magnam utilitatem polliceatur, ſed in epitomen redigi non facile queat. Cauſæ & rationes, nec non diverſa aſſenſus genera, a primis principiis repetuntur. Deinde aliquot propoſitionibus demonſtratur, quantopere ſcepticiſmus univerſalis in ipſum Deum, intellectus noſtri autorem, injurius ſit, & quibus de cauſis obligatio oriri poſſit, ejusmodi veritatibus, qui ad cultum Dei ſpectant, firmiſſime aſſentiendi, etiamſi non ea, quæ alibi obtinet, methodo, attamen rationi convenienter, probentur, imo etiamſi aliquid, quod comprehendi non poteſt, contineant, & quomodo nihilo ſecius tuto caveri poſſit, ne decipiamur, aut illa animi pii ſubmiſſio in ſuperſtitionem, aut habitum quemcun-

que veritati inimicum, abeat. Succedit tertia de officiis naturalibus disciplina de juribus & officiis hominum erga homines, quæ *Jus naturæ stricte sic dictum* inscribitur, simulque perspicua *Juris publici & gentium universalis* principia complectitur. Brevitatis studiosi non nisi pauca decerpemus. Ante omnia reliqua pars Philosophiæ practicæ universalis traditur, quæ compluribus consistit jurium officiorumque divisionibus, porro regulis applicationis legum naturalium, & præcipue de expediendis jurium officiorumque naturalium collisionibus. Hæ quidem animi attentione præcipue dignæ videntur. Adeo enim arduæ sunt, ut a plerisque aut silentio prætermitti, aut ejusmodi regulis generalioribus comprehendi, soleant, quæ ad exempla dijudicanda vix sufficiunt. Non putamus, æquum lectorem inficiaturum esse, Cl. Autorem in iis explicite & determinate tradendis non infeliciter desudasse. Et, quanquam fugitivæ lectioni molestiam facessere videantur, fatendum tamen est, superato labore isto, Jus naturæ demum perspicuitate & certitudine illa se commendare, quam iniqui censores illi passim abjudicant. Communissimum Juris naturæ principium hoc constituitur: animum humanum virtute, jussu & amore Dei innixa, eo compelli debere, ut omnes amet, omnibus ea tribuat concedatque jura, quæ sibi ipse, iisdem positis circumstantiis, arrogaret, idque accurate observet, quod tum sociali, tum naturali, hominum nexui conformé est. In persequendis officiis communibus accessionibus quibusdam aucta videtur doctrina de officiis erga inimicos; de læsionibus; de veracitate, mendacio, & simulatione: ubi triplex mendacium, dolosum, temeritatis, & imprudentiæ, constituitur; de officiis gratuitis; de jure reparationem damni exigendi, quod compluribus regulis exponitur. Pergit deinde Autor ad ea officia, quæ quisque circa se ipsum societatis humanæ causa observare tenetur. Hic placuere præcipue, quæ de scandalis, de decoro, & de eligendo vitæ genere, ac vocatione, quam vocant, naturali, disputantur. Criteria scandalorum sollicite exquiruntur. Decorum dicitur, quod tanquam signum perfectionis debitæ in aliquo consideratur. Dividitur in decorum virtutis, quod signis virtutis continetur, & decorum elegantiæ, quod perfectionum accidentalium signa exhibet. Hinc quoque in definienda obligatione ad decorum cum distinctione respondetur. Ubi de con-

Digitized by Google

contractibus agitur, distincte docetur, quænam potestas sit contractuum vi, aut dolo, obtentorum. Dominium etiam in statu naturæ statuitur, quanquam in statu civili objectum ejus latius pateat. Acquiritur dominium in statu naturæ non nuda occupatione, multo minus divisione, sed ejusmodi occupatione, quæ cum insumto labore, vel etiam rei ulteriore elaboratione, conjuncta est. Tunc enim ob amorem, quem mutuo sibi homines debent, nemini jus relinquitur, alterum fructu laboris sui frustrandi, unde jus domini cognoscitur, re illa ita utendi & fruendi, ut sine ejus consensu extra collisionis casum omnes alii ab utendi, vel surripiendi, jure excludantur. Attamen pro eo statu, in quo nunc res humanæ versantur, dominium in statu naturæ externa securitate caret. Dominium in homines plane improbatur, exceptis hostibus bello captis, & quidem ejusmodi hostibus, quos libertati reddere prudentia vetat. Quapropter nusquam justum est intrinsecus, nisi ubi ad evitandum malum majus faciat. Dominium in statu naturæ etiam per hæreditatem legitime derivatur. Momentum & sanctitas matrimonii severe vindicatur. Obligatio conjugum non ex solo contractu, sed ex officiis erga universam societatem, demonstratur, contractui vero relinquitur, ut personas conjugum determinet. Hinc perpetua sunt matrimonia, nec solvi debent. Polygamiam Juri naturæ adversari, pluribus rationibus asseritur, ex quibus hæc quoque est, quod mares & fœminæ æquali fere numero nascantur. Attamen monogamia non est officium absolute necessarium, sed contingens, & in contingenti hujus mundi conformatione fundatum. Officia liberorum erga parentes non ex sola grati animi obligatione, sed ex naturali quoque dependentia, cui, tanquam ordinationi divinæ, congrue agendum est, repetuntur. Jusjurandum non producit obligationem plane novam, attamen auget eam, quæ alioquin adfutura erat. Leges civiles vim obligandi legalem a lege divina naturali ad præsentem mundi statum applicata accipiunt. Mores gentium naturam legis naturalis non nisi hoc modo induere possunt, quod, ubi obtinuerunt, tanquam conditiones pactorum tacitæ considerari, & præsuppositi putari, possint. Limites potestatis civilis non extenduntur ultra ea, quæ ob publicam utilitatem imperantur. Majestas etiam pacto vi exacto acquiri potest. Contractus, quos majores posterorum nomine ineunt, non ideo obligant posteros, quod majores horum nomine decernere potuissent, sed quia bonum publicum alioquin nunquam in tuto collocaretur. Jura majestatis in ecclesiam ita limitanda sunt, primo ut ne in universum

contra

contra naturam religionis agatur, deinde ut ne ecclesiæ communia jura denegentur, quæ aliis societatibus in republica conceduntur, ex quibus fontibus permultæ regulæ accurate derivantur. In bello ideo injustum est contra Principes per veneficia & sicarios agere, quia Principes æque ac reliqui homines non omnibus placere possunt, attamen dictis insidiis tum defensioni, tum possibilitati in gratiam cum hostibus redeundi, via præcluditur, & omnis Principum securitas tollitur. Gentes, perpetuo bellantes, tanquam hostes generis humani, a quovis sub jugum mitti fas est. Pacta, coactione bellica extorta, servanda sunt, ne omnis gentium securitas pereat. Quinta, quæ supereſt, Autoris nostri disciplina est *doctrina prudentiæ*, ubi, post præmonita quædam generalia, ante omnia facultates, sic dictæ, fundamentales, seu bases & fontes omnes prudentiæ, constituuntur. Huc refert Autor respectu intellectus animi attentionem, multarum sensionum, tum propriarum, tum alienarum, collectionem, denique perpetuam animi præsentiam, ut ex tempore consilium capere & exequi possis. Intuitu voluntatis commendatur fortitudo, hilaritas, & sanitas gustus moralis. Tandem in consuetudine cum aliis opus est arte placendi, & dexteritate de aliorum judiciis conjectandi. His expositis subjunguntur regulæ de mediis finium suorum prudenter comparandis, sciteque applicandis; quæ ad tria redeunt capita: primo, ut obtinendi scopi faciles reddantur, porro, ut securitati eorum consulatur, denique, ut eodem consilio plura simul promoveantur. In hisce doctrinis ita versatur Cl. Autor, ut non vulgaria, passim etiam parum exspectata, occurrant, quæ vero per compendium exhiberi nequeunt. Prudentiam privatam *duo* constituunt *Capita*, quorum *alterum* de indagandis animis, *alterum* de subsidiis, honoris, amoris, & amicitiæ, tractat. Reliqua enim, quæ huc referri solent, Autori adeo plebeja visa sunt, ut in Philosophia locum vix mereantur. Circa indagandos animos accurate discernit indolem virium fundamentalium animæ, & statum earum, consilia, affectus, temperamenta, passiones, fines absolutos & subordinatos, fines absolute & comparative summos, indagationem animi, & conjecturas de actionibus futuris. Prudentia politica in *duo Capita* dispescitur. Primo de republica constituenda agitur, ubi de regiminum formis exponitur. Subsequitur & claudit Opus tractatio de republica bene administranda. Regulæ ejus partim generales sunt, partim speciales, ad bona tum Principis, tum civium, respectu rerum domesticarum, & relationis ad alias gentes, procuranda. Universum Opusculum eo potissimum fine conscriptum est, ut prælectionibus Academicis inserviret. Brevitati igitur studuit Autor, easque demonstrationes, quæ ex antecedentibus ab exercitatioribus facile perspiciuntur, omisit, sæpenumero etiam uno comprehendit paragrapho, quæ pluribus plagulis suffeciſſent. Attamen scribendi genus ita comparatum est, ut, iis, qui meditari consueverunt, jucundum valde, & sine uberiori collustratione perspicuum, futurum esse, confidamus.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXLV.

JO. JACOBI MASCOVII COMMENTARII DE rebus Imperii Romano-Germanici a Conrado I uſque ad obitum Henrici III.

Lipſiæ, impenſis Jo. Jacobi Schuſteri, 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 9.

Quam inculta ſit Imperii Romano-Germanici hiſtoria, qui illam conſulere opus habent, quotidie experiuntur. Habemus præclaras multas Hiſtorias ſpeciales; multa ſingularia capita elaborata, locorum, familiarumque, memoriæ erutæ, Chronologicæ rationes diligentius ſubductæ ſunt. Sed operæ pretium erat illa omnia ad Imperii univerſi hiſtoriam referre, talemque nobis dare, ut non eventus modo, ſed cauſæ quoque eventuum, & conſilia, ac hominum, per quos res quælibet acta fuit, ingenia, clarius paterent. Ergo multum debemus Ill. Autori, qui cum in antiquis Germanorum rebus, tum in hoc inprimis Opere, formam Hiſtoriæ noſtræ dedit. Habemus ab eo veteres populorum Germanicorum res *XVI Libris* vernaculo ſermone ſcriptas ad illa tempora, quibus Francorum regnum ad *Carolingos* delatum eſt. Quibus ubi ipſa *Carolingorum* hiſtoria, uti ſpem in Præfatione hujus Operis facit, acceſſerit, omnis Germaniæ vetuſtas ſibi conſtabit. Interea ſpecimen hoc Hiſtoriæ medii ævi dedit, quo nomine venit univerſum illud temporum ſpatium, quod poſt *Carolingorum* ſtirpem a Principatu *Conradi I* ad exceſſum uſque *Sigiſmundi* Imperatoris porrigitur. Præcipuum conſilium fuit deligere,

atque apte componere, quæ ad universi Imperii statum & conversiones pertinerent. Temporum ordinem sollicite servavit. Utque veritatem, qui debet esse historiæ finis, certius assequeretur, non nisi æqualium scriptorum & probatorum Diplomatum fidem secutus, ubique Autores, quos sequitur, indicat. Sæpius & loca ipsa subjecit, ea præcipue, quæ prisci moris vestigia quædam, vel alias res memorabiles, continent. Nonnulla in finem rejecit, uberius illustranda, eaque proxime una cum vitis sequentium Imperatorum daturum se pollicetur. Orationis quoque in Commentariis ea concinnitas, is nitor, est, ut Ill. Autor jure meritoque primus in Historia Germanica (quemadmodum *Catullus Sallustium* in Romana primum appellavit,) vocari possit. *Liber I Conradi I & Henrici I* res continet. Breve *Conradi* regnum vix ulla re memorabile est, nisi quod primus apud Germanos, posthabito *Carolo Simplice*, regnavit. Sub *Henrico* Saxone jam convalescit regnum. Ibi pax, cum *Carolo Simplice* composita, fœdusque initum, memoratur, quo *Carolus Henricum* Franciæ orientalis, *Henricus Carolum* occidentalis, Regem agnoscit. Ita tum duo Franciæ regna mutuo Principum populorumque fœdere stabilita sunt, alterum Orientale, seu Teutonicum, alterum Occidentale, quod Gallicanum, interdum etiam Francicum Latinum, vocaverunt. Commendant præterea initium regni hujus induciæ, ab Hunnis in novem annos impetratæ, iisque durantibus instaurata militaris disciplina, & multa oppida munita. Falso tamen ludorum equestrium, seu Torneamentorum, origo isti tempori adscribitur. Vicini Slavi, Dalemincii, Haveli, Milcieni, præliis attriti, tuendoque limiti Præsides impositi, a quibus Marchiones Misniæ, Brandenburgi, Lusatiæ, originem traxere. Tum ordine narratur, quomodo Lotharingiæ regnum *Henricus* asseruerit, prudenter usu dissidiis, quibus eo tempore Francia occidentalis agitabatur. Præcipuam autem celebritatem dederunt *Henrico* cæsi A. 933 prope Mersburgum Hunni, liberataque per longum tempus a sævo hoste Germania. In eo prælio vexillum, angeli imagine insigne, portatum ante Regem fuit, quali etiam *Otto Magnus* usus est. Inprimis lectu digna sunt, quæ

§. 18

§. 18. & ſeq. de ſtatu Imperii Occidentalis Italiæque & urbis Romæ inſeruntur. Illa vero hoc loco commemorare congruum erat, quoniam deinde ſub *Ottone* cum Germania conjunctum fuit Romanum Imperium. Hic *Berengarii* Auguſti Imperium, & *Rudolphi II*, Burgundiae Regis, conatus, & regnum *Hugonis*, luci ſuæ redditur; quæ dum perſequitur Autor, Patriciorum quoque urbis Romæ conditionem, & ipſius Maroziæ dominatum, nec non *Arnulphi*, Bavariæ Ducis, irritam adverſus *Hugonem* in Italiam expeditionem, explicat. *Liber II Ottonis M.* hiſtoriam complectitur. Hujus initia civiles & externæ turbæ agitarunt, donec, pace cum *Ludovico*, Franciæ Occidentalis Rege, inita, regnum firmaſſet. Mox ipſe multa pro *Ludovico* hoc egit, cum exercitu profectus in Galliam, & concordia denique inter eum & *Hugonem* Ducem conciliata. Sequuntur Italicarum rerum converſiones ab exitu *Lotharii* Regis. Ex connubio enim *Ottonis* cum *Adelheide* aſſerendi regni Longobardici, & inſtaurandi Imperii Romani, occaſio nata eſt. Sed initio *Berengarius II* cum filio *Adalberto* Italiæ regnum e manu *Ottonis* in beneficium accepit. Mox civile bellum *Ottoni* adverſus generum *Conradum*, Francorum Ducem, & filium, *Ludolphum*, Sueviæ Ducem gerendum fuit. Utrumque Ducatu multatum fuiſſe, obſervat Autor. Annum 955 illata Hunnis ad Auguſtam Vindelicorum clades nobilitavit. Ex civili autem bello ortus Saxonicus motus, quem *Vicmannus* junior, & *Ecbertus*, ambo primariæ in Saxonia nobilitatis juvenes, concitarunt, junctis ſibi Slavis Rhetariis. Hos acri prælio ſuperavit Rex, in quo maxime virtus *Geronis*, Marchionis, eminuit. Inter hæc frater *Ottonis*, *Bruno*, Colonienſis Archiepiſcopus, Lotharingiam omnem autoritate & conſilio regebat. Is cum ſumma virtute & in gerenda Republica dexteritate tantum literarum amorem conjunxerat, ut in itinere & caſtris etiam ſecum libros haberet. Ad ſtatum autem provinciarum melius tuendum inferiori Lotharingiæ *Godfridum*, Ducem, ſuperiori *Fridericum*, præfecit. Unde duplicis per Lotharingiam Ducatus origo. Ubi demum ad illa tempora provehitur hiſtoria, quibus *Otto* Italicum jam

regnum, atque Imperium ipſum Romanum, obtinuit, Auguſtalibus inſigniis A. 962 a Papa *Joanne XII* ornatus, dum urbanos motus, nec non Regum *Adalberti* & *Berengarii* caſus, enarrat Autor, formulam etiam aſſerti Germaniæ Romani Imperii explicat; in qua illud præcipuum fuit, ut, quem Germani Principem elegiſſent, illum Itali quoque & Romani Regem atque Imperatorem acciperent. Quale vero jus Auguſtorum circa electionem Romani Pontificis fuerit, poſt mortem *Leonis VIII* apparuit. Tum enim *Otto* rogatus a Romanis, ut autor eligendi Pontificis fieret, Epiſcopos duos, Spirenſem & Cremonenſem, Romam ad habenda comitia miſit, in quibus adeſſe una cum clero delectos e nobilibus & populo, mos adhuc erat. Ita *Joannes XIII* Pontifex creatus eſt. A. 966 novam in Italiam profectionem adornavit Imperator, firmandi & amplificandi Imperii cauſa; quod ut melius perficeret, *Ottonem*, filium, Collegam Imperii ſumſit, quem *Joannes XIII* Papa Romæ in natalitiis A. 967 coronavit. Hic conſilium *Ottonis* de Apulia & Calabria imperio ſuo adjicienda, & *Luitprandi*, Cremonenſis Epiſcopi, ad Principem Orientis, *Nicephorum*, legationem, geſtumque in Apulia bellum, eleganter narrat. Pax demum cum *Joanne Tzimiſce* compoſita eſt, cujus ſumma fuit, ut *Joannes Ottonem* Occidentis Imperatorem agnoſceret, Romam cum Exarchatu, Principes etiam Capuæ, Beneventi, & Salerni, ipſius imperio permitteret; Ducatus autem Neapolitanus, & quicquid Græcis per Calabriam & Apuliam ſupererat, in jure & poteſtate illorum maneret. Ubi bella interea per Germaniam geſta perſequitur Autor, inprimis detinere Lectorem ſuaviter poterunt, quæ de Abotritarum & Vagriorum Regulis, & de *Micislao*, Polonorum Duce, interſerit, a quo primam Hiſtoria Polonica certitudinem repetit. Sed non minus legi merentur, quæ de inſtitutis ab *Ottone M.* Epiſcopatibus, & Metropoli Magdeburgenſi, tum & de tentata Ruſſorum converſione, deque reditu Imperatorum in Germaniam, & exitu demum *Ottonis*, ſubjicit, quem ait *Magni* cognomen virtute moribusque haud minus, quam felicitate promeritum & potentia, in dubio reliquiſſe, plusne Romanum illi, an Germanicum,

manicum, nomen debeat. *Tertius Liber Ottonum II & III* hiſtoriæ dicatus eſt. Sub *Ottone II* bella cum Danis, cum *Henrico*, Bavariæ Duce, *Boleslao*, Bohemo, & *Micislao*, Polono, hic longe aliter, ac vulgo fieri ſolet, panduntur. Multiplex deinde cum *Lothario*, Franciæ Occidentalis Rege, bellum exarſit, qui Lotharingiæ regnum occupatum ibat, *Ottone* illud Germaniæ ſuæ fortiter vindicante. Per ea tempora gravibus urbs Roma concutitur turbis, excitante *Creſcentio*, quæ demum adventu *Ottonis* A. 980 compoſitæ ſunt. Sequitur *Ottonis* in Apulia & Calabria bellum, & accepta ad Balentellam a Saracenis clades. Conventus inde Veronæ A. 983 haberi cœpit, in quo filius Imperatoris, *Otto III*, Rex eligitur. Exitu ejus anni Imperator ipſe Romæ defunctus eſt. Laudat in illo Autor inſignem in bonas artes amorem, & erga viros, qui illis præcellerent, liberalitatem. *Ottonis III* infantia, cum tutorem requireret, in grave periculum Rempublicam adduxit. *Lotharius*, Franciæ Occidentalis Rex, quaſi præſidio futurus imbecillæ ætati, Lotharingiæ imminet. In Saxonia *Henricus*, patruelis Regis, ſub eodem tutelæ nomine regnum invadit, fidens præcipue Poloniæ ac Bohemiæ Ducum ſtudiis. Eminuit in ancipite hoc rerum ſtatu *Willigiſi*, Archiepiſcopi Moguntini, virtus & prudentia; qui præcipue autoritate ſua & conſilio regnum *Ottoni* puero, tutelam vero matri, *Theophaniæ* Auguſtæ, conſervavit. Volupe erit legere hic, quæ Ill. Autor de educatione & inſtitutione Regis inſeruit. Exſtant adeo Epiſtolæ duæ, *Ottonis* nomine ad *Gerbertum*, clariſſimum ejus ævi Philoſophum, ſcriptæ, quibus de rebus nonnullis, ad literarum ſtudia pertinentibus, conſulitur. Non intactam hic omiſit Autor ingentem rerum in Francia Occidentali converſionem, cum, defuncto A. 987 *Ludovico* Rege, *Hugo Capetus* ad regnum profectus eſt, præterita in *Carolo* Duce veterum Regum ſtirpe. Exponit deinceps Italiæ & urbis Romæ ab obitu *Ottonis II* ſtatum, nec non *Theophaniæ* Auguſtæ in Italiam profectionem, & *Hugonis*, Tuſciæ Marchionis, in Imperium & Domum Auguſtam merita. Dum Slavica bella Regem puerum in Germania diſtinent, maritimam Saxoniæ Friſiæque oram affligunt

piratæ, qui, ex Septentrione profecti, haud secus ac quondam Normanni, mare ac littora infestabant. Quæ populationes occasionem dederunt, ut non modo Brema civitas, sed etiam Hildesheimum, muro atque turribus cingeretur. Ita necessitas magistra civili vitæ præsidia parare docuit. A. 996 *Otto III* in Italiam movit, ubi observat Autor, non carere dubio, quæ de Mediolanensi ejus coronatione vulgo traduntur. Imperator coronatur Romæ a *Gregorio V*, cognato suo, cujus etiam stemma hic proponitur, ex quo apparet, nepotem fuisse *Conradi*, Ducis Francorum, & *Luitgardis*, filiæ *Ottonis M.* Tum diserte explicat Ill. Autor tumultus, quos, reverso in Germaniam Cæsare, *Crescentius* in urbe suscitavit, novam Imperii conversionem agitans animo. Imperator, delegata *Mathildi*, amitæ suæ, Reipublicæ cura, Romam festinans, *Gregorium* sedi suæ restituit, eoque paulo post mortuo, *Gerbertum* Ravennæ jam Archiepiscopum eligendum commendavit, qui *Sylvester II* vocatus est. Hunc Autor merito inter clarissimos ævi sui viros tam propter ingenium & doctrinam, quam propter amplissima, quæ consecutus est, præmia, connumerat. Revertens ex Italia Cæsar, in Poloniam ad tumulum S. *Adalberti* deflexit iter. Quo loco dum *Adalberti* elogium inserit Autor, observat, apud scriptorem vitæ ejus primam urbis Gedani, jam tum clare per illas oras, uti & Prussorum gentis, quæ olim sub communi *Æstiorum* nomine latuisse videtur, mentionem occurrere. Imperator Gnesnæ Archiepiscopatum instituit, & *Boleslaum* ipsum Regem appellavit, pro more, uti Autor existimat, veterum Imperatorum, qui Principibus populorum, quos arctius imperio suo devincere vellent, insignia regalia concedere solebant. Tertiam quoque *Ottonis* expeditionem Italicam præclare illustrat Autor. Juvabit hic inprimis concitatum in urbe adversus præsentem Imperatorem tumultum legere, quo sopito, cum Romani jurare deberent, mansuros se in fide, Imperator ipse, veterum Principum more, concionem ad populum habuit. Obiit Imperator in Castro Paterno, quod prope civitatem Castellanum est, A. 1002 d. 23 Januarii, in flore juventutis. *Ditmarus*, morbo exstinctum, scribit. Vulgatus tamen jam tum

rumor

rumor fuit, veneno ſublatum a *Stephania, Creſcentii* vidua. Cœlibem obiiſſe, annotavit Autor, unde patet, ad fabulas amandari debere, quæ paſſim de uxore *Conſtantia* narrantur. *Liber IV*, quo *Henrici II Sancti* hiſtoria texitur, mira rerum varietate inſignis eſt. Nobis ſuffecerit, pauca hic indicaſſe. Jam ipſa electio *Henrici* memorabilis eſt, cum plures eſſent, qui regnum appeterent, inprimis *Otto*, Carinthiæ, & *Hermannus*, Sueviæ, Duces, nec non *Eccardus I*, Thuringiæ Dux & Marchio. Non minori ſolertia explicatur longa *Henrici* cum *Harduino*, Marchione Eporediæ, de Italiæ regno contentio, fœderumque *Henrici* cum *Rudolpho III* Rege de Burgundiæ ad Imperium acceſſione ratio. Juvabit quoque Lectorem, omnem bellorum, quæ cum *Boleslao* geſſit *Henricus*, ſeriem hic explicatam legere; utque *Boleslaus* Martisburgum ad curiam venerit, ut denique Budiſſinæ pax compoſita. Opportune hic fit excurſus de *Boleslai* bello adverſus Ruſſos, in quo Germanicis adjutus auxiliis, Kioviam uſque victoriæ ſigna protulit. In fine libri elogium *Henrici* & *Cunegundæ*, & Reipublicæ, qualis ſub illis fuit, imaginem aliquam, Autor ſubjicit. *Liber V* complectitur imperium *Conradi Salici* & *Henrici III*, ſub cujus Principatu Imperium Romano-Germanicum proxime ad *Caroli M.* potentiam adſcendit. Sed malumus hic ad Opus ipſum Lectorem remittere. Ita ab ea lectione affectus diſcedet, ut vehementius etiam ſequentium Imperatorum res quamprimum legere cupiat.

F. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI, ORDInis Prædicatorum, Sac. Indicis Congregationi a Secretis, de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio.

Tomi II.

Romæ, typis Sacræ Congregationis de propaganda Fide, 1739, 4.

Tom. I Alph. 5 plag. 5, Tom. II Alph. 3 plag. 9.

Contro-

Controverſiis inteſtinis ipſa etiam Romana Eccleſia laborat. Quod ipſum, ſi alias nobis eſſet incompertum, Max. Rev. *Orſius* nos dudum docuiſſet æque, ac in præſens nos idem docet, cum *Boſſueti* ac *Petri de Marca* atque aliorum tranſalpinorum ſcriptis belligerans more incruento, eoque illuſtribus quondam viris haud amplius infeſto, nec amplius damnoſo. *Tomum priorem Clementi XII*, Pontifici Optimo Maximo, conſecravit, ac in Dedicationis formula tribuendos judicat privatis perſonis Pontificum illum *Liberii* lapſum, illam imprudentem *Honorii* diſſimulationem, ac illa Seculi decimi offendicula. Operis origo enata eſt & ſuccrevit ex edita ante annos quinquaginta per Cleri Galliarum comitia celebri *de poteſtate eccleſiaſtica* declaratione. Declarationem illam Illuſtriſſimus Trecenſium Epiſcopus *Defenſione* inclyti ac celeberrimi patrui ſui, *Jacobi Benigni Boſſueti*, Meldenſis Epiſcopi, juſſu *Ludovici XIV* elaborata, confirmari voluit ac illuſtrari. Magno cum plauſu & communi congratulatione opus illud, *Defenſionis* nomine inſignitum, ea ætate fuit exceptum, quippe quod & Autoris celebritas, & doctrinæ argumentum, & Regis Chriſtianiſſimi autoritas, commendabile reddebant. Vehemens inceſſerat animos deſiderium cognoſcendi, quibus tandem rationibus freti atque incitati univerſi Galliarum proceres eccleſiaſtici terminos Pontificibus Romanis, quos transgredi haud liceret, conſtituiſſent. Mirum profecto eſt, quid rationis ſubfuerit, cur tantum opus, totque titulis commendatum, tam diu intra Veſtæ penetralia latuerit. Judicium de ea editionis dilatione Noſter haud expromit, de opere autem ipſo ſic pronuntiat in Præfatione: *Quicquid Gallicani Epiſcopi prædicent, Declarationis Articulis IV firmatum fuiſſe Petri & ſucceſſorum ejus primatum, majeſtatemque ſedis Apoſtolicæ, omnibus gentibus reverendam, primo ſplendori atque amplitudini reſtitutam; attamen diuturno experimento compertum eſt, ab ipſa Chriſtianæ religionis origine debitam ſummis Pontificibus ab omnibus Catholicis reverentiam & obedientiam fuiſſe nunquam impudentius & immanius, quam poſt emiſſam celeberrimam Declarationem, niſi a profeſſis hæreticis, violatam; &, quod magis*

gis dolendum eſt, eandem ingenii laſcivientis inſaniam, quæ non pauci in Galliis laborant, nunquam liberiore curſu ſeſe aliis etiam nationibus infudiſſe. Quod etiam in cauſa eſt, cur id genus lucubrationes propenſos ubique lectores inveniant, et paſſim magno cum plauſu excipiantur, præſertim ſi eorum nominibus inſigniantur, qui aliis ſuorum ingeniorum fœtibus in lucem editis gloriam conſummatæ eruditionis, ſolidæ ſapientiæ, ac ſubacti limatique judicii, ſibi pepererunt. Atque ea eſt hodie apud nos Gallicæ gentis exiſtimatio, ut, quicquid inde in oras noſtras advehitur, facile a nobis laudes & admirationem extorqueat. Nec mirum ſane; nam & mirificæ ſunt horumce librorum & opinionum illecebræ. Quid enim non in eis placeat? Placet, ſubjectionis jugum, ſi non omnino excutere, tamen quam leviſſimum ferre. Placet ſentiendi atque opinandi libertas. Placent linguæ genius, ſtilique Gallici amœnitates. Placet a ſcholæ ſordibus & ſqualore repurgata de rebus theologicis diſſerendi ratio. Hæc ille. Dictitant Galli, ad terminandas fidei controverſias fuiſſe Synodos œcumenicas celebratas. Noſter vero putat, Conciliorum generalium maximam partem ad ea ſedis Apoſtolicæ decreta fideique dogmata vindicanda fuiſſe coactam, quibus jam concordes Epiſcopi per univerſum orbem, paucis reclamantibus, adhæſerint. Addit, nullum Concilium eſſe coactum, & legitime celebratum, & in autoritatem receptum, in quo non ſecundum Romanos Pontifices fuerit judicatum. *Nec aliquando contigit*, adjungit idem, *ut aliquod Apoſtolicæ ſedis de fide decretum, aut ullus decretorum ejus apex, Synodi generalis autoritate reformaretur.* Tum vero exclamat: *Quid, quæſo, momenti eſſe poteſt in iis quorundam Pontificum Romanorum lapſibus privatis ac erratis, quæ Boſſuetius cum ſuis exaggerat?* Aggreſſus itaque fuit opus, quod non adeo arduum ac difficile pronuntiat, ea repellendi, quæ a *Boſſueto* ſibi ſuisque ſuffragatoribus magno fragore & ſtrepitu fuerunt objecta; ac illa ex adverſo aſſerendi & vindicandi, nativæque luci reſtituendi, quæ *Boſſuetus* infirmare & obſcurare inſtituerat. Id ut effectui det, ſtatuit veſtigiis *Boſſueti* nunquam non inſiſtere, eademque & acta, & monumenta, &

majorum teſtimonia, recenſere, quæ *Boſſuetus* ſe integra & tota retuliſſe teſtatur. Quod tamen quam longiſſime a vero abeſſe, Noſter comperit, niſi forte hoc unum his verbis *Boſſuetus* & ſignificare, & a Pontificiis intelligi, voluerit, nihil a ſe neglectum ac prætermiſſum eſſe, quod utcunque ad ſuam cauſam juvandam & ſuſtinendam, Romanorum autem deterendam & elevandam, facere poſſe videbatur. *Nam*, addit Noſter, *quæ nobis militant, & quibus potiſſimum nitimur, omiſſa fere ab illo & neglecta ſunt, atque in iis confutandis, quæ leviora ſunt, & in quibus cauſæ præſidium & firmamentum minime collocandum exiſtimavimus, immoratus fuit.* Leviora ipſi videntur, quæ *Bellarminus* de celebri S. *Leonis* ad *Flavianum* Epiſtola, quæ idem doctiſſimus Cardinalis, *Baronius*, & alii, de interpolatis ſextæ Synodi aliisque vetuſtis actis & monumentis in iis, quæ ad *Honorium* pertinent; & quæ *Duvallius* de Pontificiæ confirmationis effectu, aut quæ Anonymus in tractandis aliquot *Auguſtini* locis, aut quæ alii de Epiſcoporum in Synodis Oecumenicis munere & autoritate, minus commode diſſeruerunt. Hanc itaque viam Noſter ingreſſus eſt. Suſcepit ſingula *Boſſueti* capita retractanda. Retinuit ſingulorum capitum titulos, quibus ſumma rerum & ſeries indicatur. Adjunxit ea, quæ ad Adverſarii mentem accurate ac dilucide repræſentandam judicavit opportuna. Addidit præterea, quotiescunque ubertas & copia rerum id flagitare viſa eſt, unum pluresve articulos, quibus aut ſuppleret ea, quæ ab Illuſtriſſimo Autore neglecta fuerant; aut explanaret, & nativo ſenſui reſtitueret, quæ ille interpretamentis minime cohærentibus ipſi viſus fuerat detorſiſſe; aut confirmaret & urgeret ea, quibus *Boſſuetum* putat pondus ſpiritumque detraxiſſe; aut repelleret tela, quæ *Boſſuetus* in Italos contorſerat, & machinas everteret, quibus Romani ſe ab illo oppugnatos eſſe fuerant arbitrati. Auſpicatus fuit Noſter *Boſſuetiani* Operis examen ab ea *Propoſitione*, quam Epiſcopi Galliarum in poſtremum rejecerant locum, eo quod ex illa ſors & momentum ceterarum ab hac IV Propoſitione pendet. Hac enim traditur, Romani Pontificis Sedisque Apoſtolicæ judicium theologicum judicio Eccleſiæ univerſæ eſſe ſubjectum, & huic eſſe

Digitized by Google

eſſe jus in illud retractandum ac reformandum. Secunda Cleri Galliarum Propoſitione docetur, majorem eſſe Oecumenicæ Synodi, univerſam Eccleſiam repræſentantis, quam Romani Pontificis, uniusve Sedis Apoſtolicæ, autoritatem. Hæc igitur ac ipſa tertia pendent ex Propoſitione illa quarta. Voluit hæc Noſter methodi ſuæ cauſa monere. Concludit ipſe tandem ſuam hiſce verbis Præfationem: *Neminem nobis ſuccenſendum* (ſuccenſurum) *exiſtimamus ob modeſte ſuſceptam* Boſſuetiani *operis confutationem. Non enim niſi injuria id a nobis Galli contenderent, quod, cum ipſi innumeros quotidie adverſus Sedis Apoſtolicæ jura libellos, felle utplurimum conditos, in vulgus ſpargant, nobis ne hiſcere quidem fas eſſet ad ejusdem Sedis dignitatem autoritatemque tuendam, & ab eorum aſſultibus vindicandam.* Laudarunt ac approbarunt S. Rev. Autoris Opus quinque Viri, in Romana Eccleſia muniis & autoritate effulgentes. *Tomi primi Parte prima* Noſter in eo totus eſt, ut de quæſtionibus fidei, per ſex priores Oecumenicas Synodos definitis, ex profeſſo diſſerat, contendens, nihil in earum Actis occurrere, quod cum ſua ſuorumque ſententia haud facile concilietur. Dat ſimul operam, ut eam uberrime illuſtret & confirmet. *Libro primo Librum XII* Defenſionis *Boſſuetianæ* examinare & confutare inſtituit. *Boſſuetus* ei titulum præfixit *de quæſtionibus fidei, præſertim per Concilia generalia definitis.* Eundem titulum inde ad hanc Commentationem ſuam transtulit Noſter. Primo quidem diſquirit, quasnam Chriſtianæ doctrinæ ſanctiones, quanam de cauſa, quove ſenſu, *Tertullianus* irreformabiles & irretractabiles dixerit. Hic vero, ſumma Symboli Apoſtolici capita extra quæſtiones ac novitatem correctionis poſita eſſe, pronuntiavit, ac contra hæreticos ita agendum cenſuit, ut 1) orthodoxi demonſtrent, ſuam doctrinam de Apoſtolorum traditione cenſeri; 2) hæretici, defectionem a doctrina Jeſu & Apoſtolorum, quæ apud Orthodoxos obtigerit, accidiſſe, oſtendant. Provocat idem ad juſtum legis & Prophetarum æque ac Evangelii literarumque Apoſtolicarum uſum, ad doctrinam inde hauſtam, ad duo Sacramenta, aquæ & euchariſtiæ, ad Spiritus Sancti vim ſuos obſignantem ac veſtientem,

Tom. I pag. 2.

5.

ac ad Martyrum exhortationes. Cardo itaque vertitur in conſenſu dogmatum eccleſiæ cum ſcriptis Vet. & Nov. Teſt. quæ tempore *Tertulliani* pro divinis divinitusque inſpiratis habebantur. Adhibuiſſe Judæos adverſus Jeſum & Apoſtolos præſcriptionis methodum, novimus. Quantopere autem Apoſtoli eam repudiaverint, nemini eſt incompertum. Et eam quidem
Pag. 7. ob rationem *Tertullianus* paſſim argumentis diſſentientes revicit, licet monuerit, id eſſe verum, quodcunque fuit pri-
8. mum, & a fonte Evangelii effluxit. Pergit Noſter: *Nihil unquam Conciliis generalibus retractandum Romani Antiſtites propoſuerunt, quod aperte ad Apoſtolicam traditionem non referret ſuam originem; aut in omnibus, qua late patebat Chriſtianus orbis, Eccleſiis, antequam hæreſes erumperent, non obtineret; quod proinde pars illius fidei non eſſet, quam* Tertul-
10. lianus *irreformabilem & irretractabilem vocat.* De poteſtate Conciliorum generalium in Pontificem Romanum, ex Synodo Conſtantienſi deducenda, diſputavit Meldenſium Epiſcopus nonnihil, ad quod Noſter: *Ipſius Concilii decreta ad examen in alio Opere revocaturi ſumus.* Tum vero ex *Vincentio Liri-*
12. *nenſi*, & Ill. Autoris principiis, ivit demonſtratum, ſanctiones fidei, in ſe quamvis irretractabiles & irreformabiles, in Conci-
23. liis generalibus nihilo minus fuiſſe retractatas. Illuſtrat decreta & hiſtoriam Concilii Hieroſolymitani *Act. XV*, ratus, doctrinam de gentibus ad obſervantiam legum *Moſaicarum* haud adigendis jam pridem ante Hieroſolymitanum Concilium fuiſſe cer-
30. tum ratumque & immutabile dogma; rem jure ſuo irretractabilem indulgentia Apoſtolorum fuiſſe in ea Synodo retracta-
42. tam; *Tertulliani* illud *de Pudic. Cap. 21* eſſe inſtar omnium: *Sed & in illa diſceptatione cuſtodiendæ, nec ne, legis primus omnium* Petrus *ſpiritu inſtinctus, & de nationum vocatione præfatus*, & nunc, *inquit*, cur tentatis Dominum de imponendo jugo fratribus --- *Hæc ſententia & ſolvit, quæ omiſſa ſunt legis, & alligavit, quæ reſervata ſunt.* *Boſſuetus* autem
43. reſpexerat potius ad illam Synodi deciſionem: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Contendit poſthæc Noſter, Concilium Apoſtolicum ex ſua ſententia eſſe reliquorum Conciliorum normam,

Digitized by Google

mam, quippe quæ ſecundum illius Concilii primi normam & amuſſim fuerint celebrata. Dolet veterum monumentorum inopiam, quæ impediat, quo minus ſatis aperte conſtet, quænam fuerint S. *Silveſtri* in *Arianæ* hæreſeos damnatione, & in Nicæna I Synodo, partes. Negat tamen, exinde comprobari poſſe, definitiones Sedis Apoſtolicæ de fide eſſe irrefragabiles, ſubjiciens hoc pronuntiatum: *S. Alexander, Alexandrinus Epiſcopus ante Concilium Nicænum, & Patres Nicæni in ipſo Concilio, præcipuum Chriſtianæ fidei & religionis articulum, quanquam jure ſuo irretractabilem, ad frangendam tamen hæreticorum pervicaciam retractari & examinari permiſerunt.* Perſequitur & expendit S. Rev. Autor acta ſingulorum Conciliorum Oecumenicorum, teſtimonia Autorum dijudicat, Adverſarium premit & urget, nec alios, quos exiſtimat erraſſe, dimittit intactos. *Libro ſecundo*, ſeu *Tomi I Parte poſteriori, Librum XIII* Epiſcopi Meldenſis examinat & confutat. Adjecit tractationi Diſſertationem de modo, quem Ill. *Petrus de Marca* propoſuit, conciliandi ſummam ejusdem Romani Pontificis autoritatem cum libertate ſuffragiorum in Synodis Oecumenicis. Separatim edita fuit ea Diſſertatio Romæ A. 1739, 4, ut huic Operi adjungi, ac ſeorſim etiam vendi, poſſit. Pag. 54. 188.

Tomus II complectitur Autoris *Librum III* & *IV*, inſcribiturque ſpeciatim, *de Quæſtionibus, præſertim fidei, unius Sedis Apoſtolicæ ſuprema autoritate ſancitis, quo ſenſu fides Petri nunquam deficiat, ejusque ſedes a nemine judicetur. Libro III* examinatur *Liber XIV* Meldenſis Epiſcopi. Differitur ibi de conſenſionis univerſalis vi & autoritate ante omne judicium eccleſiaſticum, eoque fine *Irenæi*, *Tertulliani*, & *Optati Milevitani*, ac *Auguſtini*, teſtimonia exponuntur. Quæ *Cyprianus* & *Auguſtinus* in celebri illa de Hæreticorum baptiſmate controverſia literis mandaverunt, ea, judice hoc, regulæ & normæ inſtar haberi non debent, ad quam veteris eccleſiæ de Romani Pontificis autoritate traditio atque doctrina exigatur. Idem contendit, *Auguſtinum* in ſua cum Donatiſtis de Hæreticorum Baptiſmate controverſia expendere noluiſſe, nec debuiſſe, quantum olim Catholicorum ſententia ex *Stephani* decreto obtinuiſſet autoritatis. Arbitratur, nullo certo, Tom. II. Pag. 5. 33. 47. 55.

certo, aut probabili, argumento demonſtrari, *Stephani* decretum de Hæreticorum baptiſmo fuiſſe dogmaticam ſedis Apoſtolicæ definitionem, immo graves ſubeſſe conjecturas, quibus contra-
Pag. 74. ria ſententia ſolide ſtabiliatur. Addit, Africanorum Epiſcoporum autoritatem nullius in hac quæſtione eſſe debere momenti, cum eorum diſſerendi agendique ratio non tam Autoris, quam omnium Pontificiorum Theologorum, communibus
83. notionibus adverſetur. *Auguſtini* de Melchiadis in cauſa *Cæciliani* & Donatiſtarum judicio teſtimonium expendit, idque cum *Optati Milevitani* ſententia, ſuoque dogmate, conciliare
93. contendit. Monet, in cauſa S. *Joannis Chryſoſtomi* Romanum Pontificem omnia perfeciſſe, ipſiusque duntaxat autoritate incendium feralis diſſenſionis exſtinctum eſſe, pacemque in eccle-
100. ſia refloruiſſe. Quo ſenſu Romam *Theophilus* ab Origeniſmo liberaverit, quod *Hieronymi* eſt pronuntiatum, diſpicit. Celebrem quæſtionem de *Uno ex Trinitate paſſo* ad Romanum
114. Pontificem, velut ad ſummum controverſiarum fidei judicem & arbitrum, fuiſſe relatam, prædicat. Negat, *Hormisdam* Scy-
135. thas Monachos damnaſſe. Contendit, controverſiam de *Uno ex Trinitate paſſo* prius fuiſſe finitam, quam ea propoſitio ſolenni decreto a *Joanne II*, Romano Pontifice, fuerit probata. Addit poſthæc, Felicianam hæreſin, pro Chriſti in Dei filium adoptione pugnantem, ante Synodum Francofurtanam ſolius Romani Pontificis autoritate funditus deletam fuiſſe. Contendit, Gallicanos noni Seculi Scriptores & Epiſcopos autoritatem in Romano Pontifice agnoviſſe legibus ſuperiorem humanis,
169. nec declinandam, nec ulli obnoxiam errori. *Victorem*, qui *Polycraten Quartadecimanum* a communione ovilis Chriſti ar-
181. cere voluit, varia ratione defendit. De *Pelagio I* ſic ſentit: *Pelagii piis quidem & orthodoxis ut privatæ perſonæ, Schismaticis autem etiam ut Pontificis, ſuſpecta fides. Illorum ergo ſuſpicionibus tanquam privatus doctor & humili ſane condeſcen-*
190. *ſu edita fidei ſuæ profeſſione ſatisfacit; at Schismaticis objicit ut Pontifex ſummam & ineluctabilem Sedis Apoſtolicæ autoritatem.* Epiſtolæ S. *Columbani* ad *Bonifacium IV* nullam omnino in hac cauſa eſſe debere autoritatem, pronuntiat. Examinat aliquot

aliquot Gallorum Theologorum judicia de *Stephani VII* ac *Sergii III* decretis, adverſus *Formoſi* Ordinationes latis. De diu- Pag. 222.
turno Schismate inter *Urbanum VI* & *Clementem VII*, eorumque ſucceſſores, fuſe diſſerit. De *Zoſimi* in cauſa *Cæleſtii* judi- 226.
cio paucis exponit. Monet, Decretalem *Exiit* non ea men- 262.
te conditam eſſe, ut ab univerſa Eccleſia tanquam fidei catholicæ regula ſuſciperetur. *Libro quarto* expendit librum *Boſſueti XV.* Primordia capit ab effato Chriſti *Matth. XVI, 16*: *Tu* 306.
es Petrus, ratus, Chriſtum non modo Eccleſiæ, verum & Romano Pontifici, vim & promiſſionem ſtabilitatis æternæ adjeciſſe, eccleſiam ſuper *Petrum* eſſe ædificatam, *Petri* fidem, ſeu
fidei confeſſionem, eſſe Eccleſiæ fundamentum, *Petrum* pro- 319.
pter fidei firmitatem appellatione petræ fuiſſe donatum, eumque ob illam eſſe Eccleſiæ Catholicæ firmum & immobile fundamentum. Addit, verba illa: *Portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam*, non modo ad Eccleſiam, ſed & ad pe- 318.
tram, ſupra quam Eccleſia ſit exſtructa, referenda eſſe. Tum 363.
vero accingit ſeſe ad illud *Luc. XXII, 32*, dictum, ac inde it comprobatum, *Petri* ſucceſſores, ſeu ſedem Apoſtolicam, a fide
& doctrinæ puritate nunquam poſſe deficere. Idem ex *Irenæo* 385.
demonſtrari poſſe, confidit, ac eas Patrum ſententias exequitur perpenditque, quas *Boſſuetus* in uſus ſuos adhibuerat. Miramur merito & ſuſpicimus eam, quam S. Rev. Autor ubique prodit, eruditionem & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ notitiam. Sigillatim argumenta percenſuiſſemus, niſi ſcopus & cancelli, quibus coercemur, nos aliorſum vocaſſent. Speramus tamen, fore, ut Lectores hoc noſtro compendio ſint contenti.

JACOBI BRUCKERI, REG. SOC. SCIENT. BEROL. Membri, Hiſtoria critica Philoſophiæ.

Tomi IV Pars I.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopf, 1743, 4 maj. Alph. 4 plag. 11.

Tandem denſas, quas dumeta ſeculorum barbarorum oculis objecerant, caliginoſasque umbras, & impeditas medii ævi ſylvas,

vas, eluctatus, in patentiores campos, jucundioremque lucem, deducit lectores admiratoresque sui & ingenii solertis, & indefessi studii, Cel. Autor, ea scilicet in læta lataque arva, in quibus medio in flore novo revirescentium literarum progerminans simul & efflorescens conspicitur Philosophia & sapientiæ humanæ solida cognitio, describens scilicet *tertiam Historiæ Philosophiæ criticæ Periodum, a restauratione literarum ad nostra tempora* fata amplissimæ hujus rerum divinarum humanarumque scientiæ complectentem. Ea vero ipsa cum vel *sectaria* fuerit, vel *eclectica*, duplex orta est hujus Periodi tractatio, *duæque Partes*, quas *duobus* proponere distinctis *Voluminibus* consultum duxit Cel. *Bruckerus. Primo* hoc *Tomi quarti Volumine Pars* continetur *tertiæ Periodi prima de studio Philosophiæ emendandæ sectario*, cujus quidem *tribus* absolvitur *Libris* tractatio, uno nimirum *de primis conatibus restituendæ Philosophiæ*, altero *de novis laboribus veterem Philosophiam revocantium*, tertio *de Philosophis, novam philosophandi viam tentantibus. Primi Libri* argumentum ad *tria* redit *Capita*, quorum *primum, de viris doctis, qui de externo Philosophiæ habitu emendando restituendoque solliciti fuerunt*, exhibet Græcos, in Italiam profectos, captaque Constantinopoli profugos, inprimis *Manuelem Chrysoloram* & *Joannem Argyropylum*, simulque Mediceæ familiæ Philosophiam & literas promovendi studium, *Nicolaum V*, P. M. *Aristotelicæ* Philosophiæ patronum, tum vero *Raymundum Lullium*, primum Philosophiæ reformatorem, ipsius vitam, artem & chemicam, & illam magnam, porro elegantioris literaturæ & Philosophiæ primum instauratorem, *Dantem Aligerium*, *Franciscum Petrarcham*, ejusque discipulos, maxime *Jo. Boccacium*, ceterosque viros celebres, in conjungenda cum Philosophia disciplina liberali & humanitatis literis eandem viam tenentes, *Angelum Politianum*, *Hermolaum Barbarum*, *Poggium Bracciolinum*, *Franciscum Philelphum*, *Petr. Paul. Vergerium*, *Jannotium Manettum*, *Nicolaum Cusanum*, *Donatum Acciajolum*, *Jo. Jovian. Pontanum*, *Apollinarem Offredum*, &, qui inter omnes eminent, *Laurentium Vallam* atque *Rudolph. Agricolam*; deinde *Cap. II, de restauratoribus Philosophiæ Platonicæ*,

tonicæ, ſiſtit cum *Beſſarione Georgium Gemiſtum Plethonem*, cujus ſtudio Florentiæ introducta Philoſophia *Platonica* eſt, maximoque *Mediceæ* gentis patrocinio adjuta, novam ibi conſtituit Academiam, illuſtrem *Marſilio Ficino*, *Joanne Pico*, *Mirandulæ* domino, & Concordiæ Comite ac Principe, & ab hoc patruo Philoſophiæ hujus ſtudium hæreditate accipiente, *Jo. Franciſco Pico*; denique *Cap. III, de Philoſophiæ genuinæ Ariſtotelicæ reſtauratoribus*, leguntur fata reſurgentis hujus Philoſophiæ cum illis, qui inter *Ariſtotelicos* Seculo XV ſingulare ſibi nomen acquiſiverunt, & de *Ariſtotele* pulcherrime ſunt meriti, *Theodoro Gaza*, *Georgio Trapezuntio*, *Georg. Scholario*, vel *Gennadio*, & controverſiis inter *Platonicos* & *Ariſtotelicos* de utriuſque Philoſophiæ pretio exortis. *Secundus*, *de novis laboribus veterem Philoſophiam revocantium*, *Liber* in *octo* abiit *Capita*, & *Cap. I, de cauſis tempore emendatæ religionis mutatæ ſimul Philoſophiæ*, proponit ſtatum Philoſophiæ tempore reformatæ religionis mutatum, ejuſque mutationis cauſas, ſpeciatim Germaniam de barbaria pellenda ſerio cogitantem, merita *Deſiderii Eraſmi*, Roterodami, *Jo. Ludovici Vivis*, *Jacobi Fabri*, Stapulenſis, *Marii Nizolii*, Brixellenſis, in pellenda pſeudophiloſophia, reformationis ſacrorum ad emendandam Philoſophiam utilitatem, *Martini Lutheri* & *Philippi Melanchthonis* merita in Philoſophiæ emendatione, exempla clarorum virorum, *Jacobi Sadoleti*, *Hieron. Fraçaſtorii*, *Simonis Grynæi*, ſtudiorum elegantiorum cultura & interpretatione veteris Philoſophiæ ipſius felicem mutationem adjuvantium, incrementa Philoſophiæ, vel a ſe ipſa, vel a ſcholaſticis cultioribus, promota, *Ariſtotelis* Philoſophiam ſinceram reſtitutam, aliasque Græcorum ſectas excultas, tum vero etiam receſſum, ab aliis a Philoſophia Græca factum, ipſamque Philoſophiam eclecticam reſtitutam, cujus tamen enarratio longior *Parti II* hujus *Tomi IV* reſervata; *Cap. II, de Philoſophis Ariſtotelico-Scholaſticis recentioribus*, oſtendit, Philoſophiam ſcholaſticam non totam ex orbe philoſophico ejectam, & retentæ ejusdem cauſas, ipſos Scholaſticos recentiores, Dominicanos, Franciſcanos, Ciſtercienſes, Jeſuitas, prætermiſſis aliorum ordinum Scholaſticis,

quorum quidem ſtudio parum emendata Scholaſtica Philoſophia, quamvis tentata fuerit ejus emendatio; ſpes tamen ſupereſſe videtur, hoc malum ſenſim iri imminutum; *Cap. III, de Philoſophis, genuinam Ariſtotelis Philoſophiam ſectantibus*, exponit de Philoſophia *Ariſtotelica*, nativo vultui reſtituta, de cauſis ſurgentis præ *Platonica* Philoſophiæ *Ariſtotelicæ*, & retentæ cum in eccleſia Romana, in qua eminuerunt doctrinæ peripateticæ laude *Nicolaus Leonicas Thomæus*, *Petr. Pomponatius*, ſuis Φιλοσοφουμένοις de fato & de incantationibus, quin & diſcipulis, quos inter perperam habetur *Jul. Cæſ. Vaninus*, ſatis notus, *Auguſtinus Niphus*, *Marcus Antonius Majoragius*, *Daniel Barbarus*, *Jo. Geneſius Sepulveda*, *Petrus Victorius*, *Jac. Zabarella*, *Alexander* & *Franciſcus Piccolominæi*, *Cyriacus*, *Petrus*, & *Jo. Baptiſta Strozzæ*, *Jac. Mazonius*, *Hubertus Giſanius*, *Jul. Pacius*, *Andreas Cæſalpinus*, & *Cæſar Cremoninus*, alii; tum inter Proteſtantes, quos inter Germania devota fuit *Ariſtoteli*, ejusque fortuna in Academiis Proteſtantium, Lipſiæ, Roſtochii, Tubingæ, Argentorati, Jenæ, Altorfii, Helmſtadii, Regiomonti, quin Genevæ, & in Anglia atque Hollandia, in quibus claruerunt peripateticæ Philoſophiæ ſtudio *Phil. Melanchthon*, *Simon Simonius*, *Jac. Schegkius*, *Phil. Scherbius*, *Nic. Taurellus*, *Erneſtus Soncrus*, *Mich. Piccartus*, *Cornel. Martini*, *Conr. Hornejus*, *Herm. Conringius*, *Chriſtian. Dreierus*, *Melch. Zeidlerus*, *Jac. Thomaſius*, alii; nec minus inter Arminianos & Socinianos; quibus generales accedunt de Philoſophia peripatetica recentiore obſervationes. Refert *Cap. IV, de reſtauratoribus Philoſophiæ Pythagoreo-Platonico-Cabbaliſticæ*, occaſionem hujus ſectæ & primum propagatorem, *Jo. Reuchlinum*, hujusque exemplo excitatos ad excolendam ejusdem commatis Philoſophiam *Franc. Georg. Venetum*, & *Henr. Cornel. Agrippam*, renovantem *Platonicam* Philoſophiam, relictis nugis ineptis ipſis Judæis, *Franciſcum Patricium*, *Platonicos* alios, *Jo. Marcum Marci a Kronland* in Bohemia, *Theophil. Galeum*, *Radulphum Cudworthum*, *Henr. Morum*, in Anglia, claros, cum obſervationibus de hac ſecta criticis. Prodeunt *Cap. V, de reſtauratione Philoſophiæ Parmenideæ*, *Bernardinus*

dinus Teleſius, ejusque Philoſophia *Parmenidea*, *Cap. VI, de reſuſcitatione Philoſophiæ Ionicæ*, præmiſſa diſputatione de hac ſecta aliquo tempore depreſſa, *Claudius Berigardus*, ejus conſilium, Philoſophiam naturalem excolendi, modus contra *Ariſtotelem* pugnandi, contra impietatis ſuſpicionem ſeſe muniendi, crimen atheiſmi mortuo objectum, ac de eo judicium; *Cap. VII, de reſtauratione Philoſophiæ Stoicæ*, expoſita prius inſtaurandæ illius occaſione, *Juſtus Lipſius*, *Caſpar Scioppius*, *Dan. Heinſius*, *Thom. Gatakerus*; denique *Cap. VIII, de reſtauratione Philoſophiæ Democrito-Epicureæ*, obſervata ejus reſuſcitandæ occaſione, *Jo. Chryſoſtomus Magnenus*, *Petr. Gaſſendus* cum ſectatoribus ſuis, *Franciſco Bernierio* & *Mich. Neureo*, atque obſervationibus de Philoſophiæ hujus inſtauratione. *Tertius, de Philoſophis, novam philoſophandi viam tentantibus, Liber* in *quinque* reſolvitur *Capita*, traditque *Cap. I, de Scepticis recentioribus*, rationem eorum, qui a ſectaria Philoſophia diſceſſerunt, cauſas, cur, abjecto ſectario ſtudio, eclectica Philoſophia non triumphaverit, variam ſcepticiſmi conditionem, viros doctos, qui pro ſcepticiſmo publice verba fecerunt, eumque velut tutiſſimam viam commendaverunt, *Franciſcum Sanchez*, *Hier. Hirnhaym*, *Franc. Mottæum Vayerium*, *Petr. Dan. Huetium*, *Petr. Baylium*, cum obſervationibus criticis generalibus de ſcepticiſmo recentiorum, ad dignoſcendos reliquos, qui in argumento divino & humano Pyrrhoniſmo faverunt, ejusque telis uſi ſunt. *Cap. II, de Philoſophis Moſaicis & Chriſtianis*, enarrat, hæc quomodo enata ſit Philoſophia, ejus antiquitatem, varia genera ſecundum Scripturam ſacram philoſophantium, Philoſophos, hoc Philoſophiæ genus tentantes, *Guil. Bigotium*, *Libertum Fromondum*, *Ott. Caſmannum*, Moſaicam Philoſophiam ſpecialem, & ſtudium in ea *Conr. Aslachi* & *Lamb. Danæi*, Coſmogoniæ Moſaicæ commentatores, *Edmundum Dickinſonum* & *Thom. Burnetum*, Ethicæ & Politicæ Chriſtianæ autores, ſpeciatim *Jo. Amoſ. Comenium* & *Jo. Beyerum*, obſervationes de ſecta & Philoſophia *Moſaica* generales, & διατύπωσιν Phyſicæ *Moſaicæ*. *Cap. III, de Theoſophicis*, deſcribit, quales hi fuerint Philoſophi, eosque

ipſos, primo nimirum loco *Phil. Aureolum Theophraſtum Paracelſum*, diſcipulos deinde & ſectatores, *Jo. Oporinum*, *Adamum a Bodenſtein*, *Jac. Gohory*, *Gerh. Dornæum*, *Mich. Toritem*, *Oſwaldum Crollium*, *Henr. Kunrath*, *Joſ. Franc. Burrhum*, delineationem Philoſophiæ *Paracelſicæ*, alios *Paracelſicos*, Theologiæ theoſophicæ cultores, multa tangentes mere philoſophica, quales fuere *Æg. Guthmannus*, *Jul. Sperberus*, *Valentin. Weigelius*, *Rob. Fluddus*, *Jac. Bœhmius*, cujus doctrina theoſophica & ſectatores adduntur, præter alios, *Quirinus Kuhlmannus*, *Jo. Pordage*, *Jo. Jac. Zimmermannus*, quin & adverſarii; accedunt *Jo. Baptiſta* & *Franc. Mercur. Helmontii*, & utriusque phyſiologia, *Petr. Poiretus*, Roſæcrucianæ fraternitatis hiſtoriæ ſumma, & demùm obſervationes de Philoſophia ſcholæ theoſophicæ. Conſtituit *Cap. IV*, *de Syncretiſtis Philoſophicis*, quid ſit *Syncretiſmus*, diverſas *Syncretiſtarum* claſſes, *Syncretiſmum*, a clariſſimis viris, nunc inter Scripturam ſacram & Philoſophos veteres, vel plures diverſos, vel unius ſectæ Græcanicæ, nunc inter ipſos Philoſophos Peripateticos, Galenicos, & Chemicos, a *Jo. Bapt. du Hamel*, vel *Platonicos Peripateticos* & *Stoicos*, vel a recentioribus, & inter ſe, & inter *Ariſtotelem* ſimul, maxime a *Jo. Sturmio*, quin *G. G. Leibnizio*, tentatum, adjecto de *Syncretiſmo* judicio. Ultimo loco *Cap. V*, *de hoſtibus Philoſophiæ*, monet Cel. Autor, homines Philoſophiæ adverſantes omni ætate fuiſſe inventos, quos in varias diſtinguit claſſes, controverſiam de pretio Philoſophiæ *Hoffmannianam*, poſt fata etiam *Dan. Hoffmanni* continuatam, enarrat, & de ea judicium ſubjungit. Verſatus eſt Autor Cel. in jucundo quidem, ſed & gravi multoque, labore egregia ingenii ſtudiique alacritate, non eodem tamen rerum ordine ac ſerie, non una methodo ac ratione tractandi, neque juſta & æquali dicendorum dimenſione, quippe qui nominatos cujusque ſectæ plures Philoſophos pro diverſitate nunc ſacrorum, ordinumque, in iis ſingularis ſanctitatis & religionis ſtudio conſtitutorum, nunc locorum & provinciarum, nunc temporum & ætatis, additis majori interdum cura fatis, charactere animi & eruditionis, laboribus philoſophicis, itineribus, diverſa

diverſis

Digitized by Google

diverſis locis vitæ ratione, laudibus, reprehenſionibus, adverſariis, controverſiis, ingenii indole, aliis, ſtudioſius conquiſitis, acriusque diſputatis, recenſet, nunc vero alios, his miſſis & neglectis, promiſcue fere & obiter affert. Quicquid vero hujus rei ſit, vera de ſe prædicat Vir doctiſſimus, iis, quæ allata ſunt, innumeras enatas eſſe obſervationes, alibi fruſtra ſæpius quærendas, ad formandum autem intellectus judicium, ejiciendas inimicas veritati opiniones præjudicatas, & detrahendam pſeudophiloſophiæ larvam, quam maxime conducentes. Accedit inſigne veritatis ſtudium, & fidei hiſtoricæ candor præclarus, quem legis inſtar in toto Opere ſibi conſtituit ſequendum, quo ductus, a priſtina ſententia toties recedere non erubuit, quoties veritas popoſcit, & nova lux, ipſi orta, juſſit. Quod enim viri docti & ſapientis eſt, meliora edoctum ipſum mutare ſententiam ut eo minus pudeat, quo minus hæc ſapientiæ ſacra aliter conſtant, & humanæ ſortis & æqui bonus quisque memor eſt, inter virtutes Cel. Autoris quam plurimas animi & ingenii haud ultimum minimumve decus eſt, ut, neminem fore, certo confidamus, qui petitum favorem, ſi quid recti dictum ſit, & veniam exſpectatam, ſi quid ſiniſtri erroris-que admiſerit humana fragilitas, cum debita labori utili & delectanti laude lubens meritoque præſtantiſſimo Viro non concedat.

JO. NICOLAI FUNCCII DE VEGETA LATINÆ linguæ ſenectute Commentarius, quo fata ejus linguæ ab exceſſu Trajani uſque ad principatum Imp. Honorii deſcribuntur, & Hiſtoriæ literariæ monumenta illuſtrantur.

Marburgi, ex officina P. C. Mulleri, 1744, 4.

Alph. 6 plag. 20.

Hiſtoriam Latinæ linguæ criticam, cujus *priores Partes* in his *Actis A. 1721 pag. 140*, & *A. 1724 pag. 83*, & *A. 1728 pag. 46*, & *A. 1731 pag. 267*, recenſuimus, novum capere nunc incrementum, gratulabundi videmus, cum Celeberrimus Autor, Rintelienſis

Academiæ decus, hunc de vegeta ejus ſenectute Commentarium eo ætatis vigore emittit in publicum, ut ſperare poſſimus, eum totum illud ſtadium, quod ingreſſus eſt, emenſurum eſſe feliciter. Conſtat hic liber *undecim Capitibus*, quorum argumenta paucis exhibemus. In *primo*, quod *de vegeta ſenectutis conditione* inſcriptum eſt, docetur, inde ab obitu *Trajani* uſque ad Romam a Gothis A. 410 expugnatam ſenſim defeciſſe Latinæ linguæ vigorem, ita tamen, ut multum boni coloris remaneret, ac ſubinde ſcripta prodirent lectu digna. Hujus decrementi cauſas poſtquam expoſuit Cel. Autor, docet, cur nonnulli ſatis lætos in eloquentia progreſſus fecerint. Scilicet vigebat plerumque Principum erga literarum doctores favor, nec paucæ erant ſcholæ magiſtris inſtructæ haud contemnendis. Horum igitur de Principum in rem literariam meritis in *Capite ſecundo* copioſe diſſerit. Inprimis vero amorem in literas, & favorem in literatos, prædicat *Hadriani*, *M. Antonini* Philoſophi, *Conſtantini M.*, *Juliani*, *Gratiani*, & *Theodoſii*. Simul ὡς ἐν παρόδῳ omnium hujus temporis Imperatorum vitam deſcribit accurate. *Tertium Caput* Poetis hoc temporis tractu illuſtrioribus dicatum eſt. Deſcribit autem eundem in modum, quem ſuperioribus ſecutus fuerat in libris, cujusque Poetæ vitam & ſcripta, tum exſtantia, tum deperdita, commemorans etiam editiones eorum ſingulas, nec Poetæ cujusque virtutes pariter ac vitia omittens. Maximum ſpatium occupant ejus Diſſertationes de *Juvenco*, *Auſonio*, *Paulino*, *Avieno*, *Damaſo*, *Claudiano*, *Prudentio*, *Sedulio*, *Proba Falconia*; de quibus congeſſit & concinne digeſſit expenditque, quicquid in veterum ac recentiorum ſcriptis occurrit. *Caput quartum* implent Grammatici hujus ævi. Hic de *Gellii* vita, ſcriptis, laudibus, vitiis, eruditione, ſtilo, verbis inſolentibus, & editionibus, longa exhibetur & juſta narratio, eaque critica; ſimilisque de *Donato* & *Macrobio*. Nec ceteros omiſit grammaticæ artis magiſtros famæ tenuioris. *Capite quinto* de hujus ævi Rhetoribus agit, inter quos *Marius Victorinus* præcellit. Oratores hujus ævi *ſextum Caput* exhibet, quos inter ſunt commemorabiliores duodecim illorum Panegyricorum,

rum, qui conjuncte ſunt editi, ſcriptores. Agitur hic etiam de *Symmacho* copioſe, ac tum ejus vita enarratur, tum editiones recenſentur ſuo ordine, tum denique de ejus laudibus, ſtilo, & eruditione, exponitur. *Caput ſeptimum* de Jureconſultis hujus ævi prælongum eſt, & a *pag. 403* ad *pag. 689* extenditur. Cujus rei cauſa hæc eſt, quod ſingulorum fragmenta in *Pandectis* ſtudioſiſſime indicat, & quidem juſto ordine diſpoſita. Præterea ſingulorum vitam haud perfunctorie deſcribit, deque libris eorum profert quæque obſervatu digna. De ſolo *Papiniano* unam & triginta implevit paginas, de *Ulpiano* ſexaginta ſeptem, de *Julio Paulo* quinquaginta tres. *Caput octavum* eſt de Hiſtoricis hujus ævi. Longum & hoc *Caput* eſt, & ſumma diligentia compoſitum. Habes hic maximum apparatum juſtis judiciis diſtinctum de *Juſtino*, *Solino*, ſcriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ, *Eutropio*, *Ammiano Marcellino*, *Oroſio*, *Sulpicio Severo*, ceteros ut taceamus. In *Capite nono* prodeunt ſcriptores hujus ævi philoſophici & medici. Hic de *Apulejo*, de *Cenſorino*, de *Firmico*, interque Medicos de *Cœlio Aureliano*, longus ſermo, idemque doctiſſimus. *Decimum Caput*, quod ſcriptores hujus ævi ſacros exhibet, a *pag. 891* uſque ad *pag. 1129* decurrit. More ſuo Cel. Autor, hoc eſt, pleniſſime diſtinctiſſimeque, hic agit de *Tertulliano*, *Minucio Felice*, *Cypriano*, *Arnobio*, *Lactantio*, *Hilario*, *Optato*, *Philaſtrio*, *Ambroſio*, *Hieronymo*, *Auguſtino*. *Undecimum Caput*, totius hujus Operis ultimum, non ſine ſumma moleſtia ſui autoris confectum ſit, neceſſe eſt. Ac dignum erat tanto labore, tantaque animi & attentione & intentione, *Caput* hoc, præcipue quippe pertinens ad Latinæ linguæ hiſtoriam. Agitur enim hic de idiotiſmis Latinæ linguæ, qui in ejus vegeta ſenectute obſervantur. Docet jam Autor celeberrimus, quæ nova producta ſint honorum ac dignitatum vocabula; quæ nova verba Theologorum, JCtorum, & Medicorum; qui novi Græcismi & in uſum revocati Archaismi; quæ voces hybridæ; quæ vocabula nova ſine neceſſitate ficta, e. g. *hiſtoriographus*, *abbreviare*, *incapabilis*, *ineloquibilis*; qualia in ſuas claſſes ſtudioſe digeſta

digeſta profert plurima. Ultimo loco phraſes profert temere novatas, e. g. *benedicere aliquem*, vel *maledicere*, *pati naufragium*, *bona opera facere*. Unum hujus ævi ſcriptorem, obſervamus, a Cel. Autore non fuiſſe inſpectum, *Irenæi* interpretem, cujus ſtilus a *Tertullianeo* non ita multum differt. Ex hoc pauca liceat promere; plura cognituros ablegamus ad *Maſſuetianum* Indicem. Dicitur ſcilicet ab interprete illo *indictoaudiens* pro *inobediens*, & *indictoaudientia* & *dictoaudientia*. En & *Libri quarti* hæc verba: *Verbum Dei* (id eſt, Filius Dei, ὁ λόγος,) *coinfantiatum eſt homini*, hoc eſt, naſci voluit infans, uti homines naſcuntur infantes.

JOANNIS BAPTISTÆ MAZINI, BRIXIANI, IN Gymnaſio Patavino Medicinæ Practicæ Ordinariæ Profeſſoris, Opera omnia, nunc primum tribus Tomis diſtributa, emendata, & aucta.

Brixiæ, excudebat Jo. Maria Rizzardi, 1743, 4 maj.

Tom. I Alph. 1 plag. 7, Tom. II Alph. 2 plag. 2, Tom. III Alph. 1 plag. 8.

Cum exemplaria Tractatuum medicorum, a Cel. *Mazino* huc uſque editorum, pæne omnia diſtracta eſſent, opportunum cenſuit typographus *Rizzardus*, omnes, in unum collectos, atque ſecundis curis ab Autore recognitos, emendatos, & auctos, typis iterum excudere, illisque Viri celeberrimi Mechanicam pulſuum & urinarum adjicere. Nos igitur, cum in *Actis* noſtris de olim editis jam differuerimus; jam breviſſimis tantum de Mechanica pulſuum & urinarum, quæ in *tertio Tomo* continetur, dicturi ſumus. De emendationibus, quas præcedentibus ſcriptis inſeruit, fuſius differere ſuperſedemus, cum paſſim inſperſa & mutata, ut ex variis inter ſe collatis cognovimus, leviora omnino videantur, nec apte ſatis brevi recenſione abſolvi queant. In Mechanica pulſuum cor tanquam muſculum conicum, vel quaſi conicum, conſiderat, qui ex ſpiralibus fibris conſtat, & alias quaſi circulares, nonnullasque internas rectas, habet. Hinc cava ventriculorum

culorum formantur, & diaſtole cordis, a ſanguineo fluido, ventriculos ingrediente, facta, ſyſtoli arteriarum & menyngum cerebri & cerebelli ordinata & æquabili proportione temporis, motus, & elateris, penitus reſpondere, & e contrario ſyſtolem cordis, factam a ſanguine expulſo a ſyſtole ventriculorum, diaſtoli arteriarum & menyngum eſſe omnino porportionalem. Structura vero, ſeu compoſitio conica, aut quaſi conica, fibrarum dextri ventriculi cordis ſimilis eſt, aut quaſi ſimilis, compoſitioni conicæ, aut quaſi conicæ, fibrarum ſiniſtri in ſtatu naturali motus diaſtolis & ſyſtolis ventriculorum ipſorum. Qua propoſitione declarata, varia corollaria de æquabili, aut inæquabili, motu diverſarum cavitatum cordis, inprimis ventriculorum, addit. Ductis diametris ab externis ſuperficiebus fibrarum, componentium dextrum & ſiniſtrum ventriculum, ad puncta oppoſita externa tam dextri, quam ſiniſtri, totæ ſuperficies conicæ, ſeu quaſi conicæ, tam dextri, quam ſiniſtri, ventriculi cordis ſunt inter ſe ut quadrata diametrorum, quæ ſunt in ſingulis baſibus ſingulorum ventriculorum. In corollariis ad hanc propoſitionem de vitiis inæqualis ſuperficiei externæ & internæ cavorum cordis Autor differit. De diverſa capacitate ventriculorum differens, tertiam propoſitionem format, ſcilicet: Poſita diametro internæ areæ conicæ, ſeu quaſi conicæ, dextri ventriculi, ducta ab interna ſuperficie ad punctum oppoſitum internæ ejusdem ſuperficiei dextri; & poſita diametro internæ areæ conicæ, aut quaſi conicæ, ſiniſtri ventriculi, ducta ab interna ſuperficie ad punctum oppoſitum internæ ejusdem ſuperficiei, area, ſeu capacitas interna conica, ſeu quaſi conica, dextri ventriculi in diaſtole æqualis erit, aut quaſi æqualis, areæ internæ conicæ, ſeu quaſi conicæ, ſiniſtri in diaſtole ejusdem. Conſiderata poſtea arctiſſima fibrarum cohæſione, craſſitie ventriculorum diverſa, & ſepto cordis pro fulcro tam dextri, quam ſiniſtri, ventriculi; & vero centro motuum fibrarum agentium aſſumto, propoſitionem quartam addit: Ductis diametris ab externis ſuperficiebus fibrarum ſpiralium, circularium, & rectarum, componentium ſingulos ventriculos ad puncta oppoſita externa earundem ſuperficierum ſingulorum ventriculorum, potentia, ſeu momentum,

dextri ventriculi, repleti fluido in diaſtole, dum a diaſtole tranſiit in ſyſtolem, erit ad potentiam, ſeu momentum, ſiniſtri, æquali, aut quaſi æquali, fluido repleti in diaſtole, tranſeuntis a diaſtole in ſyſtolem, erit, ut cubus diametri baſis circularis, aut quaſi circularis, dextri ventriculi, ad cubum diametri circularis, ſeu quaſi circularis, ſiniſtri quam proxime. His generalioribus præſuppoſitis, pulſus diverſa genera in Diſſertationibus ſequentibus Autor conſiderat. *Diſſertatio prima* de naturali pulſu ordinato & æquabili agit, qui per motum cordis æqualibus temporibus æquales deſcribit diaſtoles, & æquales deſcribit ſyſtoles in arteriis æqualitate motuum, virium, & fluidorum impulſorum a corde in arterias ipſas. Vis ergo motrix remota pulſuum erit vis impellens ſanguinem. Proxima erit ſanguis impulſus a corde in arterias. Vis autem immediata & conjuncta erit arteria quælibet impulſa & dilatata a ſanguine in diaſtole, & contracta in ſyſtole. *Diſſertatio ſecunda* de pulſu præternaturali inordinato inæquali & aſymmetro agit, ad quem conſpirant vitium auricularum, ventriculorum, ſanguinis, ingredientis cor, & egredientis ex eo, nec non arteriarum, ſanguinem continentium. *Diſſertatione tertia* de differentiis pulſuum, compoſitis ex pulſu naturali & non naturali, diſſerit; pulſum vero non naturalem vocat illum, qui ope actionis & reactionis rerum non naturalium neque omnino naturalis eſt, neque omnino præternaturalis, aptus tamen ad naturalem ſtatum redire, ſi res non naturales agentes & reagentes ad medium ſtatum reducantur, aut ad præternaturalem declinare, ſi res non naturales agendo & reagendo a medio ſtatu recedant, accedendo ad extrema præternaturalia. Eſt vero pulſus primo reſpectu cordis moventis vehemens, vel debilis, reſpectu ſpatii magnus, vel parvus, reſpectu temporis celer, vel tardus, denique reſpectu canalis continentis mollis, vel durus. De his omnibus fuſius agit, & *Diſſertatione quarta* differentias pulſuum, mixtas ex naturali & præternaturali, exponit. Agit igitur de myuro, tum deficiente, tum recurrente, ſive reciproco, de intermittente, intercurrente, caprizante, undoſo, ſerrato, vibrato, convulſivo, tremulo, & formicante. *Diſſertatione quinta* adduntur nonnulla, doctrinæ

doctrinæ pulſuum utilia ac neceſſaria. Oſtenditur enim, neminem ſine pulſuum cognitione ad ægros accedere debere, nec primum ad illum, ſed ad alia quoque, attendere debere Medicum, quo facto, modus tangendi, & nonnulla alia, huc ſpectantia, declarantur.

In Mechanica urinarum Cel. Autor varia anatomica ubique cognita de renum, ureterum, & veſicæ, ſtructura aſſumit, & *Diſſertatione prima* de urinæ ſeparatione in renibus, & motu per canales ſuos, diſſerit. Glandulæ, quæ ſubſtantiam corticalem renis ex ſententia *Malpighii* conſtituunt, ſphæricæ ſunt figuræ, ex qua figura non tantum oſtenditur, copiam inſignem humoris in illis ſecerni debere, ſed & ob adjacentes partes motus periſtaltico analogus iis ipſis adſcribitur; quam ſententiam etiam ex vaſculoſa renum ſtructura explicat, & porro pyramidalem papillularum renis figuram, obliquum ureterum ſitum, & circularia ſtrata fibrarum ſphincteris veſicæ, quæ ita aſſumit, mechanice explicare annititur. *Diſſertatio ſecunda* de naturalibus urinis ſanorum agit. Urina eſt univerſale quoddam fluidum compoſitum, ex particulis chyli, lymphæ, ſanguinis, ſucci nervei, ſuccorum glandularium variæ indolis, cum miſcela ſulphurum & ſalium, aliorumque elementorum aeris & aquæ, quæ in machina animali excipiuntur & moventur. Quantitas urinæ naturalis ita ſit comparata, ut proxime parum deficiat, aut parum excedat duas tertias partes liquidi epoti; ea tamen per varias paſſiones animi & affectiones corporis, inprimis ratione perſpirationis & ſudoris, in diverſis anni temporibus auctis & imminutis, mutari poteſt. His expoſitis, ad qualitates urinarum ratione denſitatis, gravitatis, coloris, ſaporis, & odoris, progreditur, & in his quoque varietates, non ſatis definiendas, adducit. Præterea quoque quasdam collectiones tenuiſſimarum particularum, quæ naturalia contenta urinæ ſunt, ſcilicet nubeculam ſuperius hærentem, enæorema in medio ſuſpenſum, & hypoſtaſin, ſive ſedimentum, quoad figuras & colores, expendit. *Diſſertatio tertia* de urinis non naturalibus agit. Hæ ſunt illæ, quæ a naturalibus urinarum affectionibus, paſſionibus, & legibus, paulatim recedunt, & paulatim accedunt ad vitia

præternaturalia ipſarum, ſuſtinendo ſtatum medium, aut quaſi medium, inter urinas naturales & præternaturales. In his vero vix alias mutationes, quam naturali urinæ proprias, declarat, & plurima obiter tantum deſcribit, cum in Mechanica medicamentorum de his varia, inprimis ratione victus, inſeruerit. *Diſſertatione quarta* de urina præternaturali differit, & Medicum inprimis monet, ne in morborum diagnoſi & prognoſi urinæ inſpectionem negligat. Ipſe vero & quantitatem & qualitatem urinæ morboſæ brevibus examinat. De nubecula, enæoremate, & hypoſtaſi, urinarum nonnulla proponit, inprimis vero ſequens de urinis judicium, ad praxin utile, inſerit: Urinas vere naturales habere hypoſtaſes ac ſedimenta albicantia in fundo, opportune levia & æqualia, mediocris ſubſtantiæ ac ponderis, quæ parum aſſurgant inſtar pyramidis, volitent & fluitent ad motum urinarum; urinas vero non naturales vere eſſe illas, in quibus appareant nubeculæ in ſuperficie, enæoremata in medio, aut nullæ hypoſtaſes, ſeu levia, aut nulla, ſedimenta fiant in fundo vaſis. Denique urinæ præternaturales veræ & rigoroſæ dicendæ erunt illæ, in quibus ſolæ nubeculæ, aut ſola enæoremata, exſtiterint ſine ulla hypoſtaſi, ac ſedimento, in fundo vaſis. *Diſſertatione* tandem *quinta* de nonnullis in urina obſervandis pro cauſis cognoſcendis morborum, & eorundem præſagiis faciendis, agit. Diſtinguit inter urinam potus & urinam ſanguinis. Illa eſt, quæ poſt unam, duas, tres, aut quatuor, horas a cibo excernitur, hæc vero poſt digeſtionum tempora, aut poſt moderatum ſomnum, & momenta majora febrium, nimirum in declinatione paroxyſmorum, ſecernitur ab omnibus fluidis, opere ſolidorum, jure ſuo feliciori agentium. Urinas quoque ratione ætatis, ſexus, anni temporum, climatis, &c. inſigniter variare, monet, & tempus & reliquas cautelas, circa urinæ inſpectionem obſervandas, perpendit. Ex his & aliis, in his Operibus propoſitis, magnum Cel. Autoris ingenium in rebus ad Medicinam ſpectantibus ſatis apparet; an vero omnes explicationes mechanicæ ipſi partium ſtructuræ reſpondeant, & ubique veris naturæ fundamentis inſiſtant, aliis dijudicandum relinquimus.

OUVRA-

Digitized by Google

OUVRAGES DIVERS DE MR. DE MAUPERTUIS, &c. hoc eſt,

OPUSCULA VARIA MAUPERTUISII,

Elementa Geographiæ, Diſſertatio de variis figuris corporum cœleſtium, de Parallaxi Lunæ, & Epiſtola de Cometa.

Amſtelodami, 1744, 12.

Plag. 15½, Tabb. æn. 6.

Nec omnia Cel. Autoris ſcripta hæc collectio continet, nec plane nova; ſiquidem, quæ hic denuo publicantur, vel ſeparatim antea, vel in monumentis Academiæ Pariſienſis Regiæ, prodierunt. Attamen, cum de plurimis horum Opuſculorum in *Actis* dictum adhuc nihil ſit, non ingratam fore judicamus Lectoribus noſtris aliquam eorum recenſionem.

Geographiæ elementa eo potiſſimum fine ſcripta videntur, ut ſuam de figura telluris ſententiam Autor pluribus probaret. Neque enim præter hoc caput aliud quiddam, quod in Geographia mathematica, vel phyſica, pertractari ſolet, ibi quæſiveris. Et totum quidem opus XIX Articulis abſolvitur, quorum priores exponunt, quæ cauſa methodusque hominibus fuerit, Geographiam primum excolendi, quid eos ad rotunditatem motumque telluri attribuendum induxerit; qua occaſione totum ſyſtema mundanum breviter ſimul explicatur, denique, quæ ab initio ſcientiarum fuerint ſapientum conamina ad magnitudinem telluris definiendam, exponitur. Deinde recenſet, quomodo natura gravitatis, vi centrifugæ junctæ, & figura Jovis per obſervationes cognita, ſuſpicionem de tellure prope polos depreſſiore moverint, poſthæc vero ad actuales menſuras, quibus ea dubitatio decidi poſſit, deſcribendas progreditur. Igitur, qua arte amplitudo atque longitudo arcus alicujus meridiani menſuretur, explicat, deinde, quæ *Picardus* atque *Caſſinius* in Gallia, ipſe cum ſociis in Lapponia, fecerint, enarrat, oſtenditque, quo ratiocinio e gradibus, verſus polum decreſcentibus, figura telluris depreſſior inferri poſſit, & contra quomodo gra-

dus creſcentes allongatam tellurem arguant. Objectiones etiam, terræ menſoribus fieri ſolitas, excutit, easque ad *tria Capita* reducit. *Primum* eſt, an ubique directio, quam vis gravitatis fune pendulo confert, ſit ſuperficiei telluris ad rectos; *alterum*, num ſtella, cujus diſtantiæ a vertice fundamentum menſurationis ſunt, inter plures operationes nullo motu præter diurnum e loco ſuo moveatur, aut, ſi motu proprio gaudeat, num is ita cognitus ſit, ut computi legibus ſubjiciatur; *tertium*, ſitne telluris figura talis, quæ ex rotatione ellipſeos circa axem oriri poteſt, ut omnes meridiani ſint curvæ ſimiles & æquales. Primum re vera ita ſe habere, evincit exinde, quod obſervationes, ubique terrarum habitæ, inter ſe conſpirent in eadem ſtellis fixis declinatione aſſignanda. Equidem ex illorum hypotheſi, qui gravitationem verſus terram pro effectu, ex attractionibus ſingularum partium terreſtrium junctis reſultante, habent, deberet ingentium montium proximitas perpendiculum aliquantum ex ſitu ſuo verticali dimovere; ſed, hunc effectum non obſervari poſſe, conſtat jam ex *Newtoni* calculo, quo evincitur, jugum tres leucas altum, & ſex latum, ſi ex materia homogenea terreſtrique ſimili conſtare ſupponatur, effecturum eſſe, ut perpendiculum duobus ſecundis verſus ſe deviet; isque calculus obſervationibus *Bougerii*, unius ex Academicorum cohorte, verſus Æquatorem miſſa, confirmatus eſt, vel potius experientia ejus, prope ingens jugum *Chimboraço* inſtituta, oſtenditur, eſſe aliquam perpendiculi deviationem, ſed quæ minor adhuc ſit ea, quam *Newtoni* calculus determinat. Quod alteram objectionem, loci fixarum mutationem ſpectantem, attinet, motus earum in longitudinem ratiocinia hæc propterea non turbat, quoniam notæ eſt quantitatis, adeoque poteſt correctio, ei debita, in calculo adhiberi. Idem dicendum eſt de aberratione luminis *Bradlejana*; alius vero motus, quo fixæ loca ſua mutent, vel nullus eſt, vel tam lentus, ut hoc in negotio pro nullo reputari poſſit. *Bradlejus* enim inſtrumento, quo accuratiſſime loca fixarum obſervari poterant, plus quam 200 ſtellas integro anno contemplatus, nullam a loco, ubi eſſe debebat, plus quam 2 ſecundis diſtantem notavit, differentia tam exigua,

exigua, ut errori obſervationis tribui poſſit. Supereſt tertium caput, cui ſi veritas ſua non conſtat, actum eſt non tantum de omnibus menſuris, quæ ad figuram telluris determinandam inſtitutæ ſunt, ſed de tota quoque Geographia, navigandique arte. At, quando nauta, certas ſecutus regulas, feliciter navem dirigit, neceſſarium eſt, ut, quæ ſunt forte in figura telluris irregularitates, tanti non ſint, quo minus ea tanquam Sphærois conſiderari poſſit. Finem Operi imponit tabula, qua graduum magnitudines pro variis latitudinibus in tellure, tam *Caſſiniana*, quam ſua, Autor exhibet, quantumque hæc res præcipue nautarum ſalutem tangat, oſtendit. Nam, ſi v. g. nauta, ab Æquatore proficiſcens, ſcopulum ſub eodem meridiano, ſub quo navigat, ſed 20 gradu lat. ſitum, evitare conetur, calculoque ex Autoris hypotheſi ſubducto, 406 leucas marinas confecerit, transiiſſe ſe jam locum periculoſum 9 leucis, credet, cum, ſi *Caſſinus* recte ſentiat, præciſe in eodem conſtitutus futurus ſit. Tabulæ conſtructio his fundamentis innititur: Arcum meridiani, in lat. 49° 22′ a *Picardo* menſuratum, continere 57183 hexapedas adhibita correctione Autoris noſtri & ſociorum; Lapponicum vero gradum latitudinis 66° 20′ continere 57438 hexapedas. Unde colligitur diameter Æquatoris 6562480, & axis terræ 6525600 hexapedas, in ratione fere ut 178: 177. Hinc gradus latitudinis porro definiuntur ex *Newtoni* theoremate, quod gradus meridiani ab Æquatore verſus polos creſcant in duplicata ratione ſinus latitudinis. Longitudinis gradus, hoc eſt, gradus parallelorum, exprimuntur formula $rrd : \sqrt{(r^4 + aatt)}$ ſi a ſit ſemiaxis, r ſemidiameter Æquatoris, t tangens latitudinis, d gradus circuli, cujus radius eſt r, quorum demonſtratio exſtat in monumentis Academiæ Annorum 1733, 1735. Faciliorem vero calculum & ſatis exactum ſuppeditat alia formula, demonſtrata in Tractatu de Parallaxi Lunæ. Scilicet, ſi r & d ſignificent, quæ ante, δ differentiam inter ſemiaxem, & radium Æquatoris, s & c ſinum atque coſinum lat. gradus quivis longitudinis erit $\frac{d}{r}\, c \pm \frac{dcss}{r^4}$, δ ſigno ſuperiore valente pro

terra

terra depreſſa, & inferiore pro oblonga. Tabularum, quæ ad ſingulos quinos gradus expanſæ ſunt, ſpecimina aliqua exhibebimus :

Latit. loci.	Gradus *Caſſini.*	Autor. & Socior.	Differentia.
0	58020 hex.	56625	+ 1395
15	57906	56690	1215
30	57580	56865	715
45	57130	57110	20
60	56683	57350	— 667
75	56355	57530	— 1175
90	56225	57595	— 1370
	Axis Tell.		
	6579368	6525600	53768

Pro gradibus longitudinis.

Latit. loci.	Gradus *Caſſini.*	Autor. & Socior.	Differentia.
0	56820	57270	450
15	54845	55340	495
30	49075	49665	590
45	39965	40610	645
60	28185	28755	570
75	14560	14900	340
90	0	0	0
	diám. æqu.	diam. æqu.	
	6510796	6562480	51684

Progredimur jam ad Tractatum de variis aſtrorum figuris, quem, primo in Actis Academiæ publicatum, mutatis paucis, poſtea ſeparatim edidit. Omittimus, quæ ſub initium tum de figura telluris, tum contra vortices *Carteſianos*, atque pro attractione *Newtoniana*, diſputat, nec non quomodo ex legibus gravitatis corpora mundana, circa axem revoluta, Sphæroidis lati figuram nanciſcantur. Primum, quod poſt hæc explicat, phænomenon ſunt loca in cœla lucentia, quæ *ſtellæ nebuloſæ* vocantur, atque pro congerie fixarum exiguarum habentur; ſed præſtantioribus

tioribus tubis adjuti Aſtronomi, nihil aliud in illis deprehenderunt, præter magnas areas ovales, lucis clarioris, quam eſt reliqua pars cœli. Tale quid *Hugenius* primum in Orione animadvertit, *Hallejus* in Transactionibus Anglicanis ſex ejusmodi loca memorat: 1) in enſe Orionis; 2) in Sagittario; 3) in Centauro; 4) ante pedem dextrum Antinoi; 5) in Hercule; 6) in cingulo Andromedæ. His teleſcopio reflectente 8 ped. conſideratis, non niſi quarta talis viſa eſt, quæ pro acervo ſtellularum haberi poſſit, reliquæ non niſi areas albicantes exhibuerunt, nulla notabili differentia, niſi quod alia rotundior eſſet, alia magis ovalis. Neque in prima ſtellulæ teleſcopio obſervabiles videntur albedinem ejus producere poſſe. *Hallejus*, ex his phænomenis explicari poſſe, credit, quæ ſub initium hiſtoriæ creationis *Moſaicæ* habentur, lucem ſcilicet creatam fuiſſe ante, quam ſol exſtiterit. *Derhamus* foraminibus hæc aſſimilat, per quæ alia immenſa regio, forteque cœlum ipſum empyreum, transluceat. Perſuadet ſibi, diſtinguere ſe potuiſſe, quod ſtellæ in his locis obſervabiles multo propiores nobis ſint luminibus iſtis, ſed, hoc cognoſci non poſſe, Optica nos docet. His nebuloſarum catalogum ex *Hevelio* Autor ſubjungit. Hæc phænomena igitur exhiberi exiſtimat a maſſis lucis ex attractione ſphæricis, ex rotatione circa axem, ſphæroidicis, quæ, ſi parum a ſphæra recedant, circulos ſemper repræſentabunt, ſi multum, pro diverſo ſuo ad eclipticam ſitu circulos, vel ellipſes, aut irregulares plane figuras, ſi plures ejusmodi maſſæ, oculo e longinquo eas ſpectanti, in unam coeant, partibusque ſuis ſe mutuo tegant. Materia, qua conſtant, ſi æqualem ſtellis lucem fundat, oportet ut ingens illarum quantitas ſit, quo ex diſtantia multo majori, quam eſt ſtellarum diſtantia, poſſit teleſcopium magnitudinem & figuram in illis detegere; magis enim hoc caſu has maſſas a nobis diſtare, quam fixas, ex luce debiliore colligitur; ſi vero magnitudine ſtellis æquales ponantur, opus eſt, ut illis multo propiores nobis exiſtant, ſitque lux earum luce fixarum natura ſua minus fortis. Operæ pretium igitur fecerit, qui parallaxin earum, ſi qua eſt, detexerit; nam, qui illam iis denegant, a paucis forte ad omnes

concluſerunt. Stellulæ, in his areis apparentes, ut in Orione, ſi propiores ſunt, in diſcum arearum projectæ cernuntur, ſi remotiores, per maſſas illas translucent, ut per caudas Cometarum. Sequitur conſideratio fixarum, quæ exſtinguuntur in cœlo, aut alternis vicibus evaneſcunt atque apparent. Ponantur hæ fixæ ſoles eſſe, ut noſter, ſed ex majore vi centrifuga figuræ multo compreſſioris, cum in noſtro ſole axis ab Æquatoris diametro parum differat. Tale itaque ſphæroides ſenſibiliter latum, pro diverſo, quem rotatione ſua circa axem nanciſcitur, ſitu, vel eandem cum reliquis ſtellis apparentiam, vel decreſcentem magnitudinem, evaneſcentem, redeuntemque, exhibebit. Planetæ quoque, vel cometæ, ſi gravitate ſua in ſolem cadant, vel prope eum tranſeant, ejus ſitum mutare poſſunt, licet forte non tantum ut mutatio ex tellure percipi queat. Præterea vero, ex motu planetarum ejusmodi, variis nobisque incognitis orbitis, temporibus periodicis, & quæ reliqua ſunt, circa ſoles ſuos circulantibus, abunde ſatisfieri poſſe, exiſtimat, variis ſtellarum illarum apparitionibus atque diſparitionibus. Annulos, qualis circa Saturnum eſt, generari poſſe, concipit ex cauda cometæ, prope planetam trajicientis a gravitate verſus planetam, in gyrum acta, quod fieri facilius patet in magno planeta & a ſole remotiore, ob attractionem ejus efficaciorem, atque motum Cometæ in majore a Sole diſtantia lentiorem. His ſubjungitur propoſitio ſequens: Si Semidiameter Æquatoris planetæ ſit $= d$, tempus, quo circa axem revolvitur $= t$ diſtantia Satellitis ejus $= \delta$, periodus Satellitis $= \theta$, gravitas ſub Æquatore $= \rho$, & vis centrifuga ibidem $= f$ erit $f : \rho = d^3\,\theta\theta : \delta^3\,tt$. Nam ex theorematibus *Hugenianis* vis centralis corporis, in circulo moti, eſt directe ut radius, & inverſe ut tempus periodicum, unde f eſt ut $d : tt$. Jam ſatelles in loco ſuo ſentit vim, quæ eſt ut $\delta : \theta\,\theta$ eadem ex ratione, & proinde, cum gravitas creſcat in ratione duplicata diſtantiarum decreſcentium, vis, qua ſatelles urgetur in orbita ſua verſus primarium, eſt ad vim, qua urgeretur in ſuperficie primarii poſitus, ut $dd : \delta\delta$, & adeo erit ρ ut $\delta^3 : dd\,\vartheta\vartheta$.

Unde

Unde $p : f = \frac{\delta^3}{dd\vartheta\vartheta} : \frac{d}{tt} = tt\delta^3 : \vartheta\vartheta d^3$. Hæc ſi ad Lunam & Terram applicentur, ponatur $\delta = 60$ ſemid. terræ, $\theta = 27$ dieb. 7 hor. 43′, quo tempore Luna circa axem ſuum revolvitur, $d = 1$ & $t = 23^h\ 56'\ 4''$, reperietur $p : f = 288 : 1$, quod nihil fere differt a ratione 289 : 1 ab *Hugenio* ex aliis principiis, nempe ex tempore deſcenſus gravium, vel, quod eodem redit, ex longitudine penduli, ſecunda oſcillantis, deducta. Pro Jove cum quarto ſuo Satellite collato $\delta = 23$, $\theta = 16$ dies 16 $\frac{8}{17}$ h. $d = 1$, $t = 9^h\ 56'$, unde $f : p = 1 : 7,48$. Unde ratio patet, cur Jupiter ſenſibiliter depreſſus ſit verſus polos ſuos. Pro Sole ipſo, conjuncta Venere ſpectato, eſt $\delta = 15906$ ſemid. terr. $\vartheta = 224$ d. 7^h, $d = 100$, $t = 25\frac{1}{2}$ dies, unde $f : p = 1 : 52016$. Unde mirum non eſt, cum tam exigua ſit vis centrifuga in Sole præ gravitate, figuram depreſſiorem Solis nullo modo ſenſibus percipi. In Saturno hoc theorema applicari nequit, cum de tempore, quo circa axem revolvitur, in eo nil conſtet, Venus contra & Mars Satellite carent, in Mercurio utrumque deficit. Gravitas corporum, in Saturni ſuperficie poſitorum, cum ex Satellitibus colligi poſſit, daretur tempus revolutionis diurnæ, ſi ex obſervatione daretur ratio, quam habet diameter planetæ ad axem, adeoque vis centrifuga ad gravitatem. Sequuntur duæ propoſitiones aliæ, quarum prima ſphæroidis fluidi circa axem rotati figuram invenire docet, poſita cujuscunque particulæ fluidæ, gravitatione verſus centrum, in ratione qualibet multiplicata diſtantiarum. Omnes ſphæroidum ejusmodi meridianos reperit curvas algebraicas eſſe, excepta hypotheſi gravitatis, diſtantiæ a centro reciproce proportionalis. Ultima propoſitio hæc eſt: Si vortex fluidus revolvatur circa axem extra vorticem poſitum, vi centripeta, quæ eſt in ratione quavis multiplicata diſtantiarum a centro, &, ſi in ſectione quavis ad revolutionem perpendiculari centrum aliud ſit, attrahens etiam, in ratione qualibet multiplicata diſtantiarum, invenire figuram vorticis, cujus caſus particularis eſt Problema præcedens.

Supereſt Tractatus de Parallaxi lunari, Lunæ Tellurisque theoriæ perficiendæ dicatus. Utilitatem operis commendat longitudinum in mari ſcientia, quæ tota inde pendet. Nam, cum eclipſes ſatellitum Jovis non niſi ejusmodi tubis accurate obſervari poſſint, quorum ob difficultatem tractandi in navi perpetuo agitata uſus nullus eſt, recurrerunt Aſtronomi ad fixarum per lunam occultationes, quæ tum breviori teleſcopio, tum ſæpius, ſi ſatis magna eſt fixa, nudo oculo, obſervari poſſunt, ſi portio lunæ illuminata non ſatis fortis eſt ad illarum lucem vincendam. Imo non opus erit exſpectare, donec fixa a Luna occultetur, ſi trianguli, quod Luna cum duabus fixis efficit, ſpecies obſervetur ex loco Lunæ hoc modo definito, longitudo navis colligitur, ſi detur ex tabulis tempus, quo Luna in quovis alio loco ejusmodi triangulum cum fixis illis format. Jam hora, qua hoc phænomenon contingit, in navi ſatis exacte haberi poteſt; deinde ab annis aliquot inſtrumentum inventum eſt, quo, nihil officiente agitatione navis, poſſunt Lunæ a fixis diſtantiæ ea, quæ huic negotio ſufficit, accuratione capi. Omnis itaque difficultas, ſed quæ ſatis magna eſt, ad theoriam Lunæ redit. Obſervationibus tamen edocemur, qualescunque irregularitatum lunarium cauſæ ſint, eas poſt 223 lunationes in orbem redire. Unde obſervationes, ſpatio 18 annorum continuatæ, tabulas darent, quarum uſus futurus eſſet in periodis ſequentibus. Huic tam longo atque difficili negotio manum admovit *Hallejus*, in ea ætate jam conſtitutus, qua finem ſe attingere poſſe, ipſe deſperabat. Attamen ſub finem periodi alterius 111 lunationum, quæ non tam exacte, quam illa 223, circulum irregularitatum reducit, eo jam pervenit, ut, ſe longitudinem in mari definire poſſe, aſſeveret, errore intra 20 leucas prope Æquatorem, intra 15 in noſtro climate, conſtituto, & minore adhuc propius verſus polos. Sed, cum nihil harum obſervationum publicaverit, ei negotio *Monnierius* ſe applicuit, ſucceſſusque omnis a vita & ſanitate Obſervatoris pendet. Ad hanc vero Lunæ theoriam perficiendam opus eſt, ut parallaxis exacte conſtet, hoc eſt, ut, dato loco Lunæ ex aliquo telluris puncto viſo, inveniri queat ejusdem locus, ad quem

Digitized by Google

quem ex alio puncto terræ obſervanti refertur. Ad hunc ſcopum præſens ſcriptio collineat, cujus Autor, poſtquam expoſuit, quantum referat, figuram telluris exacte noſſe, parallaxeos naturam ſpeciesque explicat, oſtenditque methodum, cujus ope duo obſervatores, ſub eodem meridiano ſatis longo intervallo a ſe diſſiti, poſſint invenire parallaxem lunæ, cujus baſis eſt arcus meridiani, quo diſtant. Nam, ſi ab una eademque ſtella uterque lunæ diſtantiam ſecundum declinationem notet, ſumma, vel differentia, harum diſtantiarum erit parallaxis, dato arcui meridiani debita. Licet vero difficile ſit, obſervatores ſub eodem meridiano ponere, tamen utilitas rei poſtulat, ut id operæ impendatur, &, ſi qua ſit in longitudinibus differentia, poteſt ea in computum vocari. Deinde, quomodo ex datis actuali menſura duobus meridiani gradibus poſſit figura telluris inveniri, docet, nec non quomodo inveniri poſſit directio gravitatis primitivæ, quam vocat, hoc eſt, quæ futura eſſet, ſi vi centrifugæ telluris circa axem revolventis non mutaretur. Præterea varias parallaxeos dimenſiones, pro hoc, vel illo, obſervatoris poſitu, ex data telluris figura calculo deducit, tabulamque illarum conſtruit, methodum exhibet, lunæ a centro terræ diſtantiam reperiendi, quantum parallaxes in terra ſphæroide & ſphærica differant, quibusque conditionibus parallaxis maxima efficiatur, oſtendit, ex parallaxibus lunaribus novam methodum, telluris figuram definiendi, deducit, tandem loxodromicarum naturam projectionesque explicat, his ſubjungit variorum in tellure metienda inde a Norwoodo ſuſceptos labores, colophonemque operi imponit Tractatu de menſura gravitatis in diverſis latitudinibus, tabulaque, eo ſpectante, unde ſaltem exempli loco adducimus, gravitatem Pariſienſem eſſe ad Londinenſem ut 100000 ad 100018. De Epiſtola, Cometam ſpectante, nihil eſt, quod dicamus, cum in uſum fœminæ cujusdam ſcripta, notiſſima facillimaque de Cometarum natura & effectibus recenſeat.

JO. FRID. NOLTENII LEXICON LATINÆ Linguæ antibarbarum quadripartitum, cum annexa ad calcem recenſione Scriptorum Latinorum critica,

iterum ab Autore recognitum, emendatum, ac locupletatum. Accessit Præfatio JO. LAUR. MOSHEMII.

Lipsiæ & Helmstadii, apud Christ. Frid. Weygandum, 1744, 8 maj.

Alph. 3 plag. 4.

De hujus libri consilio & ratione dictum a nobis est jam tum, cum primum editus esset, in his *Actis A. 1731 Mense Aprili.* Ea ita probata sunt Autori, Viro doctissimo, ut non modo e consilio nostro partitionem Operis mutaverit, & e quinquepartito quadripartitum fecerit, sed etiam cetera ad mentem nostram, præter admodum pauca, emendarit. Sed in multis etiam aliis librum emendavit, inprimisque ita magno observationum numero locupletavit, ut novum opus videri possit. In quo tamen hunc delectum adhibuit, ut tum, quæ paulo morosius a Criticis de quibusdam rebus disputantur, tum, quæ ita manifeste barbara sunt, ut neminem, quamvis tironem, fallere possint, omnino exesse juberet; item obsoletiora & insolentiora, editioni superiori inserta, de quibus peculiaribus libris a doctis hominibus est expositum. Inprimis *Sectione posteriori Partis Etymologicæ* legitimum particularum usum & varias significationes explicavit, atque omnino tum huic, tum *Syntacticæ, Parti* inseruit multa, quæ Latinæ linguæ corruptelas non quidem proprie feriunt, at eo tamen spectant, ut, quicquid ab eorum forma & modo abit, suspectum saltem debeat videri. In barbarismis indicandis damnandisque hac moderatione est usus, ne quid facile in eorum numerum referret, quod qualicunque autoritate confirmari posset, ceterum moneret elegantiæ studiosos, ut sibi ab iis verbis caverent, quæ barbarismi suspicionem doctis hominibus movissent. In quo tamen fatetur Vir Clarissimus, ne sic quidem satis cautum esse studiosis ab ea labe, nisi ad scribendum afferant pectus lectione probatorum Scriptorum satis imbutum, quod sane plus valet omnibus ceteris ejus vitii remediis, quoque satis dextre usi homines quondam, sine hujus generis libellis, excellentes in omni genere scribendi exstitere.

Disse-

Differentias verborum e *Popma* repetiit, ſed cum delectu, caſtigatione, adde & cum auctario. Vocabula multa vitii ſuſpicione liberavit; conſtructionum varietatem commemoravit, ſed optimis quibusque ſimul demonſtratis. Denique, ſi quid paulo ſubtilius explicavit, quam pro captu tironum, ipſa literarum forma ac modulo a ceteris ſecrevit. Superiori editioni additus erat, de *Heiſteri*, Viri Cel. ſententia, Index, barbariſmos, Medicis frequentatos, complexus. Is ſublatus quidem loco eſt, ſed per totum librum digeſtus. Fatendum eſt, magnam diligentiæ laudem Autori Cl. deberi, eumque labore, multum utilitatis non modo apud tirones, ſed etiam apud ceteros non excellenter in hoc genere literarum verſatos, habituro, perfunctum eſſe. Nam, ſi vel maxime, in ſingulis quibusdam vocibus, inprimis iis, quæ ad exquiſitam latinitatem pertinent, interdum aliquid peccatum eſſe, dicamus, tamen inde nihil magnopere libri pretio, &, apud illud, quod diximus, genus hominum, utilitati, decedit; præterquam quod in tanta rerum etiam minutarum multitudine non eſt mirandum, ſi quid interdum non ſatis recte, aut accurate, dictum alicui excidit. Cum autem ita emendatum locupletatumque hoc Lexicon jam habeamus; non dubitamus, quin omnes hanc editionem prælaturi longe ſint ei, quæ nuper, inſcio & inconſulto Autore operis, Venetiis apud *Recurtum* curata eſt, tota illa ex editione ſuperiori expreſſa. Ceterum huic noſtræ editioni egregium ornamentum acceſſit a *Mosbemio*, Viro Cel. qui ei elegantiſſimam, &, ut ſunt omnia illius, lectu digniſſimam, Proluſionem addidit, qua oſtenditur, quam vehementer errent linguarum vernacularum patroni, qui puræ latinitatis, omninoque Latinæ eloquentiæ, ſtudium ſupervacaneum atque inane judicant, illudque diſciplinis potius & vernaculæ ſuæ cujusque linguæ tributum volunt.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum Scientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi conſilium ſuſcepit, ſua nonnulla paſſim addidit, Præfationem præmiſit, FRID. OTTO MENCKENIUS,

NIUS, Phil. & J. U. Doctor, Pot. Pol. Reg. & Elect. Sax. Consiliarius aulæ, urbis patriæ Senator, & Societ. Scient. Reg. Boruss. Sodalis.

Voluminis III Pars I.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1744, 8.

Plag. 12.

Auspicato procedunt hæc *Miscellanea*, curante *Menckenio* nostro, qui *Volumen* hoc *tertium*, functurus interpretis munere, Illustrissimo Domino *Ernesto Christophoro* S. R. Imperii Comiti *de Mannteuffel*, Mæcenati Nestorea ætate digno, religiosissime consecravit. En argumenta *Partis primæ*, ejusque summam. *Jo. Conr. Schwartzii Observatio, qua loca 2 Sam. XIII, 16, & Jes. XXIII, 6, explanantur*, omnium lucubrationum *prima* est. In priori loco *Tamara* hæc *Ammoni* fratri dixit: הזאת מאחרת אשר עשית אל — ארות הרעה הגדולה. Litera ד in voce ארות videtur ipsi ex protractione unci ו orta: עמי לשלחני

Pag. 3. Id ut lectori persuadeat, ostendit, vocem יר (*1 Sam. IV, 3,*) natam esse ex voce יך haud secus ac ו in רוש (*2 Sam. III, 15,*) ex י longius producto coortum fuerit. Eandem י in ו protractionem deprehendit *2 Sam. V, 8, XVI, 12, XVIII, 13.* Vocem מלבר *1 Reg. XII, 33*, substitutam credit voci מלבו. Vocem ארות credit natam ex אוות, ac subaudiendam monet vocem תאוה, ut sensus inde existat: *Ne continenter appetas malum hoc, altero illo, quod jam in me feceisti, majus, ut me domo expellas.* Sperat inter hæc, fore, ut antiqui reperiantur Codices, quibus hæc

8. lectio firmetur. In loco *Jesaiæ* vocem הַבָּאִים exponit per βαΐα, *palmarum frondes*, in Judæa frequentissimas, Palmæ autem non e semine solum, sed etiam e ramulis earum recisis, ac in terram insertis, enascuntur, radices agunt, & procrescunt, floresque producunt jucundos, nec non ad ferendos fructus festinant. Excipit hanc Observationem *Jo.*

14. *Christiani Biel*, Ecclesiastæ ad D. Ulr. & Joan. Brunsuic. *Diatribe philologica de Voce Selah*, סלה. Si qua hujus vocis originatio & significatio ætati nostræ suppetit, & suppeditari pot-

16. est, eam certe hic deprehendimus genuinam, & phænomenis singulis, seu requisitis, facientem satis. *Paschius*, Deum ipsum

ea

ea deſignari, ſibi perſuaſit, ſolideque a Noſtro refellitur, qui, probabile eſſe, judicat, notari illa exagitatiſſima voce *laudationem*, qua Deus in tabernaculo temploque Judaico proſequendus fuerit, concinentibus muſicis inſtrumentis, & accinente omni multitudine hæc: *Laudate dominum - - in perpetuitatem.* Du- Pag. 19.
bia & ſcrupulos, quibus hæc ſententia premi videtur, idem tam ſcite & luculente expedit, ut nihil ſit ſupra. Voce הֲגִיוֹן 21.
Pſ. IX, 17, notari *odam, cantilenam*, oſtendit, ab Alexandrino interprete Græco adjutus. Verbo הגה certe ineſt poteſtas *edendi vocem.* Hic enim ſignificatus palam eſt in *Jeſ XXXI, 4, XXXVIII, 14, Pſ. CXIII, 15, XXXV, 28, XXXVII, 20.* Alexandrinorum, vocem *ſelah* per διάψαλμα, *intercinium*, reddentium, autoritas hoc loco eſt magna. Quis enim negabit, ipſos ignoraſſe, qua ratione muſica cantusque publicus Hieroſolymis fuerit conformatus? Jam urget attentionem noſtram *Petri Zornii Fabula Parcarum, ex antiquitatibus orientalibus, itemque ex nummis, illuſtrata.* Ipſe a loco *Jobi VII, 6*, telam orditur, ubi mentio fit de ארג, ſeu re quadam, quæ velociſſime transit, ac de תקוה, ſeu filo gracilento, tramite. *Moſes* vitam hominis dixit filo ſuſpenſam ac pendentem *Devt. XXVIII, 66.* Exinde fabula de Parcis videtur enata, a פרק, 35.
ſcindendo, dictis. De hiſce *fatis victricibus* numus *Diocletiani* eſt teſtimonii inſtar. Aurem porro vellicat *Caroli Henrici Zeibichii, Artium Magiſtri, & Ordinis Philoſophorum in Academia Vitembergenſi Adjuncti, de Imagine Chriſti, in larario Aurel. Alexandri Severi conſpicua, Diatribe critico hiſtorica.* Com- 45.
mentarium hic habes in illa *Lampridii* de *Severo: Matutinis horis in larario ſuo, in quo & divos Principes, ſed optimos, electos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, &, quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, Orpheum, & hujuscemodi Deos, habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat.* An ille ſcriptor vocandus ſit *Ælius Lampridius*,
an *Ælius Spartianus*, haud definit Noſter. De Laribus privatis 47.
juxta ac publicis, & de origine cultus Larium publici, docte admodum diſſerit. *Severo* fuiſſe lararium & majus & minus, docet, ratus, in illo imaginem Chriſti conſpicuam fuiſſe. Di-

Digitized by Google

Pag. 57. vinum huic honorem a *Severo* præſtitum fuiſſe, negat. *Juliam Mammæam*, *Alexandri* matrem, attingit, eamque filii potiſſi-
83. mam de Chriſto magiſtram exſtitiſſe, demonſtrat. Ipſam religioni Chriſtianæ faviſſe, docet; an ea publice fuerit initiata, pronuntiare haud audet. At progredimur ad reliqua, ſiquidem
88. illa Diatribe nemini non per ſeſe placebit. Succedit ei *J. C. Harenbergii Hiſtoria Ateſtino-Welfica, Ducum Brunſuico-Luneburgenſium originem illuſtrans.* Commentatio hæc in *Sectiones duas* diſtribuitur. Prior de vera Ducum Brunſuico-Luneburgenſium ſtirpe maſcula ex Ateſtinis derivanda inſcripta eſt, & a *Bonifacio*, Thuſcorum Marchione, ad *Azonem* uſque & *Cunegundam*, *Welfonis IV* parentes, decurrit. Poſterior progeniem *Welficam*
93. inde ad *Henricum Nigrum* uſque complectitur. Una ac altera fabula hic fuit exploſa, ſimul vero ſingula pronuntiata fidei te-
124. ſtium, autoritate pollentium, ſunt ſuperſtructa. Sequitur hanc Hiſtoriam *C. A. Heumanni Meditatio critica ſuper loco illo exagitatiſſimo Eginharti Cap. 25*: *Tentabat* (Carolus M.) *& ſcribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut, cum vacuum tempus eſſet, manum effingendis literis aſſuefaceret. Sed parum proſpere ſucceſſit labor præpoſterus, ac ſero inchoatus.* Deſerit ac rejicit Cel. Autor eorum ſententiam, qui, *Carolum M.* neſciviſſe elementa literarum ſcribere, qui, eum calligraphiæ, vel pingendi arti, vacaſſe, qui, ipſum libris ſcribendis ſe accinxiſſe, exiſtimarunt. Subjicit hiſce novam ſententiam ſuam, perſuadens, indicari operam ſcribendi verſus, cui *Carolus* ingraveſcente ætate ſeſe addixit. Reſtituit itaque locum illum *Eginharti* male affectum hac quidem
144. ratione, ut legere jubeat: *Tentabat & verſus ſcribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut, cum tempus eſſet vacuum, effingendis metris ſe aſ-*
147. *ſuefaceret.* Integra hæc Diatribe redolet lucernam. Vocant nos *Vocum aliquot Latinarum, quæ in Lexicis vulgaribus fruſtra quæruntur, ex priſcis Autoribus collectarum a Frid. Ottone Menckenio, Sectio II, tertium continuata.* En voces illas. *Lapathus*, in genere fœmineo trita, *Latiar Ciceronis*, id eſt, ſolenne Latinorum, *Latria Caſſiodori*, qui dixit *divitiis latriam exhibere*, *Legiona-*

Digitized by Google

Legionarius, Subſt. *Legumlator Livii*, *Levigare*, id eſt, levem facere, vox *Caſſiodori*, *Libertinus*, Adject. *Literula*, quæ epiſtolam brevem & elementum minutum notat, *Longiturnitas Caſſiodori*, ejusdem *Lubricitas*, *Mala* pro gena, *Maſtiche*, illa arboris lentiſci gutta, *Mercenarius*, Subſt. *Meretricabilis* & *Meretricarius*, *Caſſiodori* crepundiæ, *Meu*, planta, quam *Plinius Meam* appellavit, *Milichus* Deus, Μείλιχος Græcorum, ignotus Lexicorum conditoribus, nominatus autem *Silio Lib. III v. 104*, *Mimus*, Adject. *Mœreor*, deponens, *Multicavatus*, Adject. haud ſecus ac *Multicavus*, vox *Ovidii*, *Nemoricultrix Phædri*, *Nigrum*, Subſt. pro nigra macula, *Nullusdum*, id eſt, nullus adhuc, vox *Livii* & *Aſconii*, *Nuptialia*, Subſt. *Nutritura* pro nutricatu apud *Caſſiodorum*, *Octophoros*, Adject. ſiquidem *Cicero Lib. V in Verrem Cap. II lecticam octophoron* meminit, *Omniperitus*, vox *Pedoni Albinovano* vindicata, *Oneraria*, Subſt. *Opium* & *Opion*, *Opopanaces* æque ac *Opopanax*, id eſt, ſuccus herbæ panaces, & illud tandem ex fæce *Caſſiodoriana* vocabulum *Oppalliare*, id eſt, obtegere. Mantiſſæ loco acceſſit Anonymi Ἀποκάλυψις ἐκφυσίας, *Virgilianorum locorum conſtupratricis*, a quo Jovis illius quondam Ἀπομύϑ, *Petri Burmanni*, Præfationi, *Phædro* præfixæ, ſic habetur honos, ut ferre eos, qui, ratiunculis infirmis inducti, *Virgilium* laniant, & ex voce *vatum* procudunt *fatum*, omnino recuſet, locumque *Maronis Æn. IV*, *464*, cupiat inviolatum. Subdit tandem: *At vos, ſtraminei Ariſtarchi, quotquot pro rationibus ſolidis & eruditis ineptas has formulas blateratis:* Sic lego, ſic emendo, diſtingue, transloca, mihi non placet, *fugite tandem iſtas argutiarum technas, quarum olim promus condus fuit Gorallus ille, qui ſolus demum poſt renatas literas Criticos, quaſi ἄλογα ad ſua tempora fuiſſent ζῶα, myſteriis logicis initiare voluit.* Subjunctas huic admonitioni ad extremum cernimus *Gisberti Cuperi ad Theodorum Janſſonium ab Almeloveen Epiſtolas quatuor*. *Nonas Pias Lampridii* eſſe Apriles, docet *Cuperus*, eosque, quibuscum commercium epiſtolare colebat, recenſet, nec elegantiæ, vel notitiæ literariæ, occaſione nata quidquam omittit.

Pag. 154. 158. 161. 164. 169. 172. 177. 178.

Digitized by Google

JO. GEORGII WALTHERI, SERENISSIMI Principis Saxon. Weiſſenfelſenſis & Querfurtenſis a Conſiliis, Profeſſoris publici ordinarii, & Rectoris adjuncti illuſtris Auguſtei, de primis Aſiæ Monarchis, ad locum Æſchyli in Perſ. v. 761-788, Commentarii.

Torgaviæ, literis Peterſellianis, 1744, 4.

Plag. 6.

Non admodum magnum, ſed plenum rerum, e tenebris eruta-
rum, volumen producimus. Adornatum hoc eſt ab
Autore in celebri Lyceo Torgavienſi, cui per biennium præ-
fuit. Hinc ſub initium laudat majores noſtros, qui pruden-
Pag. 4. tiſſimo conſilio voluiſſent, ut ab ineunte ætate juvenibus ad-
uſque Academicam maturitatem, præter ſacrum Codicem Græci
Latinique Autores explicarentur, eorumque res identidem ad
Dialecticorum & Rhetorum exigerentur præceptiones. Inpri-
mis prædicat veterem tradendæ hiſtoriæ viam. Sed operæ pre-
tium eſt, ipſum audire. *Certe tunc temporis*, inquit, *cum in Germania literis humanioribus unice in ſcholis locus erat, & nihilo minus Hiſtoriæ univerſalis antiquæ ratio habebatur, & vel* Carionis Melanchthonis*que, vel* Neandri, *atque aliorum, bonæ notæ libelli illuſtrabantur, non ſolum non Profeſſorum humaniorum literarum ſubſellia vacua manebant in Academiis, ſed, uti adhuc conſtat*, Cameratiorum, Schmidiorum, *aliorumque, acroateria ſæpius confluentium, & ſtudia æmulantium, juve-*
5. 6. *num cœtus vix capiebant.* His aliisque monitis, accedit ad
Æſchylum tractandum, cui, cum ſciret, perverſam ſemper
eſſe tributam ab omnibus orbis deſcriptionem, hanc nomini
Æſchyliano maculam adſperſam diluere conatur, pluribusque
7. hanc rem alio in loco promittit ſe diſputaturum. Comprobat
tamen, ab omnibus fere *Æſchylo* magnam rerum geſtarum tribu-
tam eſſe cognitionem. Excitat Autor *Joſ. Scaligerum, Jo. Marshamum, Thomam Stanlejum, Conr. Sam. Schurtzfleiſchium, Campegium Vitringam, Hieronymum van Alphen, Leonardum*

Oſſer-

Offerhaus, & Anglos in *Hiſtoria univerſali*, qui omnes commentati ſint in inſignem hunc *Æſchyli* locum. Autoris tamen ſententia, præſtantiſſimis nixa autoritatibus, plurimum ab horum omnium rationibus vehementer diſcrepat.

Primum e Græco in Latinum rurſus vertit ſermonem ξῆσιν, quod non omni adhibita cura a *Stanlejo* redditam animadvertit. *Tribus* autem *Capitibus* verſatur in loco enodando. *Primo* exhibet grammaticas obſervationes, quibus novam tueatur interpretationem ſuam. In prima autem hac excurſione ſua ſibi poſuit legem, ut non tantum non ea afferret, in quibus compilatoris laborioſiſſimi obſcuram diligentiam, a qua, etſi probata multis, abhorret, prodere poſſit, ſed ut ne omnia quidem tangat, quibus opus eſſet ad locum totum in lumine ponendum. Porro obſervat, uti Latinis Autoribus, ſic quoque Græcis, ſuas eſſe ætates, intra quarum terminos diligens Autoris Græci explicator ſe, quantum fieri poſſit, continere debeat; omnesque Græcos ſcriptores, inprimis paulum antiquiores, ſibi ad imitandum vetuſtiorem aliquem, eumque in ſua arte excellentem, propoſuiſſe. Et, cum ex innumeris collegerit dicendi formis, ab *Æſchylo Homerum* potiſſimum imitando expreſſum eſſe, multas dicendi formas, quæ adhuc dubiæ erant notionis, ex hoc antiquiſſimo Autore feliciſſime interpretatur. Sic loco motam, & perverſe explicatam, rationem dicendi a *Joſ. Scaligero*, *Jo. Marshamo*, Anglisque in *Hiſtoria univerſali*, *Stanlejo*, aliisque,

Pag. 8. 9.

10.

11.

12-17.

— — εἶον ἐδέπω,

Τὸ δ' ἄχυ Σθόνων ἐξεκείνωσεν πεσόν,

ex Grammaticorum præceptione ἀπὸ κοινῆ, & *Homero*, qui particulæ δὲ ſæpe notionem, cauſam inferentem, ſubjecit, ita explicat, ut nec loco ſit movenda, & pulcherrimum ſuppeditet ſignificatum. Ad verſum

18.

Ἐξ ἧς τε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ,

obſervat, præter Athenienſes, de quibus *Spanhemius* id moneat, etiam Perſas Jovem coluiſſe regem; πάσην ἀειάδα μη- 19.

λότεφον esse universam Asiam; ταγεῖν autem non infinitum semper in alios imperium significare, sed plurimum ejusmodi dignitatem, qualis eorum esse soleat Regum, sine quibus reli-
Pag. 20. qui Reges nec facile pacem faciant, nec moveant bellum. *Versum 767* ita interpretatur: Primus eorum, qui præcipua gavisi sunt in Asia dignitate, Susorumque urbem tenuerunt, erat Medus, qui bella gessit, & nihilo minus nihil mali intulit urbi
21. Susorum; qua occasione *Campegium* confutat *Vitringam*. In *v. 768* ἔργον ἤνυσε est secundum *Homerum* opus informatum confecit, absolvit. In *v. 770* τρίτος δ' ἀπ' αὐτῆ Κῦρος major latet difficultas. Cel. *Offerhaus* per tertium hunc non intelligebat secundo proximum, sed tertium ab secundo, duobus aliis interpositis. Sed Autor cum ex contextus ratione,
22. tum ex *Homero*, apud quem ἀπ' αὐτῆ *post illum* ita significat, ut spatium temporis interjectum nullum admittat inter antecedens & consequens, comprobat, vere proprieque *Cyrum* esse tertium a *Medo*. *V. 774* vocem ἤχθηρεν ex *Homero* rursus de Deo Græcorum invido explicat, atque in hujus
23. sententiæ originem & notionem inquirit, atque accurate comprobat, originem ab inveterato Græcorum in tyrannos odio
29. esse arcessendam. *Capite secundo* suppeditat observationes, ex Historia antiqua erutas, quibus neglectis, adhuc *Æschyli* sententia in lumine poni non potuit. Prima est: Jam ante & sub *Cyri*, Asiæ universæ rectoris, ætatem historia profana, maxime Græca, habuit insignia & fide dignissima monumenta, quæ consuli a sequentium temporum scriptoribus potuerunt. Hoc inprimis disputat contra doctissimos Anglos, *Historiæ universa-*
30. *lis* autores. Commemorat *Pisistrati* Bibliothecam, atque ejus variam fortunam, *Laji* & *Amphitryonis*, antiquissimorum Regum, *Herodoti* ætate residua monumenta, & alia. Observatio secunda
31. hæc est: In Asianarum gentium historia, a Græcis in literas relata, duæ sunt sedulo sejungendæ ætates, una ante *Cyrum*, altera post eundem. Ante *Cyrum* modo maritimam Asiæ Africæque oram Græcis notam fuisse, quam adiissent mercatus causa, post *Cyrum* vero & imperii Persici novitatem timoremque, & scientiarum

tiarum cupiditatem, impuliſſe multos, ut itinera inſtituerent ad diſſitas regiones. Hinc inducitur ab Autore *Hecataeus Mileſius*, *Solon*, *Herodotus*. Inprimis nobile factum Græcorum nomen poſt pugnas cum Perſis commiſſas. Obſervatio tertia eſt: Pag. 32.
Æſchylo magna eſt in rebus Perſicis tribuenda autoritas. Peropportunum hunc ad ſcribendum nactum eſſe & tempus & argumentum. Prœliis in Græcia cum Perſis confectis, quibus interfuiſſet *Æſchylus*, media in Græcia fuiſſe graviſſimos Perſas vel captivos, vel cultum ſacrum civilemque Græcorum aut ſequentes, aut admirantes; quorum multi ſine dubio non tantum *Xerxem Dariumque*, ſed etiam ſuperiores proximos Reges, vidiſſent. Hos ſine controverſia *Æſchylum*, Perſicas res tractantem, in conſilium adhibuiſſe. Idcirco merito autoritatem *Æſchyli* de- 33.
fendit adverſus *Freretum* & *Schurtzfleiſchium*. Quartam Obſervationem hanc facit: Aſiæ victores diligenter ſunt ab ejus vel rectoribus, vel monarchis, ſejungendi. Intelligit per Aſiæ victores magni & ferocis ſpiritus Reges, qui in occupandis & vaſtandis, quam retinendis, regionibus magis elaborarunt. Horum 34.
Regum antiquiſſimis temporibus ingens fuit multitudo. Rapto magis, quam conſcripto, exercitu per finitimas & remotas terras, prouti impetus ferebat, vagabantur, omnia ferro & igne agebant, atque, hominibus ſubactis occiſisque, cum montibus, ſilvis, beſtiis, gerebant bella. Horum nonnulli, intercluſi reditu, fere in finibus orbis terrarum, in orientem ſpectantium, ſtultitiæ ſuæ pœnas dedere; alii, quorum audaciam fortuna adjuverat, reduces facti, cœlum & terram narratiunculis ſuis aut ipſi miſcuerunt, aut milites ſuos, fortunæ teſtes, & ducibus ipſis ſtultiores, miſcere ſiverunt. Horum in cenſum defert Autor *Bacchum*, defert *Seſoſtrem*, defert etiam *Ninum* & *Semiramidem*, egregiis nixus autoritatibus. *Capite tertio* adumbrat veritates hiſtoricas, quæ vel notæ poſſunt comprobari uberius, vel ignotæ erui & confirmari ex hoc *Æſchyli* loco. Prima eſt: Aſſyrii univerſæ Aſiæ imperium nunquam tenuerunt. Sunt enim primis his, ab *Æſchylo* in cenſum delatis, Aſiæ monarchis multum vetuſtiores. Hinc conſenſum adducit *He-* 35.
rodoti,

rodoti, cujus loca, huc ſpectantia, jam Autor in Deſcriptione *Herodotea* ſua *pag. 12 ſeq.* & in *Miſcellaneis Lipſ. Novis*, quæ a *Menckenio* noſtro publicantur, *Volum. I P. I pag. 268 ſeq.* explicavit. Habet porro *Dionyſium Halicarnaſſeum*, habet Scripturam ſacram, quod maximum eſt, conſentientem. Deinde deſcribit Aſſyrium regnum, quod apud eum malumus legi. Secunda Obſervatio eſt: Perſæ primi ſunt Aſiæ Monarchæ. Cum enim Medi duo Reges, Suſorum domini, fundamenta jeciſſent magni imperii, alterque, Medi primi filius, præcipuam in Aſia
Pag. 36. dignitatem obtinuiſſet; *Cyrus* tertius Monarchiam Aſiæ, utraque Aſia occupata, conſtituit, primusque mortalium toti ſibi ſubjectæ Aſiæ proprie imperavit. Hac occaſione de *Nebucadnezaris* diſputat regni amplitudine. Tertia Obſervatio ita habet: In Regum Perſarum laterculo duo ſunt inter *Smerdin* & *Darium*, *Hyſtaspis* filium, ponendi Reges, *Maraphis* & *Artaphrenes*. Omnes Hiſtorici ſecundum *Smerdin* proxime locant *Darium*. Autor cum *Æſchylo* interponit duos. Atque hujus rei ex ipſo *Herodoto* non levem movet ſuſpicionem, quandoquidem ex eo contra omnes recentiores monet, non ſtatim ſexto poſt interfe-
37. ctos Magos die *Darium* Regem creatum eſſe. Babyloniorum enim inſignis illa, atque ab ipſa humanitate abhorrens, rebellio, cui aliquot anni ab Hiſtoricis tribuuntur, ſub initium imperii Magorum, quod ſeptem menſium fuit, incepit; Samum vero exercitu *Darii* proficiſcente, quod altero imperii ejus menſe factum, palam facta eſt; ut adeo non ſex dies, ſed forſitan unus vel alter annus ſit interponendus. Hæc omni eruditionis
38. apparatu ab Autore diſputantur. Ultima Obſervatio eſt: Medo-Perſarum imperium, a *Marshamo* fictum ex hoc *Æſchyli* loco, & a *Thoma Stanlejo* arreptum, nullum eſt. Cum ad hanc *Stanleji* ſententiam confutandam alios jam dudum excitaſſet teſtes doctiſſimus *Vitringa*; Noſter domeſtica ipſius *Æſchyli* arma movet in *Stanlejum* & *Marshamum*, atque hac ratione occaſionem Tragœdiæ hujus, conſcriptæ ab *Æſchylo*, ex Hiſtoria antiqua repetit, ut adeo res eadem, quæ occaſionem dederit facto huic regno, illud deſtrueret rurſus.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXLV.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΠΑΝΤΑ, &c.

hoc eſt,

LUCIANI SAMOSATENSIS OPERA, CUM NOva Verſione TIB. HEMSTERHUSII & JO. MATTHIÆ GESNERI, Græcis Scholiis, ac Notis omnium proximæ editionis Commentatorum, additis JO. BRODÆI, JO. JENSII, LUD. KUSTERI, LAMB. BOSII, HOR. VITRINGÆ, JO. DE LA FAYE, ED. LEEDES, aliisque ineditis, ac præcipue MOSIS SOLANI & JO. MATTHIÆ GESNERI. Curaverunt, & Notas ſuas adjecerunt, ad Tomi I partem priorem TIB. HEMSTERHUSIUS, ad ceteras JO. FR. REIZIUS.

Tomi III.

Amſtelodami, apud Jac. Wetſtenium, 1743, 4 maj. Tom. I Alph. 5 plag. 5, Tom. II Alph. 5 plag. 3, Tom. III Alph. 4 plag. 16.

Prodiit ergo tandem dudum exſpectatus *Lucianus*, atque ita prodiit, ut ſpem de ſe commotam non deſtituiſſe videatur. Quod eſt hoc minus mirandum, cum in eo expoliendo ornandoque doctiſſimorum hominum ingenium atque doctrina per multos deinceps annos ſtudioſe elaborarint. Primus ei rei operam manumque admovit, poſt *Moſen Solanum* tamen, A. 1720 *Tib. Hemſterhuſius*, Vir Clariſſ. & Græcarum

literarum longe doctiſſimus. Is, cum decem annos in *Luciano* tractando, interpretando, illuſtrandoque, conſumſiſſet, prelo cœpit ſubjicere, quæ parata habebat; ab eoque tempore, hoc eſt, ab A. 1730 ad 1736, abſolutæ ſunt plagulæ undeſeptuaginta. Hac tarditate operis commotus bibliopola, cum vereretur, ne impenſæ, in eo factæ, ſibi perirent, alium circumſpicere cœpit, qui parem diligentiæ celeritatem adhiberet. Res eo tandem deducta eſt, ut, partitis operis, *Jo. Matth. Gesnerus*, Vir Clariſſ. Græcarumque literarum in Germania facile princeps, & *Jo. Frid. Reizius*, Vir Clariſſ. idemque in hoc genere egregie verſatus, in reliquis partibus elaborarent, ita, ut ille & novam verſionem Latinam adornaret, &, quæ ad *Lucianum*, multorum annorum lectione tritum, obſervata haberet, ſubinde adſpergeret, hic autem & aliorum notas diſponeret, & ſuas adjiceret, curamque ſuſtineret hanc, ut emendate totum Opus prodiret. Horum ergo docta diligentia effectum eſt, ut quinque annorum ſpatio totus *Lucianus* abſolutus in lucem prodierit. Sed de ſingulis, in quorum ære eſt *Lucianus*, ſeparatim dicemus, ſi prius de contextu, verſione, & notarum ratione univerſa, dixerimus.

Prima ſine dubio quaſi dos editionis cujusque eſt textus Autoris, accurate & ad MStos Codices veteresque editiones recenſitus, & operis diligenter emendateque expreſſus. In altero illo, fatendum eſt, diligentiam permagnam adhibitam eſſe; niſi quod *Reizius*, Vir Clariſſ. interdum nimis religioſus in recipiendis quamvis certis emendationibus fuiſſe videtur. Sic *Tom. I pag. 632, 12*, pro ἑαυτῷ recipiendum erat ἐμαυτῷ, quod etiam in verſione expreſſum eſt; cum contra *pag. 787, 33*, male unius Codicis autoritate, juſſuque *Solani*, receptum ſit πασῶν, ut referatur ad ὁδὸς, *ſectas*: non quo nimis durum putemus λεγόμενα ὑφ' ἑδῶν, quod ipſi *Reizio* dubitationem attulit: nam etiam *pag. 793* ſunt ὁδοὶ φάσκουσαι, quo loco Vir Clariſſ. uti debebat; ſed quod mutatio generis hujusmodi, qua verba, modo ad abſtracta, modo ad concreta, referuntur, uſitatiſſima etiam *Luciano*, in hoc ipſo Dialogo *Hermotimo*, & quidem in eodem verbo, (vid. *pag. 790, 29, 791, 35, 804, 39*, &c.) quibus omnibus locis cum deberet eſſe πασῶν, *omnium ſectarum*,

ſectarum, tamen eſt πάντων, *omnium philoſophorum*. Male porro *Tom. II pag. 219* in contextu relinquitur Περσίδης, addita mira nota, cum neceſſario legendum ſit Περσείδης. Nam & de *Perſei* filio ſermo eſt, & ſyllaba longa deſideratur, quorum neutri aptum eſt, ut pueri ſciunt, Περσίδης. Item *pag. 221, 90*, in contextu peſſime manſit δειξομένην, & in verſione relicta interpretatio τῆ δεξομένην, addita ſimul nota, diverſis manifeſte temporibus, per partes, ſcripta. Item *pag. 66, 74*, debebat recipere emendationem *Geſneri* capitalem & certiſſimam, legentis pro ἔτι πόλεων, Ἐπιπολῶν χῆμα, *Epipolarum formam*, quæ etiam in verſione expreſſa eſt: quo loco mirati ſumus, quare *Reizius*, qui ſuas notas *Geſnerianis* poſtponit, hic notulam ſuam: *Valde probo* Επιπολῶν, *etſi vulgatam exhibeo, Geſnerianæ* præpoſuerit. Sed hoc caſu accidere potuit, ut alibi *Tom. I pag. 820*, &c. neque propterea ſtatim Pontederizabit *Geſnerus*. Ceterum hanc religionem hoc facilius condonamus *Reizio*, quod tutius eſt, in hanc partem aliquando peccare, quam in contrariam. Illud autem vellemus paulo diligentius curatum eſſe, ut textus Græcus emendatus a vitiis operarum eſſet. Sed non ſolum paſſim capitales mendæ, ſenſum turbantes, reperiuntur, v. g. *Tom. I pag. 668* ἐπέμψατο pro ἐμέμψατο, *pag. 762* ἐυδαιμονίην pro ἐυδαιμονοίην, *pag. 833, 2*, ἃ pro ἃ, &c. verum quidam libelli inprimis negligenter vel in interpunctione, ut *Reviviſcentes*, vel in verbis, habiti ſunt, ut *Abdicatus*, in quo multæ ſunt mendæ, v. c. ὁμολόγων, ἀποθεῖσθαι, quæ aliquando, ſi quis alius *Reizius Lucianum* recenſendum ſuſcipiet, novas notas parient, quales poſtea commemorabimus. *Tom. I pag. 802, 94*, *Reizius* in nota dicit ſublatum e contextu τὸ ὰς, quod tamen ibi ſupereſt. Æquum ſane erat, in tam ſplendida & cara editione, majorem, hac in parte, curam haberi.

Interpretatio Latina, in iis libellis, qui *Hemſterhuſii* manu tractati ſunt, eſt vulgata, ſed ab *Hemſterhuſio* ubique diligenter ad verum Græci textus ſenſum emendata & conformata. Niſi quod in *Nigrino Solani* verſio prope tota ſervata, in *Timone* autem *Tan. Fabri* interpretatio elegans & accurata. Reliquos libellos *Geſnerus* nova interpretatione inſtruxit, qua non modo

ſenſus *Lucianeus* accurate, ſed etiam eleganter, uti dignum erat *Luciano*, exprimitur. In quo etiam hæc cura adhibita, ut interpretatio ipſum genus dicendi *Lucianeum* & charactera referret, quod illis inprimis locis difficile fuit, ubi corruptum ſermonem *Lucianus* ridendo imitatur, & imitando ridiculum facit. Iniquum ergo ſit, talibus locis offendi, aut vitia, ultro affectata, ut *Lucianeæ* orationi ſimilis eſſet Latina, accuſare. Eſt tamen, (quis enim in tam longo labore nuſpiam dormitet?) ubi paulo plus ſive perſpicuitatis, ſive diligentiæ, deſideres. *Tom. I pag. 710* librum quendam laudans, dicit: ἤτε γὰρ τῶν λόγων παρασκευὴ ὑ μεμπτή, καὶ ἡ ἱστορία πολλὴ, καὶ ἐμπειρία πραγμάτων, καὶ ὅτι ἕκαστα σοφῶς ἐλέγετο, &c. Hic *Geſnerus* τῶν λόγων παρασκευὴν ὑ μεμπτὴν vertit, *verborum apparatum non contemnendum*, quod, nos fatemur, non ſatis capere, quod genus laudis ſit, niſi ſi copia orationis intelligatur, quam vix putamus eo loco laudari. Neque neceſſe fuiſſe arbitramur, ut *pag. 752, 94*, ἀμέλει verteretur: *Noli ſollicitus eſſe*, quod nil aliud eſt, quam *ſane*. Neque *Tomo II pag. 479* intelligimus, quæ ſint illæ *prenſationes*, quibus δεξιώσεις interpretatur, in quibus φιλοφρονεῖσθαι dicitur & jucundam ſe præſtare πρεσομιλῆσιν *Pantheæ*. Quod ſi dicerentur active de adeuntibus, poſſent intelligi; nunc illæ ſunt ipſius *Pantheæ*. Nam ſtatim poſt eæ jucundæ dicuntur eſſe adeuntibus. Eſt haud dubie δεξίωσις modus, quo *Pantheæ* adeuntes excepit voce & geſtu, Gallis *l' acueïl*. Verbi uſus rem ſatis declarat. *Ariſtoph.* in *Plut. v. 753* αὐτὸν ἡσπάζοντο καὶ ἐδεξιοῦντο ἅπαντες, ut alia loca mittamus. *Budæus* etiam *gratulationem* interpretatur; quod ferendum, ſi de eo ſermo, qui occurrit ei, cui gratulandum videtur. Ceterum in hanc verſionem ſibi hoc juris ſumſit *Reizius*, ut eam ad contextum refingeret, ſi qua reciperetur, idoneis de cauſis, lectio, *Geſnero* ignorata, & in univerſum, ſi contextus a lectione ea, quam in vertendo ſecutus erat *Geſnerus*, aberraret. In quo tamen non ſatis conſtans fuit. Nam, ut hoc utamur, *Tom. II pag. 37, 77*, verſio *Geſneri* exprimit ἀφειστήκει, *Reizius* autem in contextu poſuit ἐφειστήκει, neque quidquam de eo diſſenſu in notis

Digitized by Google

notis monuit. *Pag. 237* extr. recte recepta emendatio *Solani* e MStis legentis πράξεσι pro τάξεσι: sed in versione nil mutatum. *Pag. 281, 46*, παιδείαν (non παιδειὸν) pro παιδιὸν repositum est, sed *Iusus* in versione relictus. *Pag. 316* in versu *Homeri Gesnerus* vertit ὅτε. *Reizius* voluit ὅ τι divisim, ut in nota ait, (etsi in textu relictum ὅτι,) & tamen versio *Gesneri* τῷ ὅτε mansit. &c. Ceterum, cum interpretatio Latina *Tomi II & III* sit unius *Gesneri*, mirum videri potest, quomodo communicetur in titulo cum *Hemsterhusio*, cujus tamen, qua notas, mentio omissa.

Nunc, quoniam de contextu & interpretatione satis dictum est, ad Notas veniamus. In quibus hoc vellemus curatum esse, ut ne notæ plane inanes & supervacaneæ repeterentur. Scimus, hoc desiderari a doctis quibusdam Viris, ut eruditorum notæ integræ potius, quam excerptæ pro cujusque arbitrio, exhibeantur; sed id non pertinet eo, ut eadem res, leviſſima inprimis, ter quaterve ponatur, & pretium inde libri augeatur, ut hic factum est. *Tom. I pag. 629* in *Tyranno*, ad verbum ἄφαρεν, quinque notæ sunt, omnes sane supervacuæ, eædemque idem omnes dicentes. *Pag. 724* ad ὁ Φροντὶς Ἱππολεΐδη item quinque notæ. Sufficiebant Notæ *Solani* & *Gesneri*. *Pag. 768* de proverbio ἐπὶ ξηρὸς τὸν Αἰγαῖον sex Notæ inutiles. Idque fit pluribus locis, inprimis ubi locus aliquis ex *Homero* in contextu est, quem omnes interpretes indicant, nil præterea agunt. Est etiam, ubi per negligentiam inutilis *Bourdelotii* nota bis posita est, *Tom. I pag. 706*. Omnino sunt notulæ quædam, inprimis *Brodæi*, ita pueriles, ut talem editionem, non sane tironibus comparatam, haud deceant. Sed dicendum est paulo diligentius de notis *Solani*, *Hemsterhusii*, *Gesneri*, & *Reizii*, Virorum Clarissimorum.

A. 1720, cum *Hemsterhusius*, ut ante dictum est, animum ad curandam *Luciani* editionem adjiceret, multos jam annos eundem lapidem volverat *Moses du Soul*, seu, ut se ipse vocat, *Solanus*, Britannus, Vir Græce doctissimus, ante hos undecim annos mortuus, qui etiam specimen A. 1708 edidit (vid. *Tom. I pag. 820*). Ab eo illustratum emendatumque

Lucianeum exemplum, versione etiam castigata, acceperunt illo ipso anno, tribus autem post, additamentis quædam, bibliopolæ Wegleuii; a quibus primo Hemsterhusius, deinde Reizius, sumsere, ut inde, quæ essent Luciani emendandi illustrandique, depromerent. Itaque fecerunt, & notas illius per totum opus digesserunt. Sunt autem Solani notæ, breves quidem, sed elegantes, plurima doctrina refertæ, & quæ magnam diligentiam in comparandis MStis & editis Codicibus prodant, e quibus, non pigeat, quædam specimina afferre. Ac, ne commemoremus, quæ loca ille e MStis & editionibus antiquis restituit, in quibus diligentia magis, quam ingenium, his rebus subactum, & doctrina, cernitur, quasdam modo de emendationibus ejus excerpemus, quæ inprimis se probant. Talis est ea, qua in *Nigrino pag. 39* pro μετὰ reponendum censet μέγα: τί δὲ τὸ μέγα τοῦτό ἐστιν, ἐφ' ὅτῳ καὶ κομᾶς, quam etiam *Hemsterhusius* recte, quamvis repugnantibus MStis & editis libris, recepit: porro, quam *Tom. I pag. 820* in *Hermotimo* attulit. Ibi vulgo sic legitur: ὁμοίως γὰρ ἔξω τῆς ὁδοῦ ἐσμὲν, καὶ ἐν τῷ ὑπαίθρῳ, ὅτε παρὰ τὴν θύραν ἔξω ἐσὼς, καὶ ὁ πόρρω. Absurdum sane esse, recte judicavit *Solanus*, qui *foribus adstet*, dici *extra viam* esse. Itaque reponendum censuit: ἔξω τοῦ ὁδοῦ ἐστὶν, *extra limen est*, qui modus loquendi, etsi poeticus, tamen usitatus est *Luciano*, & in *Merced. cond. Cap. 23*, *Apol. Merc. cond. Cap. 5*, aliisque locis, reperitur. Eam emendationem cum in eo, quo diximus, *Specimine* legisset *Clericus*, proposuit probavitque ad *Menandr. pag. 250*, eaque ita arrisit *Reizio*, ut in contextum receperit, & ad eam versionem *Gesneri* refinxerit. Similis huic est, sed quæ facilius alicui in mentem veniat, atque adeo *Jensio Gesnero*que communis, cum in *Tyrannic. Tom. II pag. 142* pro vulgato ζῶντι legit ζῶν ἔτι, quod contextus necessario requirit, rectequé a *Reizio* in contextum receptum est. Item *pag. 124 Ver. Hist. II*, ubi *Rhadamanthus*, *Luciano* de reditu suo in patriam vaticinans, ait: τότε δὴ ἐφίζῃ ἐς τὴν μεγάλην ἤπειρον τὴν ἐναντίαν τῇ ὑφ' ἡμῶν κατοικουμένῃ. Recte judicavit *Solanus*, cum eoque *Gesnerus*, legendum ὑμῶν, rectequé in textum recepit *Reizius*. Item *pag. 137 ibid.*

Digitized by Google

137 *ibid.* ἡμᾶς ὑπεδέχετο πέλαγός τε πρόσηνες καὶ νῆσος ἡ μεγάλη, εὐπρόσιτως συνοικουμένη. *Solanus* hic in exemplo ſuo recte reſcripſerat: εὐπρόσιτος. Similiter *Geſnerus* legendum cenſuit, & id in verſione expreſſit. *Reizius* tamen non auſus recipere, quod in vulgata omnes libri conſentiant; quaſi non etiam in ſuperioribus locis ita ſit, ubi emendationes tamen recepit. Ceterum ſolet hoc facere *Reizius*, ut de emendationibus, *Solano* & *Geſnero* communibus, quæ ſunt permultæ, eas *Solano* tribuat: quod non alia cauſa videtur factum, quam quia illi prius in mentem venere; niſi forte, quod *Geſnerus* Germanus eſt. Ceterum non videtur hoc *Solano* datum fuiſſe, ut in notis ſcribendis modum delectumque ſervaret. Nam ſæpe res valde obvias illuſtrat, ut qui etiam de Pœcile Athenienſi notam habet *Tom. I pag. 58*, &, quoties nomen hominis obſcuri, de quo nemo quidquam ſcire cupiat, occurrit, addit: *De hoc nihil inveni.* Sed id genus notarum forte condonandum Viro Doctiſſimo videtur, quoniam ille fortaſſe juvenis quædam, ut fit, ad marginem ſcripſit, quæ ipſe non editurus erat, ſi ipſi datum fuiſſet, *Lucianum* edere. Eſt etiam, ubi præter cauſam tentat *Lucianum*; unde etiam *Hemſterhuſius* haud paucis locis ab ejus ſententia diſcedit: cujus rei exemplum eſſe poteſt hoc, quod *T. II pag. 133 Ver. Hiſt. Lib. II* pro ἐπεὶ δ' ἀπεκρύψαμεν αὐτὰς, ſuſpicatur: ἀπεκρύσαμεν αὐτὰς, cum vulgata longe ſit elegantior: *cum navigando ex conſpectu eorum abiſſemus*, comparanda cum illo *Callimachi* in *Epigr. 2*: ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν, & *Virgiliano*: *cantando condere ſoles*. *Tom. I pag. 663* in *Merced. cond.* locutus *Lucianus* de invenuſto amatore, cui amata ſemper pollicetur, nunquam ſui copiam facit, donec utrumque ſenectus opprimat, ut nec amare, nec amari, poſſint, addit: πέπρακται δ' ἔν αὐτοῖς οὐδὲν ἐν ἅπαντι βίῳ πέρα τῆς ἐλπίδος. Legendum cenſet *Solanus*: Παρὰ τῆς ἐλπίδος. Id multis probare ſtudet *Reizius*. Nam πέρα τῆς ἐλπίδος, ait, eſſe, *adeptos, quod ſperaſſent, nil ultra*: (mirum! quidnam ultra ſperata & optata aliquis petat?) *Lucianum* autem dicere voluiſſe, *nil, præter ſpem, adeptos*. Dicere ſane hoc *Lucianus* voluit: ſed hoc ipſum eſt οὐδὲν πέρα τῆς ἐλπίδος, idque

eleganter

eleganter ita exprimitur. Sic Latini dicunt *ultra verba*, aut *minas, nil facere.* Παρὰ τὰς ἐλπίδας ſunt, quæ, non ſperata, tamen eveniunt. Sed in hoc ſenſu παρὰ requirit accuſativum, ut apud D. *Paul. ad Rom. IV, 18*, quo uno tota illa conjectura evertitur, quodque is, qui ubique pueriles Grammaticorum regulas inculcat, non debebat ignorare, nec ignoraſſet, ſi legiſſet notam *Hemſterhuſii* ad *Nigrin. Tom. I pag. 72*, ubi recte pro παρὰ τὴν τελευτὴν, *in morte*, reponi jubet πέρα τῆς τελευτῆς, *ultra mortem.* Interdum etiam nobis viſus eſt *Solanus* nimis argutari in interpretando. Ejus rei exemplum hoc occurrit, quod in *Piſcatore Tom. I pag. 571*, ubi, capto *Luciano*, *Socrates* dicit ceteris Philoſophis, *Luciani* maledicentiam ulturis: Ποικίλον τινὰ ἐπινοῶμεν θάνατον κατ' αὐτὸ—καθ' ἕκαστον ἑπτάκις γὰρ δίκαιός ἐστιν ἡμῖν ἀπελωλέναι. Hic hæret *Solanus* in illo ἑπτάκις, propterea, quod ſex tantum Philoſophi nominentur; ſi quis autem *Socratem* addat ipſum, & *Ariſtippum*, octo efficiantur: neutri aptum eſſe ἑπτάκις. Vere hoc eſt argutari. Potuitne vir talis ignorare, modum iſtum loquendi intelligi de graviſſimo ſupplicio ac morte, ut Latinorum illud *bis mori*, & *mille mortes*, apud *Petronium*, ni fallimur?

De *Hemſterhuſii*, Viri Clariſſ. Notis, vix eſſe videtur, ut multa dicamus. Notæ ſunt dudum doctiſſimæ ejus ad Selectos Dialogos animadverſiones, nunc valde auctæ, ad alioſque Autores, e quibus facile quisque, quales ex ſint, quas in hac *Luciani* editione reperimus, divinabit. Ceterum in his Notis maluit ille, ut ait, ingenio ſuo nonnihil indulgere, quam multo faciliorem & nimis jejunam brevitatem conſectari. Itaque interdum voces quasdam & formas loquendi uberius explicavit, quam ratio notarum poſtulat, aut patitur, aliis ſimul ſcriptoribus, ubi res tulit, vel luce, vel medela, allata. In quibus præter *Heſychium* inprimis eſt *Philoſtratus*, cujus etiam noviſſimum interpretem, *Olearium*, multis locis recte caſtigat, paulo tamen acerbius interdum, quam vellemus. Jam ſunt iſta quidem Lexicis, aut Obſervationibus miſcellaneis, aptiora, ſed, quia magna parte exquiſita ſunt, feramus, immo grato animo accipiamus. Neque vero dubitamus, quin & libenter

ter & cum fructu lecturi sint omnes, quæ a Viro doctissimo de singulis verbis quibusdam & modis loquendi disseruntur, ut *Tom. I pag. 33* de verbis προελθεῖν, προέλευσις, πρόοδος, πρόεδος, *pag. 36* de πιτυοκάμπτης, *pag. 62* ἐπαυνίζειν, *pag. 63* ἐπιτειχίζειν, *pag. 80, 81,* διατιθέναι, *pag. 83* καταίρειν, *pag. 85* καθυφεῖναι, *pag. 101* ἀπολαύειν, *pag. 108* ὑπέραντλος, *pag. 167* de nota e Plephismatibus apud *Demosthenem* formula: τραγῳδοῖς καινοῖς, & *pag. 171* ὅ, τι περ ὄφελος, *pag. 345* de verbo ἐπελπίζειν, *pag. 349* de usu participii φέρων, *pag. 351* de verbo ἀποσμύχειν, *pag. 367* βρενθύεσθαι, *pag. 452* ἐπιδαψιλεύειν, *pag. 460* ἀποδεῖξαι, aliisque. Quibus ex disputatiunculis non solum Lexica locupletari & emendari, infinita Autorum loca rectius intelligi, interpretumque peccata animadverti, poterunt, sed etiam specimen capi a studiosis Græcarum literarum, varias ejusdem verbi significationes digerendi, a communique stirpe, veluti legitima successione, ducendi, tum ejus usum & quasi tempora distinguendi. Et, quoniam veremur, ne hoc Opus, propter pretii magnitudinem, ad paucos, in his quidem terris, perveniat, non ingratam rem nos speramus facturos, si vel unum exemplum, ne nimis longi simus, proponamus. Id e *pag. 367 seq.* sumtum erit, ubi exquisite, de verbo βρενθύεσθαι, disseritur. Id verbum raro veteres usurparunt, plebejum quippe; recentiores frequentius, quibus elegans & eruditum videbatur, verba antiqua, rara, & scenæ olim condonata, eruere, & eis scripta sua, veluti gemmulis, exornare: quo ingenio *Libanium* fuisse, eleganter describit *Eunapius pag. 134* ed. *Colon.* secus autem sensit, & fecit, *Apollonius Tyanensis*, ut autor est *Philostratus pag. 21* ed. *Lipsi.* Id verbum autem, quam vim habeat, facilius exemplis declares, quam, unde ducatur, aperias. Grammatici repetunt a βρενθίω, seu βρενθέω, unguenti Lydii genere æstimatissimo. *Pollux VI, 104.* Id sine dubio, ut alia unguenta, nomen traxit a radicibus, unde fieret. Cypriis certe βρένθις, vel βρένθιξ, erat θρίδαξ, autore *Nicandro* apud *Athenæum pag. 69,* & *Hesychio*, qui & βρενθινὰ commemorat, radices, quæ mulierum genas rubro colore inficiant. *Etymologus* habet βρενθία, velut diminutum e βρένθος,

θος, quod verbum ipſe affert *pag. 230*: βρένθος, βρένθειον ἔσι δὲ εἶδος πολυτελῶς μύρε. Qualis autem fuerit βρένθος, haud facile eſt definire. Sed, hunc eſſe fontem verbi βρενθύεσθαι, haud concedit Vir Cl. quod & vera interpretandi lex, rum contorta ſignificationis explanatio, repugnat, quaſi nempe βρενθύεσθαι dicantur ſuperbi, quod hi libenter unguentis utantur, ut habet *Helladius* apud *Photium pag. 870*, & ex eo *Etymologus pag. 212*. Ipſi autem βρένθος primario ſignificare videtur *tumorem*, ὄγκον. Certe apud *Athenæum pag. 611* eſt διὰ τὸν βρένθον ὑμῶν τὸν πολὺν, *propter magnitudinem ſuperbiæ veſtræ*, qui illud verbum, pro more ſuo, ex angulo aliquo veteris ſcriptoris erutum uſurpavit. *Euſtathius* etiam ad *Il. Δ'. pag. 691*: τὸ βρένθος ἐπὶ ὑπερηφανίας παρὰ τῷ Κωμικῷ - - - ἐξ ὧν ῥῆμα τὸ βρενθύεσθαι, ἦγον κατατρυφᾶν ἀλαζονικῶς. Jam Grammatici variis modis, quos Vir Clariſſ. omnes affert, interpretantur, ſed nullus eſt, qui non ex illa primaria ſignificatione repeti & explicari poſſit; neque negandum eſt, eam diverſitatem ſtructuræ in verbo βρενθύεσθαι obſervari, ut, quamvis ii modi inter ſe ſatis magno diſcrimine differant, tamen eos, pro indole ſententiæ & contextus, omnes admittat. Non una vice verbum hoc uſurpat *Ariſtophanes*, cujus notiſſimus locus eſt *Nub. v. 361* de *Socrate*: ἔτι βρενθύει ἐν ταῖσιν ὀδοῖς, ad quem multi ſcriptores alludunt. Ibi Scholiaſtæ interpretantur, ἀπεσεμνύνεσ σεαυτὸν ἐν τῷ σχήματι, ut appareat, *Ariſtophanem* voluiſſe ſpeciem hominis arrogantis exprimere. Paulo aliter ſcarabæus in *Pace v. 26*: ὑπὸ Φρενήματος βρενθύεται τε καὶ Φαγεῖν οὐκ ἀξιοῖ. Scholiaſtæ: μέγα Φρονεῖ, *magnificum ſe facit, multumque ſibi arrogat*. In *Lyſiſtrata v. 887* de uxore moroſa dicitur, quæ maritum faſtidit, & ſuperbe tractat, ἃ δυσκολαίνει πρὸς ἐμὲ καὶ βρενθύεται, ſimiliterque *Libanius Decl. VII pag. 320, Orat. XV pag. 437*. Sæpe eſt etiam *iracunde indignari, ipſoque vultu & oris habitu indignationem profiteri*. *Lucianus Merced. cond. Cap. 37*: ἅπαντες δ' ἂν ἀπαλλάττονται λαβόντες, ἔτι καὶ βρενθυομένοι, ὅτι μὴ πλείω ἔδωκας. Sic eſt etiam apud *Athenæum IX pag. 383*, *Ælianum de Animal. V, 36*. Singularius formulam loquendi concinnavit *Lucianus* in *Tim.*

Digitized by Google

in *Tim. Cap. 54*: βρενθυόμενός τι πρὸς αὐτὸν, *vultu ſevero meditabundum incedere*. Magis eſt vulgatum, ut ἐπὶ adſciſcat, *Athenæo XIV pag. 625*, *Themiſtio Or. XXIII pag. 291*, *Or. XXIX pag. 346*; rarioris uſus eſt illud *Plutarcho pro nobilitate §. 8*: πότερον ἐκεῖνος τοσοῦτον περιπλάκισεν τὴν εὐγένειαν, ὅσον σὺ βρενθύει, & *Zachar. Scholaſtico de Opif. M.* init.: καὶ νῦν βρενθυόμενος ἔναγχος σοφός. Ex his ſimul intelligitur, parce ſcriptores priſcos, creberrime recentiores, uſos eſſe. Sed inprimis frequentat *Theodoretus*. Apud *Agathiam* quoque ſæpius occurrit, quam notatum eſt a *Suida*. Ceterum ex his locis etiam, ut ex notis *Hemſterhuſianis* in univerſum elucet, infinitæ propemodum lectionis copia. Neque vero pœnitebit quemquam legiſſe, quæ Vir Clariſſ. recondita & exquiſita *pag. 281* de Διοσκόροις, & *pag. 330* de *Hecates cœna*, propoſuit; quæ huc transferre longum foret. Quos autem maxime κρίσις juvat in emendando conſtituendoque textu, hi quoque reperient in his notis non pauca, quibus delectentur. Nam, ut pauca afferamus, capitalis ſane emendatio eſt *Dial. Mort. I*, cum pro πάντα μία ἡμῖν κόνις Φασὶ, κραναία γυμνὰ τᾷ κάλλει, legere jubet πάντα μία Μύκονος. Nam primo, πάντα μία ἡμῖν κόνις, etſi *Eraſmus* & *Scaliger* in proverbia retulere, tamen proverbii ſpeciem & characterem non habet. Deinde quorſum illud ἡμῖν? Neque ſatis aptum μία κόνις. Satis erat πάντα κόνις, ut in *Anthol. I, 13, 14*: πάντα γέλως, καὶ πάντα κόνις, καὶ πάντα τὸ μηδέν. Nec denique ſatis conveniunt μία κόνις & κραναία γ. τ. κ. Hæc omnia tolluntur laudata illa emendatione. Nam illud πάντα μία Μύκονος eſt proverbium, celebratum apud veteres, & nota poteſtate de rebus diverſi generis, quæ ſine ullo ordine & diſcrimine in eundem locum & conditionem coguntur, apud *Plutarchum Symp. pag. 616*, *Clementem Alex. Strom. I pag. 355*, *Themiſtium Or. XXI*, &c. Par huic emendationi eſt altera *Dial. Mort. 20*, ubi in vulgata ſic *Menippus*: ἐκεῖν ἀλλὰ προσπτύξομαί γε πάντως ἀνδρογύνῳ ὄντι, pro quo legendum cenſet προσπτύσομαι. Sed hæc jam olim propoſita eſt, nunc pluribus confirmata. Illam quoque facile elegantiores probent, quæ eſt ad *Prometh. Cap. 3 pag. 27*. *Lucianus*

sit: ἐμοὶ μὲν οὐ πάνυ ἱκανὸν, εἰ καινοποιεῖν δοκοίην· μηδὲ ἔχει τις λέγειν ἀρχαιότερόν τι τῦ πλάσματος, ἢ τῦτο ἀπόγονόν ἐστιν &c. Est sane fatendum, posse illud ἀρχαιότερον defendi & explicari. Sed Vir Clariss. putat, necessario hic scripsisse *Lucianum* ἀρχέτυπον, vocem in hac re propriam, & hoc ipso loco paulo ante usurpatam: ἀλλὰ τὸ καινουργὸν τῦτο ἐπαινῶν, καὶ μὴ πρὸς ἄλλο τι ἀρχέτυπον μεμιμημένον, tum alibi *Imagin. §. 15, 17.* Adde, verbum πλάσμα elegantius longe ἀρχετύπῳ, quam ἀρχαιοτέρῳ, jungi, & necessario ἀρχέτυπον requirere. Atque tales emendationes, in quibus elegans judicium, & ingenium multa & exquisita lectione subactum, tum modestia quædam, cernitur, pluribus locis, si ex hac parte diligentius inspicere Virum velis, (dignus autem est, quem inspiciant, qui in hoc genere proficere cupiunt,) reperias, v. g. *pag. 44, 52, 55, 62, 78, 83, 89, 95, 314, 390,* &c. Ceterum, cum *Lucianus* absolutus in publicum proditurus erat, Vir Clariss. iterum excussit, quæ ante aliquot annos scripta erant, & quædam, inprimis admonitu *Gesneri,* cujus doctrinam & acumen mirifice extollit, vel emendavit, vel addidit. *Tom. I pag. 373 b.* spem videtur facere *Thomæ Magistri* edendi. In quo merito monendus est illud ipsum, quod *pag. 433 b.* ipse *Dorvillium* monuit de *Anthologia*, ut, se tanto gratiore munere literarum amantes sibi obstricturum, putet, quo citius *Thomam Magistrum* debere desierit.

Gesneri, Viri Clariss. notæ sunt eæ quidem pleræque breves, sed elegantes, doctæ, atque ejusmodi, ut virum lectione, cum aliorum Græcorum scriptorum, tum *Luciani* inprimis, tritum, in emendando pariter atque explicando egregie ingeniosum & felicem, probent. Atque, ut taceamus emendationes eas, quas habet cum *Solano* communes, quæ sunt permultæ, ut jam antea exemplis indicavimus, easque, quæ sunt a *Solano* e MStis etiam prolatæ, ex quibus inprimis felicitas & elegantia emendandi elucet, ut, cum v. c. *Tom. I* in *Reviviſc. Cap. 48* in verbis: τίς ἐι, ὦ βέλτιστε ἰχθύων; ἄνων ἔτός γε, reponi voluit κύων, quod in MSto invenit *Solanus*, & in textum intulit *Reizius*: item *Tom. II Quomodo hist. scrib. Cap. 42* extr. pro ἐν χρῆσθαι τοῖς ἐν πόλεσι ἐν πᾶσι,

ποσὶ, ipſum quoque repertum a *Solano* in MSto *Golmanni*, rectèque receptum a *Reizio*: in *Toxari Cap. 1* pro καὶ τιμῶμεν ἀποθανόντας, καὶ τιμῶντες, quod etiam inventum eſt in *Collectaneis Gallei*, &c. ut tales, inquam, mittamus, proferemus tantum, poſt capitalem illam, quam ſupra commemoravimus, quasdam ipſi proprias. In *Vitarum Auctione Cap. 6, Pythagoras*, de faba loquens, oſtendere inſtituit, eam τὸ πᾶν γονὴν eſſe. Nam, ſi viridi fabæ cuticula detrahatur, genitalium virilium figuram cerni, ſin cocta aliquot noctes in aura deponatur, fieri αἷμα. In hoc verbo dubitatio mota *Geſnero* eſt. Nam *Porphyrius Vit. Pyth. Cap. 44*, ſi hoc fiat, dicit, fabam redolere ἀνθρώπινον φόνον: *Pſeudo-Origenes Philoſophum. pag. 42* ed. *Wolf.* ἀνθρώπινον γόνον. Pugnantes hos duos facile ſit componere, ſi in *Porphyrio* legas γόνον pro φόνον. Sed φόνον videtur ſuadere *Luciani* αἷμα. Rurſus φόνῳ obeſt, quod ſanguis e cæde non aliter olet, quam ſanguis e pertuſa vena, aut e naribus; αἵματι autem, quod odorem aut nullum habet, aut non diſſimilem odori e ſanguine brutorum, cum ſemen contra odorem habere dicatur, *Lucianus* etiam ante dicat πᾶν γονὴν εἶναι. Poſſit itaque alicui in mentem venire, pro αἷμα eſſe legendum σπέρμα, aut ſaltem αἷμα de ſemine eſſe capiendum. Sed nihil Vir Clariſſ. definit. Nam forte *Luciano* de alia re ſermo eſt, de alia *Origeni* & *Porphyrio*, præſertim cum hi in ſole ponant fabam dentibus levigatam, *Lucianus* elixam in luna. Ceterum in contextu male, operarum errore, ante αἷμα interrogandi nota poſita eſt. In *Merced. cond. Cap. 8*: ἄτις ἡδονῇ χαίρεις, καὶ ταύτην ἐξ ἅπαντος θεραπεύεις. Hic *Geſnerus* reponendum cenſet θηρεύεις, quod ſane & τῷ ἐξ ἅπαντος & ſequenti verbo μεθέξεις, magis convenit. Sed tamen & *de ſcrib. hiſtoria Cap. 13* verbum θεραπεύειν hoc ſenſu, quanquam alia ſtructura, ponitur: Καὶ τὸ χρειῶδες, ὅ, τι ἂν ἐκ τῆς ἱστορίας ἐλπίσωσι, θεραπεύοντες, ut alia loca taceamus. In *Abdicato Cap. 13*: τὸν ἐφηθέντ' ἂν δικαίως, ἐφ' οἷς ἀδίκως ἐξεβέβλητο, μὴ μόνον δ' μνησικακήσαντα &c. Manifeſtum eſt, ἐφηθέντα hic abſonum eſſe, hæſitque adeo *Solanus*, nec ſe expedire potuit. *Geſnerus* autem planiſſime reſtituit,

legens: μνηθέντα, quæ emendatio ita manifeste vera & neceſſaria eſt, ut haud dubie in contextum recipi debuerit. In *Alexandro Cap. 38*: καὶ πρὸς μὲν τὰς ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, ταῦτα καὶ ταῦτα προσεμηχανᾶτο. In articulo τὰς hæſit curator editionis *Baſilienſis ſec.* qui dedit τὲς, e conjectura. *F. Guietus* intelligebat πόλεις, quod probare videtur *Reizius*. Sed ita res non expeditur. Nullæ enim πόλεις in ſuperioribus, ſed ſola Roma. Certum igitur eſt, de *Geſneri* judicio legendum eſſe τά. In *Lexiph. Cap. 11 Eudemus* quidam inquit: καὶ τὰ μὲν πιττῶν, τάδε ἔνων διετέλεσα. Pro πιττῶν habent alii πυττῶν. Sed neque hoc quis facile explicet, neque illud ſatis aptum. Huic incommodo mederi tentat *Geſnerus*, legendo πέσσων, vel πέττων, πέπτων, ut hoc ſit *coquere*, alterum *aſſare*, pro quo quidam forte tum τὸ ἔνειν dixerunt, riſi hoc loco propterea a *Luciano*. Ingenioſum etiam eſt, quod *ibid. Cap. 23* in his verbis: μὴ μιμεῖσθαι τῶν ὀλίγον πρὸ ἡμῶν γενομένων σοφιστῶν τὰ φαυλότατα, μηδὲ περιεθίειν ἐκεῖνα — ἀλλὰ — καταπατεῖν, legendum ſuſpicatur περιέπειν, *curare*, &c. pro περιεθίειν. Duplex porro conjectura ab eo proponitur ad *Demonact. Cap. 11*: μῖσος ὲ μεῖον τῦ παρὰ τοῖς πλήθεσιν ἐκτήσατο &c. Prima, quæ eſt ei cum *Solano* communis, ut deleatur τῦ, & ὲ μεῖν μῖσος ſit *odium non minus*, ſcilicet *ſuperiore admiratione*; altera & propria *Geſnero*, eaque haud dubie elegantior & veriſſima, ut omiſſum ſit nomen *Socratis*, cujus philoſophiæ & vitæ paulo ante *Cap. 5* æmulus *Demonax* dicitur fuiſſe. Nam ſtatim ſubjicit *Lucianus*: Καί τινες ἐπ' αὐτὸν συνέῤῥησαν Δίυτοι καὶ Μέλιτοι. Sed in eodem *Demonacte* alia capitalis emendatio eſt ad *Cap. 48*: ἕνα γῦν ἰδὼν Κυνικὸν, τρίβωνα μὲν καὶ πήραν ἔχοντα, ἀντὶ δὲ τῆς βακτηρίας ὑπέρογκον κεκραγότα καὶ λέγοντα &c. *Solanus* vidit, hunc locum laborare. Itaque volebat, pro ἀντὶ legi ἄνευ. Sed dictum *Demonactis*, quod ſequitur, ita explicari non magis poteſt. Certiſſimum autem eſt, e ſententia *Geſneri* legendum eſſe ἀντὶ δὲ τῆς βακτηρίας ὔπερον, *piſtillum*, quod etiam τρίπηχυ habet *Heſiodus* Ἐργ. v. 423 (non *ſ.* ut expreſſum eſt,) & quod lignum ſimplex, longum, teres, capitatum,

Digitized by Google

capitatum, ſignificare poteſt. Illud ὑπερον aut in vulgatum ὑπέρογκον commutatum eſt, aut ab eo abſorptum. Illud autem verbum hoc loco deſiderari, dictum *Demonactis* docet, qui, cum illum Cynicum vidiſſet, eum dixit eſſe Ὑπερίδου μαθητήν. Itaque *Reizius*, V. C. hanc emendationem ſine dubitatione in textum recipere debebat. Sed, ut diximus, Vir doctus in hac parte parum conſtanter verſatus eſt. Plures his ſimiles afferre poſſemus, ſi ex omni Opere notatas narrare locus pateretur; ſed, ne nimis longi ſumus, eas quærendas relinquamus ſtudioſis, & ad *Reizianas* notas veniamus. In quibus hoc primo vehementer mirati ſumus, quod Vir doctus adeo multis puerilibus λεπτολογίαις hanc editionem oneravit & maculavit, easdemque adeo interdum ad nauſeam uſque repetiit, quaſi lectores habiturus eſſet tales, quales forte in ſchola Trajectina rudimentis Græcæ linguæ imbuit: deinde, quod notas ſcripſit de rebus & verbis iis, quæ etiam pueris nota ſunt, rebus contra obſcuris prætermiſſis, ut cum *Grævii* κυλλάραβιν σπείρειν recipit quidem in textum *Tom. I pag. 718*, ceterum non magis, quam *Grævius*, explicat, quomodo id intelligi debeat, & unde proverbium ductum ſit, quomodo proverbium factum: porro manifeſtos errores typographicos, non modo in textu, ſed etiam in notis ſuperiorum interpretum, non tollit, ſed relinquit, & de iis notas facit. Illud etiam obſervavimus, eum ex Obſervationibus *Elſneri* in Nov. Teſt. magnum numerum notularum petiiſſe. Nam, quoties *Elſnerus Lucianum* in illuſtrando aliquo verbo Nov. Teſt. aut Φράσεις ad partes vocavit, toties ille ad illum *Luciani* locum notam facit, quamvis trita & obvia in re, ut cum *Tom. I pag. 749* de verbo ἀποδιδόναι monet ex *Elſnero*, dici de data mercede. Quædam etiam notæ manifeſte ſunt diverſis temporibus ſcriptæ & repugnantes. Sed, ne injuriam facere videamur, exempla proferemus ex uno *Tomo II*, ut lectores ipſi judicare poſſint. Primi generis quidem *pag. 71* eſt nota de accentu dictionis encliticæ, *pag. 80* longa nota de augmento plusquamperfecti, eaque res pluribus locis inculcata, ut *pag. 486, 499*, laudato ſemper *Jungermanno* ad *Longum*, cum jam breviter, ut decebat,

de

de eo dixiſſet *Hemſterhuſius* ad *Tom. I pag. 258*: *pag. 81* de ſpiritibus in αυτῦ, &c. & *pag. 134* in ἀδρὸς: *pag. 347*: κἂν utrum cum jota, an ſine jota, ſcribendum: *pag. 460* ὄιει eſſe attice pro ὄιη: *pag. 488* de articulo numeri dualis: *pag. 507* utrum ἐκ ποδῶν, an ἐκποδῶν, ſcribendum: *pag. 508* αλλαὶ apud *Lucianum* eſſe ſequente vocali rariſſime cum apoſtropho, & eſt tamen ſtatim *Cap. 3*: *pag. 509* de duobus participiis ſine copula longa nota, de eademque re etiam alibi dictum: *pag. 536* dici ἐκ παιδὸς & ἐκ παίδων, ſed hoc tamen uſitatius, Latinis utrumque æque frequenter: *pag. 537* longa nota, utrum ἐμπολεῖν, an ἐμπωλεῖν, ſcribendum, &c. Jam quis deſideret, hic illuſtrari ὁδὸν pro *ſecta*, καπηλέυειν, παῖδας γραφέων, genitivum participii pluralis pro imperativo, πρῶτα pro πρῶτον (*pag. 59*) longa nota, ἐλπίδα de rebus triſtibus *pag. 143*, ubi recte addit: *& jam nimius fui in vulgaribus*: τῳ pro τινι *pag. 148*: græciſmum ἔλαθε κατηγορῶν, *pag. 265*: de dativo pleonaſtico σοι *pag. 268*, &c. Cui porro non indigna videantur hæc: *Tom. I pag. 872* in nota *Bourdelotii* laudatur *Heliodorus* Εργ. *Lib. II*: ἀιεὶ δ' αμβωλίεργος &c. Omnes vident, hic duo eſſe peccata typographica. Ea, ecce, relinquit *Reizius*, & de iis notam facit. *Tom. II pag. 189* in nota ex *Jenſii*, V. C. *Lectionibus Lucianeis* ſcriptum erat προσφοξότων & ἐφοξότες, errore haud dubie operarum, ο pro ω poſito. Suſtulit ergo *Reizius*? Non, ſed notam ſat longam de eo addit, & *Jenſium* docet, quomodo ſcribendum fuerit. *Pag. 266* vulgatæ habent ὁμιλητικὸς. Bonus corrector repoſuiſſet tacite ὡμιλητικὸς. Noſter autem primo illuſtrat verbi protritam ſignificationem, deinde, modeſtia quadam critica, ὁμιλητικὸς in contextu relinquit. *Ibid.* in nota *Grævii* errore operarum καταυλόμενος expreſſum eſt, pro καταυλέμενος. Errorem operarum eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod in iis locis Autores, qui laudantur, habent καταυλέμενος, deinde, quod *Græviana* editio ſic habet in contextu. *Reizius* autem hunc errorem non emendavit, ſed notam poſuit, in qua miratur, cur *Grævius* ſic ſcripſerit, & hanc ſcripturam refutat. Mirabile eſt etiam illud, quod *Tom. I pag. 803* ad πίθος Δαναϊδῶν ſcribit. *Apud alios*, inquit, *ſcribi-*

tur

tur Δαναΐδων. *At Edd. Vett. habent* Δαναϊδῶν: *recte, ſi ab recto* Δαναΐδης *formetur, quod tum communis generis credendum; id quod tamen vix mihi perſuadeo.* Immo vero, quod eſt contra certiſſimas regulas grammaticas. *Rectius cum Suida* Δαναΐδων *ſcribendum exiſtimo.* Bene. Quid ergo? *Interim, conſtantem Vett. Edd. lectionem expreſſiſſe, fraudi mihi non eſt.* Immo eſt. Scribendum erat Δαναΐδων, & tota hæc nota omittenda. Quid enim futurum eſt, ſi tam manifeſta peccata typographorum non modo in textu Autorum relinquentur, ſed etiam notæ tam longæ de iis addentur? Hoc ſi faciendum eſt, aliquando, qui poſt *Reizium Lucianum* edet, largam in hac editione notarum talium materiem reperiet, ut ſupra indicavimus. Jam, ſi quis notas videre cupit diverſis temporibus ſcriptas, & ſibi repugnantes, videat, quæ *Tom. I pag. 748* de plurali πλεῖστοι, *Tom. II pag. 528* de regimine præpoſitionis ἐπὶ, dicuntur, ut alias taceamus. Non ægre feret, hæc ſibi dici, Vir doctiſſimus, & exempla ſua, quæ in *Jenſium Græviumque* edidit, æquo animo patietur. In quibus etiam eſt hoc, quod *Tom. II pag. 109* tragœdias facit in eo, quod *Grævius* pro κατηγορεῖτο ſcribere juſſit ἐκατηγορεῖτο. Ceterum illud libenter fatemur, in notis ejus etiam multas eſſe bonas & lectu dignas, quibus vel emendatur, vel illuſtratur, Autor. Si Vir doctus maluiſſet ſcribere bonas, quam multas, & ſibi, & lectoribus, & *Luciano*, melius conſuluiſſet. *Tom. I* in *Alex. Cap. 20 Lucianus* dicit, *Alexandrum* libellos conſulentium obſignatos reddidiſſe, & reſponſionem ὑπογεγραμμένην. Hanc lectionem defendit contra alteram ἐπιγεγραμμένην, natam ex eo, quod ex ſequentibus appareat, non ſubſcriptam intus, ſed inſcriptam extrinſecus fuiſſe, oſtenditque, ὑπογράφεσθαι reſpondere τῷ ὑπολαβεῖν. Itaque etiam in verſione *Geſneri*, quæ vertit: *ſubſcribere*, addidit *inſcribere*. Sed vellemus primo, Vir doctus attuliſſet exemplum verbi ſic uſurpati; deinde ei repugnant verba in *Cap. 20*: ἀνεγίγνωσκέ τε τὰς ἐρωτήσεις ἑκάστας, καὶ τὰ δοκοῦντα πρὸς αὐτὰς ἀπεκρίνατο, εἶτα κατειλήσας αὖθις &c. ubi manifeſte reſponſum medium facit inter libellos ſolutos & iterum obſignatos. Et fuit res hoc magis

miraculosa & divinæ similis, responsa subscripta esse, libello non soluto; cujus generis exempla etiam alia sunt apud *Dalenium* de Oraculis. Contra recte *ibid. Cap. 25* μολυβδαίνας adversus *Solanum*, legere jubentem μολυβδίνας, defendit, & *Salt. 26* recte pro τρίτη reponit τρίτης, quod sequentia σκιαγίδος προσλαμβανομένης necessario requirunt: σ absorpsit initialis τῆς σκιαγίδος: idque haud paulo melius est *Gesneriano* τρίτον. Recte porro *ibid. 52* pro vulgato νηῶν recepit, de *Leopardi* conjectura, νέων. Probanda etiam, quæ *Imag. 13* dicit, ut ostendat, παραδυόμενος esse præferendum alteri lectioni, a *Gesnero* defensæ, παραβυόμενος: & ejus generis multa sunt alia, quæ, ne nimis longi simus, prætereunda sunt. Ceterum inprimis in hac editione desideramus *Indicem verborum*, inprimis cum *Hemsterhusius* & ipse *Reizius* lectores interdum ad eum amandent. Vid. *Tom. I pag. 87, 98, 133, Tom. II pag. 266.* Sed illud etiam dicendum est, non esse istam culpam *Reizii*, qui *Lexicon Lucianeum* diligentissime confectum habuit; sed nimium ille arbitrii *Wetsteniani* fuit. Bibliopola noluit adjicere, ne magnitudo & pretium libri nimis augeretur, quod vel sic tantum est, ut facile eos, quibus non satis res ampla domi est, deterreat. Erit fortasse, qui, boni publici causa, *Lucianum* & emendatiorem, & notis inutilibus minus laborantem, & Indicibus necessariis instructum, dabit.

GRAMMATICA LINGUÆ SYRIACÆ Institutio, Autore ANTONIO ZANOLINI, J. U. D. & in Seminario Patavino Linguarum Orientalium Lectore. Ad usum ejusdem Seminarii.

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfrè, 1742, 8. Plag. 12.

Quanto iniquius ætate nostra agi videtur cum nobilissimis prisci Orientis literis, quarum pretium ususque multiplex, in disciplinis præsertim sanctioribus, a pauciſſimis pro dignitate expenditur, tanto majori laudis ornamento condecorandi sunt, quotquot omni virium contentione pro iisdem, a communi

communi contemtu vindicandis, annituntur, politiſſimis ingenii monumentis in lucem prolatis. Quam quidem laudem non poſſumus non omni jure conferre in Autorem doctiſſimum libelli præſentis, cui nihil deeſſe intelleximus, quo literaturæ Syriacæ cupidis omni ex parte ſatisfieri, pleniorque illius cognitio facili expeditaque via inſtillari, poſſit. Recte conqueritur Vir Clariſſ. in Præfatione de exiguo numero eorum, qui ad tractandas ſerio Eoas literas animum applicent, nec minus inſcite ignorantiam linguarum, velut multorum, eorumque graviſſimorum, errorum matrem, fontemque veriſſimum, conſiderent, ex quo etiam profluxerit lapſus eorum, qui *Act. VIII, 27*, ex *Regina Candace* ſatis imperite *regnum* aliquod, *Candaciæ* nomine ſalutatum, exſculpſerint. Juſtis extollit laudibus Romanorum Pontifices, cum Conciliis, quorum conſilio in Academiis quibuslibet doctores linguarum conſtituti. Removet etiam quorundam objectionem, ab eruditione orientali, fere omni, temporibus noſtris in Latinum ſermonem translata, arceſſitam, cui vim idiotiſmorum orientalium, ſermonis Latini genio minus commode exprimendam, opponit. Præterea & autoritate *Hieronymi ad Pammachium*, itemque *Chryſoſtomi Homil. 17* in *Matthæum*, ſuæ præſidium ſententiæ affert. Conficit ex antea diſputatis, dari omnino neceſſitatem ſtudii linguarum, acriori induſtria excolendi, ad cujus faciliorem tractationem ipſe hunc librum in uſum juventutis, ſibi commiſſæ, divulgavit, quo tamen ſimul commune commodum haud parum promovit. Eadem in Præfatione de Grammatica Syriaca, a Patriarcha Antiocheno e monte Libano, *Joſepho Acurenſi*, confecta, & juſſu Cardinalium Congregationis de propaganda fide A. 1647 typis exſcripta, haud incongrue judicat, eam ſolum a Syris, quorum in ſermone tota fuerit conſcripta, non a Chriſtianis, converti in uſus poſſe. Venitur jam ad librum ipſum, *XLIV Capita* complexum, quorum omnium ſummam exhiberemus, niſi, quemvis lectorum facile ſubodoraturum, præviderem, quæ in ejusmodi grammaticis inſtitutionibus tradenda ſint atque expedienda. Satius itaque erit, ſi aliquot tantum obſervationes ſelectiores, ſubinde inſperſas, de ingenii

Autoris elegantia ſpectatiſſimum teſtimonium exhibentes, de-
Pag. 1. cerpamus. Non improbanda eſt querela, quam in fronte libri præmittit Doctiſſ. *Zanolini*, multa ſermonis Syriaci characteribus Hebraicis ſæpenumero, ob defectum typorum, exſcribi, ex qua tamen linguarum confuſione uno plura dimana-
5. re incommoda, eidem prorſus largimur. Cum Syri, æque atque Hebræi, numeros etiam literarum ſignis exprimant, dignum notatu judicat Autor, in eo ab Hebræis diſcedere Syros, quod numerum 15 non, ut illi, per ܐ scribant, ſed per ܛ, eamque ſcriptionem ab ignorata ſuperſtitione nominis יהוה,
9. velut שם המפורש, arceſſit. Obſervatum etiam a nonnullis meminit, ܒ Syrorum, cum ſine Kuſchoi ſemper inveniatur, ubique ut φ Græcorum eſſe efferendum, id quod etiam de ב Hebræorum a *Jo. Druſio* obſervatum fuerit. Cui tamen obſervationi ſua vix conſtabit integritas, ſi animadvertatur, & literam ܒ Syrorum, & ב Hebræorum, innumeris in locis Kuſchoiatam ac Dageſchatam reperiri. Kuſchoi ipſum a quibusdam pro Dageſch forti haberi, indicat, ad eamque claſſem *Buxtorfium*, *Waſerum*, *Maſium*, refert, a quibus tamen alii diſceſſionem faciant, pro Dageſch leni pugnantes, ut *Ludovicum de Dieu* & *Hottingerum* ſenſiſſe conſtat. Noſter, in hac dijudicanda controverſia, partibus ſe adjungit *Leusdeni*, & Kuſchoi Syrorum, qua pronuntiationem antiquam, pro Dageſch forti haberi jubet, qua recentiorem vero, pro Dageſch leni.
10. Antiquos Syros Kuſchoi vere legiſſe, & ad modum Dageſch fortis pronuntiaſſe, ex vocibus ܐܒܐ & ܐܒܐ declarat, quæ in tabulis Novi Fœderis Ῥαββὶ & Ἀββᾶ, vel Αββᾶ, exprimuntur.
11. 12. Erudita ſunt, quæ de Pſalmis, ab *Erpenio* editis, politiſſimus *Zanolini* adduxit. Edidit illos *Erpenius* ex antiquiſſimis Codicibus MStis, cum adjuncta verſione Latina, A. C. 1625. Uſus eſt Codice MSto duplici, ex Oriente aſportato, quorum alterum inde attulit Clariſſ. *Jo. Borelius*, alterum ex Oriente nactus eſt ipſe *Erpenius*. A vocalibus abſtinuit, ut eo accuratius exhiberet typum exemplaris, manu exarati. Cum autem intelligeret, dari diſſenſionem verſuum Syriacorum cum inter-

interpretatione vulgata, hujus verſionis diſtinctiones ad marginem adjecit. Annotationes ſubjungere conſtituerat, ſed, morte præventus, exequi propoſitum non potuit. Defertur etiam Pag. 45.
Autor Clariſſ. ad eam controverſiam, quæ agitata fuit inter Grammaticos de terminationibus pronominum & verborum, ⲁ & ⲟ, utrum legendæ ſint, an in lectione plane prætereundæ, ſtatque a ſententia *Buxtorfii*, *Hottingeri*, *Waſeri*, qui, legendas eſſe, præcipiunt. Quinque fulcris hanc ſuam communivit ſententiam, quorum ultimum redit ad morem Syrorum antiquorum, a pronuntiatione haudquaquam abſtinentium, id quod ex vocibus σαβαχθανὶ, & ταλιθακοῦμι, Doctiſſ. *Zanolini* conficit, quæ apud Syros in verſione ܫܒܩܬܢܝ & ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ ſcribuntur. Qua tamen in re recte forſan diſtinxerit quis linguam duplicem, quarum una ſuperiori temporum memoria, altera ætate noſtra, uſu recepta inter Syros eſt, cum alia ſit lingua, quæ Syro-Chaldaica, alia, quæ Syra dictitatur, alia Hieroſolymitana, alia, quam Maroniticam, Comagenam, atque Antiochenam, nuncupamus. Priori, non poſteriori, convenire exempla adducta, largimur, quamobrem & pronuntiatio affixorum ſoli illi, non huic, debetur. At, recentiores Syros abſtinere a ſono terminationum, Syri ipſi clariſſimi, *Gabriel Sionita* & *Georg. Amira*, qui nobis Inſtitutiones linguæ Syræ grammaticas dederunt, declarant. Immota igitur adhuc ſtare videtur negativa ſententia, quam ex noſtris *Beveridgius*, *Ludov. de Dieu*, *Danzius*, *Opitius*, aliique, ſunt ingreſſi. Hæc uberiori Autoris Cel. meditationi relinquimus, qui eidem, ejusque laudatiſſimo inſtituto, toti favemus, fauſtosque ac fortunatos laborum ſingulorum ſucceſſus haud infucato amoris affectu comprecamur.

LEXICON SYRIACUM, AB ANTONIO ZANOLINI, J. U. D. in Seminario Patavino Linguarum Orientalium Profeſſore, collectum, voces omnes, quæ in Novi Teſtamenti translatione Syriaca inveniuntur, complectens. Accedit ejusdem Autoris Diſputatio de

Lingua Syriaca, Verſionibus Syriacis, & de Maronitis, quibus præcipue nunc lingua Syriaca in uſu eſt. Ad uſum ejuſdem Seminarii.

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfrè, 1742, 4. Alph. 1 plag. $16\frac{1}{2}$.

Quantam elegantiæ, induſtriæ, aliarumque, quæ virum doctum ornant, virtutum laudem in conficiendis Grammaticæ Syriacæ inſtitutionibus reportavit Clariſſimus *Zanolini*, tanta & præſens enitet labor, quem jam conſpectui eruditorum ſubjicimus. Compoſuerat Noſter ante decem annos Lexicon Hebraicum, cui nunc Syriacum ſubjungendum ſtatuit, ut habeat deinde Seminarium Patavinum, quo utriusque linguæ præceptis imbui felicius poſſit. Laudantur merita *Gregorii* Cardinalis *Barradici* pariter atque *Hieronymi* Cardinalis *Caſanatæ*, quorum curæ acceptum refert, quod, præter Hellados Latiique opes, Orientis etiam priſci doctrina in terras Patavinas fuerit translata. In Præfatione, præteriiſſe illa tempora, lætatur, quibus, Græcum aliquid noſſe, ſuſpectum fuerit habitum, Hebraice autem, prope hæreticum. Effert eos ex Pontificibus, quorum conſilio publici Linguarum Orientis Doctores, non ſolum Hebrææ & Chaldaicæ, ſed Syræ etiam atque Arabicæ, in Collegiis & Academiis conſtituti. In ipſo libro voces Novi Teſt. ſingulas comprehendi ſignificat, quibus & Latinam verſionem, & loca quædam, ubi illæ voces occurrunt, adjunxit. In fine ſubtexuit pericopas aliquot Syriacas, ex S. Codice & libris Syrorum decerptas, ne deſit juventuti, cujus in lectione atque analyſi exercere ſe poſſit. Adjectus eſt Index vocum Latinarum, in quas Syriacæ dictiones in Lexico transfunduntur, una cum alio, qui res exhibet, in præmiſſa Diſſertatione contentas. Hujus ut ſummam huc transferamus, dignitate argumenti permovemur. Inſcribitur Diſſertatio *de Lingua Syriaca, Verſionibus Syriacis, & Maronitis.* Syriæ vocabulo nomen Tyri, Syriæ Metropolis, עיר originem dediſſe, Autor in principio docet. Linguam Syriacam uſu receptam eſſe

esse Maronitis, scribit, ab iisque in sacris peragendis adhiberi, in tota fere Asia & Africa a Christianis eruditis intelligi, in Bsciarrai vero, atque oppido Hesron, itemque in tribus aliis vicis, a viris ac mulieribus in sermone vulgari adhiberi. Tres linguæ Syriacæ dialectos constituit, Babylonicam, Hierosolymitanam, atque Antiochenam, quæ & Comagena & Maronitica. Confert locum *Gregorii Abulpharagii* de tribus dialectis, Aramæa, Palæstina, & Chaldaica Nabatæa. Utilitatem sermonis Syriaci conspicuam docet in interpretandis Evangeliis, & vocibus Syriacis, & Syriasmis, refertis, præterea & in indagandis Hebrææ linguæ idiotismis, quorum recessus felicius indagantur, si mater cum filia comparetur. Dignitatem linguæ hujus evincit ex usu Christi, cujus ore ea consecrata. Chaldaicam linguam a Syriaca non, ut linguam peculiarem, sed ut dialectum, distare judicat, & ad verba tum *Ludovici de Dieu*, tum *Josephi Scaligeri*, provocat. Christi voce linguam Syriacam Hierosolymitanam personuisse, ex verbis *Eli, Eli*, clarissimum reddit. Patres, ubi Evangelio *Matthæi* idioma adscribunt Hebraicum, de lingua Syriaca Hierosolymitana loqui, cum aliis viris doctissimis scite monet. Ubi ad diversitatem characterum Chaldæorum & Syrorum descendit, differentiæ causam hanc esse opinatur, ut Evangelium *Antiochenorum* ab alio, Chaldaica lingua exarato, videlicet *Nazaræorum* atque *Ebionitarum*, distingueretur. Naziræos & Nazaræos vere distinctos fuisse, ostendit. De punctis Syrorum varia, non contemnenda, interserit. Erudite etiam exponit de duplici versione Syriaca, quarum altera ad normam textus *Ebræi* confecta, ac simplex ideo *Gregorio Abulpharagio* dicta, altera ad interpretationem Alexandrinam elaborata. Priorem reperiri, ait, in Bibliis Polyglottis Parisiensibus atque Anglicanis, eaque Syros ipsos uti, *Maronitas*, *Jacobitas*, ac *Nestorianos*. *Salomonis* ævo confectam illam translationem, negat, & potius temporibus Apostolicis vindicat, cujus ideo autores ipsi Apostolorum discipuli, vel viri Apostolici, sint dicendi. Quæ controversia si decidenda sit, forsan prius necesse fuerit, ut distincte de Vet. & Nov. Testamenti translatione existimetur. Impugnat etiam opinionem nonnullorum,

nullorum, qui, *Marcum* & Evangelium ſuum & ceteros Novi Teſt. libros in linguam transfudiſſe Syriacam, contendunt. Utilitatem verſionis Syriacæ juſtis laudibus extollit. *Hieronymum* interpretationis Syriacæ ideo mentionem non feciſſe, ſuſpicatur, quod hujus linguæ ignarus videatur. Recenſet varias editiones Bibliorum Syriacorum Novi Teſt. quarum prima eſt Widmanſtadiana, vel Viennenſis, anni 1556, easdemque inter ſe nonnunquam diſcrepare, ſubjicit. Accedit ad *Maronitas*, quorum natales a *Marone*, Abbate, Seculo IV florente, derivantur. Affertur Epiſtola *Jo. Chryſoſtomi*, quam ad *Maronem* illum ſcripſit. Non inerudite agitatur quæſtio: Utrum *Maronitæ* in profeſſione fidei fuerint conſtantes. Aliud *Maronitarum* nomen indicat, quo Mardaitæ dicti, quodque iis inditum temporibus *Conſtantini Pogonati*, a radice מרד, *rebellavit*. Magnis enim bellis cum Saracenis implicitos eos fuiſſe, conſtat. Enarrantur loca, quæ a *Maronitis* inhabitantur, inter quæ eminet mons Libanus. Præterea de monaſterio Canobinenſi in Libano dicitur, velut ſede propria Patriarchæ *Maronitici*. Sequuntur alia, de Monachis & Monialibus *Maronitarum*, de jejunio *Maronitarum*, ac Syrorum generatim, de diebus *Maronitarum* feſtis, de antiquitate Liturgiarum apud Syros. Quæ quidem omnia ita comparata ſunt, ut plane perſuadeant lectoribus, librum non indigere commendatione noſtra, ſed propriis, quibus exſplendeſcit, virtutibus gratiam omnium ac ſingulorum haud difficulter initurum.

JO. GUILIELMI BERGERI STROMATEVS Academicus.

Lipſiæ, apud Carolum Ludovicum Jacobi, 1745, 4.
Alph. 6 plag. 5½.

Illuſtris Celeberrimusque Vir, *Joannes Guil.* Nobilis *a Berger*, qui per aliquot luſtra jam ſuſtinet cum magna dignitate in Academia Vitebergenſi Profeſſoris Oratorisque perſonam, Autor eſt præſtantiſſimi hujus libri, quem apparere juſſit in nomine Conſiliariorum eccleſiaſticorum Aſſeſſorumque in conſeſſu

conſeſſu Protoſynedrii Saxonici; quibus, literarum & bonarum artium in Saxonia curatoribus prudentiſſimis, merito liber, ipſis literis inſigne concilians decus, eſt conſecratus. In commentatione, qua Operi præfatur excellentiſſimo, cauſam impoſiti libro nominis declarat. Nimirum *Clementem Alexandrinum* eſt imitatus, cujus ſolet duci præſtanti eruditione. Hujus enim στρωματεῖς in vulgus ſunt adeo noti, ut ipſe hic *Clemens Stromatevs Theodorito*, *Georgio Syncello*, aliisque, nominetur. Neque obſcurum eſt, ipſam inſcriptionem a multiplici rerum varietate, qua diſtinxit *Clemens* opus ſuum, eſſe ſumtam. Ut enim ii, qui veſtes ſtragulas ac periſtromata conficiunt, ea multa rerum ac colorum varietate ornant; ſic *Clemens Alexandrinus* opus ſuum magna perſpergit variaque copia rerum inſignium, quas non modo depromit ex ſacris literis, ſed etiam aliis ex ſcriptoribus conquirit. Titulum adeo, a *Clemente* inventum, laudat *Euſebius*; *Origenes* & *Joſephus Scaliger*, itemque Noſter, illis haud ſecundus, imitantur. Affert enim Cel. Autor varietatem rerum jucundiſſimam, quarum copiam ſcribendi ipſi fecit occaſio, nata in munere Academico. Dictus igitur *Stromatevs Academicus*, ut indicio ſit, eo comprehendi, quæ a Cel. Autore vel de rebus Academicis, vel data in munere Academico occaſione, ſint ſcripta. Solent autem, ut facile poteſt exiſtimari, diverſorum generum argumenta ſe offerre, ſacra profana, læta triſtia, majora minora, quorum diſſimilitudo diſſimilem ſcribendi formam requirere videtur. Sed hæc ſcriptionis diſſimilitudo, ſi qua eſt in hoc *Stromateo*, incredibilis eſt gratiæ, atque ubique eundem refert Autorem, eumque inſignem. Cum ſcribendi ratio, quam Orthographiam dicunt, omni ævo diverſa ſit, quod antiquæ atque acres Grammaticorum contentiones teſtantur, & hodiernæ diſſenſiones hominum eruditorum; Cel. Autor eruditiſſime ſuum ſcribendi genus defendit. Ac, cum porro, variis adductus cauſis, in nonnullis vocibus diverſam a priſtina, a ſe probata quondam, ſequatur ſcribendi formam, etiam hoc conſulto factum docet. Inducit enim Marmora Piſana, atque Ancyranum lapidem, *Virgilium* Mediceum, & Pandecten Florentinum, quæ muni-

menta dicuntur ſcripturæ Latinæ, in quibus ſæpe unius vocis diverſa eſt ſcriptio. Ipſe vero hic Stromateus Academicus ad 138 continet argumenta, quæ ſingula aliam fiſtunt rerum ſeriem; omnia vero mira exhibent rerum varietate diſtinctum theatrum. Jam enim tractat theologici, jam juridici, jam philoſophici, jam hiſtorici, cum profani, tum ſacri, cum antiqui, tum recentioris, jam genealogici, jam geographici, jam panegyrici, res argumenti. Ad Theologiam ſpectat Commentatio 6 de purpura Chriſti patientis, ubi purpuræ hiſtoriam explicat; 12) de dignitate Medici Chriſtiani; 17) de adſpectu Chriſti ſalutari; 18) de *Abrahamo*, Dei amico; 22) de præſtantia Theologi polyglotti; 25) de ſilentio Chriſti patientis; 28) de *Theophoris*; 32) de Theologo, *Paulinam Timothei* inſtitutionem imitante; 35) de ſupplicio Chriſti flagris cæſi; 43) de nutu ſalutari Chriſti morientis; 44) de *Paulino* Theologo; 46) de homine Dei diſpenſatore; 48) de Theologo pro veritate firmo; 56) de ſalutis arcano voce Romana ſolennique evulgato in memoriam Chriſti morientis; 66) de philanthropia Chriſti; 78) de pietate, virtutum regina; 89) de alapa Chriſto inflicta; 91) de fructu patientiæ beato; 94) de gallo, pœnitentiæ præcone; 105) de præſtantia ſtudii theologici in commentatione mortis; 110) quanam rerum commentatione ſtudioſus Theologiæ felix ſit; 120) de ſacerdotio doctrina vitaque probato; 122) de boni ſacerdotis perſona; 128) de officio ſymmiſtæ; 130) de cruce Chriſti, throno gratiæ; 136) de ſummo Chriſtianorum bono in evidentia religionis, ac ſummo gentium malo in obſcuritate religionis. Ad Jurisprudentiam pertinent Diſſ. 21 de mente compoſita Jurisconſulti; 27) de religione Jurisconſulti; 29) de bono Chriſtiano in bono Jureconſulto; 53) de Jureconſulto plorabili; 68) de licentia antiqua fori Romani; 71) de *Papiniano* cum *Stryckio* collato; 101) de Jureconſulto peregrinatore; 109) de *Jo. Caſp. Brendelio*, juſtitiæ *Juſtinianæ* in vita æmulo. Philoſophia vero ſibi vindicat Diſſ. 7 de varia ſcientiæ exiſtimatione; 14) de quæſtione: rectiusne benignitate hoſpitali in uſum publicum Bibliotheca, an convictus, inſtituatur; 16) de

Pag. 42. 89. 150. 157. 224. 246. 273. 298. 318. 378. 387. 404. 422. 494. 575. 640. 720. 741. 756. 838. 863. 911. 922. 951. 962. 216. 261. 279. 473. 588. 656. 803. 858. 49. 108.

16) de Philoſophia vulgi; 19) de vera felicitate a ſuco Phi- Pag. 125.
loſophiæ evdæmonicæ vindicata; 23) de brevitate ingeniorum 170.
præcocium; 34) de docti indoctique differentia; 45) de 232.
prudentia vitæ futuræ ſalutari; 51) de Philoſophiæ cum Theo- 311.
logia conjunctione; 54) de rara ſocietate bonæ mentis cum 397.
bona fortuna; 55) de bono gloriæ ſtudio; 69) quid divini 448.
ſit in beneficentia; 74) de vera hominum gloria ex factis; 483.
84) de dignitate veræ benignitatis; 90) de animo munificen- 488.
tia excelſo; 93) de ſenſu immortalitatis naturali; 96) de fuga 595.
ingrati; 99) de cognitione Dei ex notitia virtutum inſita; 621.
100) de mortuis viriliter honorandis; 102) de falſo animæ re- 681.
medio; 106) de vera munificentiæ gloria; 129) de conju- 737.
gio bono; 134) de obſequio conjugii mutuo. Inprimis 752.
utriusque Hiſtoriæ, cum profanæ, tum ſacræ, ejusque & anti- 777.
quæ, & recentioris, ſæpius habita ex inſtituto ratio. Sic ex Hi- 794.
ſtoria antiqua, eaque profana, atque antiquitatibus, deprom- 799.
tæ ſunt Diſſ. 5) de Muſeis Italicis; 8) de theſauris mor- 822. 844.
tuorum; 9) de religione menſæ; 11) de Heroologia priſcæ 956.
Germaniæ poetica; 13) de Anthropothyſia gentium profana- 28. 61.
rum; 20) de *Magni Alexandri* meritis in divinam humanam- 69. 84.
que ſapientiam; quæ Diſſertatio, cum omnium ſit ampliſſima, 102. 176.
& adſcripta habeat ad marginem Autorum veterum recentio-
rumque loca, atque adeo ad Commentationum proprie dicta-
rum normam ſit elaborata, paulum nos morabitur. Nam, etſi
ex ſingulis ſuperioribus magnam ceperimus voluptatem pro-
pter excellens dicendi genus, ipſis rebus mirifice aptum, ta-
men hæc ipſa voluptas hoc in loco vehementer aucta eſt, ut
geſtiamus idem ſtadium decurrere rurſus. Primum agit
Illuſtris Autor de *Alexandri M.* imaginibus & clypeo, imagine
ex porphyrite clypeata, quæ ingenti regalique ſumtu emta an-
te quinque annos narrabatur in publicis literis, ut gazæ Ver-
ſalii regiæ, quo illata eſt, inſignis acceſſio fieret. Deinde oſten- 177.
dit cauſam, cur ſæpe diſſimilis *Alexandri* habitus oris & vul-
tus in marmore, ære, gemmis, compareat. Admodum vero
paucos ſupereſſe numos, ipſamet *Alexandri* ætate cuſos; ipſos
æquales licentiæ plus habere. Numos vero redintegratos

Pag. 178. multo plus licentiæ prodere. Idem obſervari in tabulis, in ſtatuis, in gemmis, in toreumatis, aliisque monumentis. Verum *Alexandrum* Verſalienſem eſſe germanum nativumque, atque eo pretioſiorem. Erat autem forma pulcherrima *Alexander*, oculis vegetis ac verſatilibus, vultu in cœlum erecto, collo in lævum depreſſiore, naſo aquilino, ore denique maſculum
179. quiddam ac leoninum referens. Cum vero hic *Alexander* duabus rebus admirabilis memoriæ prodatur, & belli & eruditionis laude, bellicas res aliis relinquit Ill. Autor, atque in doctrina ejus eruditosque homines juvandi ratione unice verſatur. Eſſe vero
180. ejus præſtantiſſima in divinam humanamque ſapientiam merita, docet. Ritus quidem Græcos, avitamque vanitatem, retinuit *Alexander*, & Orientis depravati corruptelis auxit. Deinde impium quidem factum aggreſſus eſt, cum *Beli* Babylonii ædem, a Perſis dirutam, reficere ſtatueret; in cujus operis apparatu confeſtim morbus & mors ſubita ipſum oppreſſit. Interim huic *Alexandro*, eo temeritatis nondum prolapſo, illud maxime probandum arbitratur Cel. Autor, quod, Helleſponto trajecto, in Aſiam ingreſſus, præcipue Judæis indulgebat. Judæorum enim Pontificem, una cum ſacerdotibus & civibus Hieroſolymitanis, obviam ſibi prodeuntem, benigne accipiebat, & ho-
182. nore multo tractabat. Deinde Judæis faciebat poteſtatem, ſalvo ritu patrio, in exercitu ſuo militandi, ex quibus etiam multi ſub eo meruerunt. Auxit deinde Judæos jure civitatis Græcæ, qua etiam gaviſi ſunt ſub *Alexandri* ſucceſſoribus & Imperatoribus Romanis Alexandriæ in Ægypto. Factum etiam ejus benevolentia, ut Judæi magna eſſent ubique autoritate, quo
185. ſapientia divina omnino melius increbreſcere potuit. In humanam vero ſapientiam non minora ſunt ejus documenta.
189. *Alexandri*, jam pueritiam egreſſi, inſtitutionem *Philippus* iis committere nolebat, qui orbem diſciplinarum tradebant, ſed operi, tam arduo, nobiliorem doctorem quærebat. Uſus jam erat *Alexander* multis magiſtris, excultus Philologiæ, Matheſeos, Logicæ, præceptis, quæ antiquo ſolidoque diſciplina-
190. rum orbe concludebantur, teſte *Plutarcho*. Atque hac inſtitutus liberali diſciplina, *Ariſtoteli* traditur limandus, viro in omni

Digitized by Google

omni doctrina ſummo; ſub eoque doctore per quinquennium creſcit. Faciebat *Ariſtoteles* duum generum auditiones, quorum alteras acroaticas vocabat, alteras exotericas. Utrique inprimis admotus *Alexander*, ſubtiliſſimis præcipue delectatus ſtudiis. Etiam *Darium* præliis & victoriis urgens, literis ex Pag. 191.
Aſia ad *Ariſtotelem* datis, eum, negat, recte feciſſe, quod diſciplinas ἀκροατικὰς, quibus ab eo ipſo eruditus fuerit, libris emiſſis, publici juris feciſſet. Quibus *Ariſtoteles*, Acroaticis, reſcribit, libros neque editos eſſe, neque non editos, quoniam ſuis auditoribus modo perſpicui eſſent. Medio in 193.
bello multa lectitare ſolitus erat *Alexander*, uti tradit *Plutarchus*, ut eundem illum dicat φιλαναγνώστην. In *Darium* pro- 194.
ficiſcens, librum ſecum tulit non minus, quam arma, &, quod librorum deerat finibus exteris, ſibi aliunde ſupportari jubet. Præſertim *Homerum* in deliciis habebat Macedo, *Iliada* maxime, ab *Ariſtotele* correctam, quam bellicæ virtutis inſtitutionem dicere ſolebat, & habere, cum pugione, ſub pulvino repoſitam. Incredibilis porro fuit benevolentia *Alexandri* in do- 196.
ctos viros; cujus rei quamplurimas attulit Cel. Autor auctoritates. *Plutarchus* hinc *Alexandri* philoſophiam, ex umbraculis Græcis evocatam in lucem, atque in ampliſſimo Aſiæ theatro propoſitam, ſummorum Philoſophorum famæ anteponit. Hunc enim fuiſſe, qui Hyrcanos, Sogdianos, Perſas, gentes alias integras, melioribus inſtitutis, moribus, legibus, emendaverit, ipſamque Græciæ diſciplinam in terras protulerit remotiſſimas, & Aſianis barbarisque majori ſe præbuerit æquitate, quam poſtulaverit in præceptis *Ariſtoteles*. Magnus interim hic Rex nihilo magis propagare, quam amplificare, ſtudet Philoſophiam, aliamque ſapientiam humanam. *Ariſtoteli* ad ipſam 197.
hiſtoriam animalium condendam octoginta talenta, hoc eſt, ſexcenta, amplius, *Joachimicorum* millia, largitur, *Athenæo* teſte. Munus certe non ſordidum, nec facile noſtris exſpectandum temporibus. Hujus etiam mandato Philoſopho aliquot hominum millia in ampliſſimis totius Aſiæ Græciæque regionibus parere juſſa ſunt, ut diſceret ab his, quos venatus, aucupia, piſcatus, alebant. Hos *Ariſtoteles* percontatus, quinquaginta

Pag. 198. ferme volumina de Animalibus compoſuit. Neque minus commodum ex *Alexandri* regno, & expeditione ejus Aſiatica, in Chronologiam redundavit. Notæ ſunt *Calliſthenis* ſtudio Aſtronomicæ in Græciam deportatæ obſervationes. Nota Epo-
199. cha porro *Alexandrea*. Etiam inſignis ſub ejus ætatem habita
200. Geographiæ ratio. Terræ marisque ora juſſit in tabulas de-
202. ſcribi. Neque Poeſis, flos ille ingenii humani, flos amœni-
204. tatis, neglecta. Adducit Cel. Autor Poetas, ab *Alexandro*
205-208. amatos vehementer. Polluit etiam *Alexander* inſigni eloquentiæ facultate ad excitandos militum animos, replendosque ſpe
209. bona. Græcam linguam fere cum tota Aſia Africaque com-
211. municavit, & cum hac Græcam eruditionem. Penitus etiam omnem belli rationem dijudicavit, Tactica cognovit, Poliorcetica, Belopœica, reliquasque imperatorias artes. De cunctis etiam ducibus nullorum plura narrantur inventa callida, quam *Alexandri M.*, qui res graviſſimas conſiliis his imperatoriis confecit. Ex quo facile ſimul intelligitur, *Alexandrum* peritiſſimum fuiſſe Arithmeticæ, Geometriæ, & univerſæ Matheſeos. Sed diutius juſto nos detinuit hujus elegantiſſimæ Commentationis uberior recenſio. Ad ſequentes igitur progrediamur, quæ non minorem habent & eruditionem, & elegan-
240. tiam. Antiquitates vero illuſtrat Diſſ. 24) de *Stephanephoris* ve-
293-345. terum; 31) de bonitate hoſpitali Germaniæ priſcæ; 39) de
510. conviciis ſapientum; 57) de lege viva in exemplis priſcæ vir-
539-780. tutis; 61) de orationibus anniverſariis; 97) de chirogra-
834-848. pho cruci affixo; 104) de myſteriis *Cereris* & *Bacchi*; 107)
867-995. de peregrinatione ſapientum; 111) de ludis Olympiis; 133) de antiqua Poetarum ſapientia. Hiſtoriæ vero ſacræ lumen in-
116. ſigne conciliabit Diſſ. 15) de *Flavii Joſephi* teſtimonio de Chri-
256-351. ſto; 26) de glorioſa Confeſſione Auguſtana; 40) de diſcipli-
362-455. nis eccleſiæ utilibus; 41) de *Conſtantini M.* viſo cœleſti; 52)
514. de politioris humanitatis ſtudio cum Chriſtianis priſcæ memo-
534. riæ ſcriptoribus conjungendo; 58) de *Cyrillo Alexandrino*;
625. 60) de *Luthero*, ſententiam de ſacra Cœna haud mutante, con-
629. tra *Gilbertum Burnetum*; 75) de ſacris, a *Luthero* emendatis;
666-671. 76) de Theologo Auguſtanæ Confeſſionis; 82) de *Leone* deci-

mo

mo Pontifice, præcone veritatis non intellectæ; 83) de *Cy-* Pag. 699.
priano; 87) de *Amphilocho*; 88) de altero ſecu'ari ſacro re- 709. 746.
ligionis emendatæ; 92) de munimento divino *Martini Lutheri*, 789.
ſacra emendantis; 98) de *Luthero*, architectone *Paulino*; 103) 825.
cygni evangelici vindiciæ in *Gabrielem Bartholom. Gramondum*; 852.
108) de virtute *Lutheri* heroica in ſacris emendandis; 123) 926.
de motu terræ in exceſſu Chriſti. Rhetoricam vero artem vehementer juvabunt comparationes doctorum virorum, quæ ad elegantiam & præſtantiam *Plutarchi* & *Rapini* expreſſæ ſunt, ut in Diſſ. 33) comparatio *Bernhardi Zechii* cum *Polybio*; in 307.
37) Elogium *Ottonis Henr. Friſii*; in 46) elegantes Apes 335.
urbnæ; in 58) *Cyrilli Alexandrini* & *Ge. Henr. Gætzii* paral- 415.
lela; in 95) collatio *Chladeniæ* cum electa *Joannis*; in 113) flos, 514. 770.
vitæ caducæ imago; in 118) fœcunditas muliebris, cum agri 885. 903.
fertilitate comparata; in 127) *Schurtzfleiſchius*, comparatus cum 944.
Henrico Valeſio. Genealogici & Hiſtoriæ literariæ potiſſimum argumenti eſt Diſſ. 42) de gente *Robelia*; 72) de origine nomi- 372.
nis *Mareſchalliani*; 72) de gravitate gentis *Carpzoviæ*; 86) de 601. 605.
nobilitatis lumine gentilitio; 121) vita *Jac. Caroli Speneri*; 126) 693. 917.
memoria *Jo. Henr. Bergeri*; 131) de *Hugone Grotio*, Roſtochii 940. 971.
moriente, &c. Etiam conſuluit Hiſtoriæ patriæ Ill. Autor Dis- 559.
ſertatione 64) de ſtudiis Saxonicæ nobilitatis inſtituendis, ubi tabulæ afferuntur noſtri Potentiſſimi longeque ſapientiſſimi Regis & Electoris, dignæ, quæ poſteris tradantur, ad ſapientiam tanti Regis omni ætate prædicandam, ipſarumque literarum dignitatem regali hoc judicio illuſtrandam; 124) de *Friderico Auguſto*, 933.
patre *Auguſto* Cæſare feliciore; item 1) de *Auguſto III*, Cracoviæ feſto ritu inaugurato; 3) de flore connubii regii in flore virtutis regiæ; 79) pietas in principem juventutis. Quin imo Geographiam illuſtrat Diſſ. 2) de itinere Italico *Friderici Chriſtiani*, Poloniarum Principis Regii; 4) de Romæ veteris majeſtate, in ruinis ac veſtigiis adhuc ſpirante. Superſunt multæ adhuc Diſſertationes eruditiſſimæ & elegantiſſimæ ſingularis, ad communemque vitam ſpectantis, argumenti; ut 30) de honore Academiis tribuendo; 38) de impetu ingeniorum in certa ſtudia ſingulari; 49) literatis convenire poſſe cum divitibus; 50) de dictis 433. 439.

factisque

Pag. 520. 552. 585. 598. 686. 889. 893. 897. 900. 908. 936. 1014. 1040. 1047. factisque morientium; 59) bonine, an mali, plus attulerit hominibus ars typographica; 63) de amœnitate ingenii; 67) de præstantia munificentiæ alimentariæ; 70) convivium, imago vitæ; 85) clarum uxoris matrisque instar; 114) de officio Consulis in otio cum dignitate retinendo; 115) de levandis studiorum molestiis; 116) de doctrina gloriæ majorum addenda; 117) de bonis recordationibus mortuorum; 119) de vectigalibus, reipublicæ nervis; 125) de Academiis amandis; 135) natalisne dies, an fatalis, sit potior; 137) de prudentia agendi ex officii titulo; 138) de prudentia temporis utendi. Atque hæc omnia, cum ab excellentissimo *Bergero* profecta sint, non opus est pluribus recensere, doctisque commendare verbis, cum jam dudum ille insignem doctrinam suam, atque incredibilem stili elegantiam, etiam principibus in literis viris probaverit. Optamus modo, ut eadem, ac præsentes Dissertationes, ratione etiam Academicas Disputationes in unum corpus redigere, atque separatis voluminibus cum orbe literato communicare, velit, quibus profecto nec minor inest doctrinæ præstantia, neque elegantia venustasque stili.

Vollständige Sammlung der Grundgesetze des heiligen Römischen Reichs Deutscher Nation, ꝛc.

hoc est,

CORPUS JURIS PUBLICI S. IMPERII ROM. Germanici, collectum, notis & observationibus illustratum, variantibus lectionibus ac locis parallelis adornatum, emendatumque, a LUDOVICO MARTINO KAHLIO, D. & P. P. O.

Gottingæ, apud fratres Schmidios, 1744, 8 maj. Alph. 3 plag. 10.

Imperii Romano-Germanici leges, easque præcipuas, typis quidem exscribendas dudum viri docti curarunt; sed, uti inexhausta res est literaria, cum semper aliquid reliqui sit, quod antehac intactum, ita Cel. *Kahlius* palmam aliis præripuisse, ante se in eodem versatis labore, omnibus dicendus est, sive Corporis

Juris

Juris publici collectionem ipſam, ſive induſtriam ſummamque ἀκρίβειαν, qua correctionis tædium devoravit, & Codicum manuſcriptorum æque ac impreſſorum, antiquitate ſua venerandorum, varias lectiones collegit, ſpectemus. Negandum non eſt, cogitaſſe multos de emaculandis legibus Imperii. Debent his παλιγγενεσίαν ſuam haud pauca, antea miſere ſepulta tectaque, publici Juris capita. Verum enim vero cum *Moſero Biblioth. Jur. Publ. P. II pag. 508* affirmare nos oportet, tantis adhuc ſcatere lectionum monſtris libros, huc pertinentes, ut in his debellandis non male poſita exiſtimari opera debeat. Bibliopolæ igitur Gottingenſes valde contenderunt, ne Corpus Juris publici, quod ad Codices pervetuſtos recenſuerat illuſtraveratque, diutius premeret doctiſſimus *Kahlius*, ſed, in lucem id emittendo, ad literatum orbem ſuæ induſtriæ redundare fructus pateretur. Prodit igitur hoc Opus, variantibus, uti vulgo vocantur, lectionibus, parallelis locis, & notis adornatum neceſſariis, firmantibusque rectitudinem textus, in cujus γνησιότητα ubique feliciter Cel. Editor inquiſivit. Fidem quoque labori ſuo conciliavit inſignem, cum manuſcriptos æque ac typis excuſos libros, ad quos quamlibet legem imperii præcipue exegit, recenſuit indicavitque, ut lectores eo melius explorare poſſent adhibitam operam, genuinumque, unde hauſerit Editor, fontem perſpicere. Qua in re ſane longe diſtat ab aliis, qui Corpora Juris Publici excudenda curarunt, Autoribus, quippe qui generatim pronuntiare ſolent, ſe Codicum eximiorum opera & magiſterio eſſe uſos, atque ita impedire ſtudent, quo minus ſtatim in oculos occurrant, quæ vel editorum, vel operarum & correctorum, vitio & culpa irrepſerint. Σφάλματα tamen avtographorum juſtis de cauſis emendavit Noſter, nec cœco impetu lectionem ſecutus eſt hujus illiusve exempli, ſed, cynoſuræ inſtar, analogiam ipſam juris omnis publici reſpiciens, ita illuſtravit Codicem ſuum, ut intelligi poſſit, a ſolitis receptisque erroribus caviſſe eum ſatis circumſpecte provideque. Quemadmodum vero hunc fœtum literarium in uſum auditorum ſuorum inprimis publicavit; ita etiam collineant huc ipſa, quæ in Opere hoc con-

tinentur, argumenta. Etenim maximi momenti leges Imperii R. G. integras formis exſcribi curavit, & reliquas omnes, quæ in præſtantiſſima Corporis Receſſuum Imperii editione leguntur, in compendium redactas expoſuit, vel fuſe, vel brevius, prout rei gravitas requirere id videbatur. Quamvis epitomen iſtiusmodi ſanctionum reipublicæ Germanicæ nonnulli ſcripſerint; Cel. *Kahlium* tamen deterrere hi non potuerunt, ut eundem & ipſe laborem ſuſciperet. Et ſunt ſane conſpectus legum, ab eo adumbrati, utilitate ſua commendabiles perfectique judicandi. Hac ratione lectori cunctæ prorſus normæ, ad publicum & univerſalem Imperii ſtatum ſpectantes, traduntur; normæ, inquam, quibus Imperii membra adſtringuntur, ac nexu quaſi inter ſe devinciuntur indiſſolubili. Facere igitur Autor non potuit, quin inſereret etiam particulares quasdam collectioni ſuæ Conſtitutiones Imperii, eas nempe, quæ lucem afferunt univerſalibus Reipublicæ Germanorum edictis; quemadmodum iisdem de cauſis varia Diplomata & decreta publica in lucem emiſit, quæ in magno *Corpore Receſſuum Imperii* locum occupant nullum. Huc tamen minime retulit acta publica, & placita Principum Germaniæ, quæ, ſenſu plane improprio, Imperii Germanici legibus accenſeri ſolent, quarumque inſignis multitudo a *Schiltero*, *Dattio*, *Mullero*, aliisque, effuſa fuit. Ex dictis elucet, ne in magnam vel inutilem, molem excreſceret opus ſuum, prudenter caviſſe doctiſſimum *Kahlium*, atque ita exemplo ſuo declaraſſe ſatis, perfectum abſolutumque Corpus Juris, non foliorum immenſa multitudine, ſed collectione documentorum publicorum juſta, apta, atque idonea, componi. Inſertas igitur libro huic deprehendimus omnes leges, quas natura atque indoles regni Germanici, & prudentiſſimi Reipublicæ noſtræ arbitri, in ejusmodi promtuario juris comprehendi jubent. Poſthabuit hoc modo inanes doctorum quorundam contentiones *Kahlius*, quippe qui, eo judice, plerumque verbis, non autem rebus ipſis, repugnant, cum pronuntiant, legem quandam Corpori Juris publici adjungendam eſſe, vel minus. Evitari enim vix poteſt ejusmodi controverſia, ſi notionem publicæ

blicæ legis imperii ob oculos lectorum ante, quam lis iſta dirimatur, non ponunt; qua de re ad Præfationem Autoris noſtri doctiſſimam remittimus merito Lectorem. Quæ de fine Operis hujus diximus, ea rationem ſuppeditant omiſſarum verſionum, quas nonnulli ſcripterum Corpori Juris annectere conſueverunt. Etenim non tam in uſum lectorum, qui rudes linguæ Latinæ ſunt, quam eorum, qui callent hunc ſermonem, atque in hoc concinnatas leges ſcrutari poſſunt, ſe opus ſuum excudi curaſſe, ingenue fatetur Autor. Quod inſtitutum minime nos improbamus, ſperantes potius, fore, ut plauſum etiam ferant omiſſiones ſubſcriptionum, Receſſibus Imperii annexarum, æque ac ratificationum, quæ ad finem Inſtrumenti pacis cujuslibet apponi ſolent. Neque tamen horum hic nihil additum; quin capitum iſtorum exempla paſſim in hoc Opere exſtant, ut tam ordinem uſitatum, quam jura & conſuetudines varias, amatores publici Juris hinc poſſint cognoſcere. Formam Operi externam Editor valde caſtigatam nitidamque dedit, hoc etiam nos docens, ſe in corrigendo libro ſuo ſolertiſſimum fuiſſe, atque operarum σφάλματα removere omni ſtuduiſſe cura. Hinc ex libro noſtro induſtria atque ακρίβεια ſingularis, non ſane tanta in reliquis hujus generis editionibus, elucet. Typorum quoque nitor ornamento ei eſt, præcipue vero uſus manuſcriptorum, ex tabulario potentiſſimi Britannorum Regis & Electoris Brunſuico-Luneburgici *Kahlio* conceſſus. Itaque grato animo prædicat id in ſe collocatum beneficium, veneraturque publice aliorum, qui Codicibus perraris adjumento ipſi fuere, in ſe merita. Ad ordinem, ab Autore noſtro adhibitum, quod attinet, is naturalis eſt, & cum ſerie temporis perpetua conſpirat, ut remiſſiones eo facilius inſtitui, atque alia lex ex alia illuſtrari poſſit eo commodius. Hinc non conſenſum ſolum ſingulorum capitum legis cujusvis inter ſe, ſed & nexum, vel diverſitatem, cujusvis legis, indicavit, tam felici ſucceſſu, ut evolvens unam legem, facile ex notis adjectis eruere queat fontes, qui genuinæ interpretationis principia ſubminiſtrant certiſſima. Si

quis e. c. Pacem religionis anni 1555 legere cupiat *pag. 431*, ſtatim videt, confirmationem hujus pacis in Receſſu, Ratisbonæ A. 1557 inito, §. *69*, porro in Receſſu Auguſtano anni 1566 §. *1*, neque minus in Receſſu Ratisbonenſi anni 1641 §. *15*, ut & in pace Oſnabrugenſi *Art. V* §. *1*, & in Capitulationibus Imperatorum, reperiri. Non dicemus de iis, quæ eodem loco ratione executionis allata ſunt, & lucem præferunt ſplendidiſſimam ejusmodi legis interpreti; nec mentionem injiciemus infinitarum aliarum obſervationum *Kahlii* doctiſſimi, a lectoribus ipſis perluſtrandarum non ſine voluptate. Hac ratione ſtatuerat Autor omnes leges imperii emittere uno tempore, niſi propoſitum retinuiſſet typographus, & bibliopolæ ob cauſas ſibi domeſticas conſilium iniiſſent edendi *Tomi II.* Hic igitur prodibit proxime, & de hoc exponendo harum rerum amatores ſecuros eſſe jubemus, cum fere ad umbilicum ſit perductus, æque ac Index in omne Corpus Juris publici. Ceterum, quæ in hoc *Tomo I* exhibentur, generatim indicare liceat. En tibi inſcriptiones: 1) *Senatusconſultum Romanum de lege regia, qua a Papa S. P. Q. R. inſignis poteſtas in* Ottonem I *Imperatorem confertur anno 964.* In *Diſt. 63 Cap. 23* Decreti, a *Gratiano* compoſiti, hæc legitur Conſtitutio. Sunt quidem, qui machinas, fallacias, præſtigiasque, eam vocent; cum vero magni nominis viri, impetus illorum propulſaturi, genuinam veramque illam eſſe, declaraverint, facere non potuit Autor noſter, quin Corpori Juris publici eandem inſereret. Qui typis hoc Inſtrumentum excudi curarunt, vel a Conſultiſſimo *Kahlio* prelo ſubjectum exemplum adhibuerunt, id quod etiam in Corpore Juris Canonici, edito a *Petro* & *Franciſco Pithœis* fratribus, reperitur, vel veſtigia preſſerunt *Theodorici a Niem*, quippe qui, fide Codicis perantiqui niſus, in libro *de Juribus & privilegiis imperii* exhibuit formulam, quæ etiam legitur in nota, ſubjuncta ab Autore noſtro. 2) *Concordatum nationis Germanicæ antiquiſſimum, circa electiones & inveſtituras Epiſcoporum & Abbatum, inter Imperatorem* Henricum V *& Papam* Calixtum II *factum Wormatiæ in conventu imperii A. 1122.* Variantes

Digitized by Google

riantes lectiones bene multas qui afferunt huic inſtrumento, ii, ex judicio Autoris, levis momenti molimntur laborem, cum id, quod caput rei eſt, uno eodemque modo delineatum reperiatur in omnibus fere Codicibus, quos ſimul recenſet commendatque fuſe. 3) *Aurea Bulla* Caroli IV, *Romanorum Imperatoris, & Regis Bohemiæ*, &c. 4) *Concordata nationis Germanicæ cum S. Sede Apoſtolica inter Pontificem* Nicolaum V *& Imperatorem* Fridericum III *ſuper collatione beneficiorum eccleſiaſticorum, inita die 1 Aprilis A. 1448.* Arbitrantur quidam, nationis Germanicæ Concordata, ſine procerum conſenſione, a ſolo Imperatore & Pontifice inita eſſe, neque univerſalis legis, vel pacti, vim obtinere. Iidem ſibi perſuadent, repugnare hæc Concordata Conciliorum ac Pontificum decretis, & ipſos Pontifices violaſſe ea, atque hinc Germanos iis non teneri; ſed defendit Cel. *Kahlius* veram ſententiam in notis, quæ his Concordatis adjectæ ſunt, ad quas adeo Lectores merito remittimus. 5) *Confirmatio concordiæ initæ inter* Fridericum *Imperatorem, Principesque Germaniæ, ac Legatum Apoſtolicum, ſuper reſervatione, & collatione eccleſiarum, & beneficiorum eccleſiaſtitorum; & approbatio conſtitutionis* Eugenii IV *in his, quæ hujusmodi concordiæ non adverſantur;* 6) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1442 zu Franckfurt am Mayn aufgerichtet iſt;* 7) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1495 zu Worms aufgerichtet iſt;* 8) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1497 zu Friburg in Briſſgau aufgerichtet iſt;* 9) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Augsburg im Jahre 1500 aufgerichtet worden;* 10) *Innhalt des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1507 zu Coſtnitz und Regensburg aufgerichtet iſt;* 11) *Auszug des Reichs Abſchiedes, welcher im Jahre 1510 zu Augſpurg aufgerichtet iſt;* 12) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1512 zu Trier und Cœlln aufgerichtet iſt;* 13) *Innhalt des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Worms im Jahre 1517 aufgerichtet worden;* 14) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Augſpurg im Jahre 1518 aufgerichtet iſt;* 15) *Rheiniſche Verein, ſo von den vier Churfürſten bey Rhein, Mayntz, Cœlln, Trier,*

Trier, und Pfaltz, zu Oberwieſel im Jahre 1519 geſchloſſen worden; 16) der ſechs Churfürſten brüderliche Einigung des Jahrs 1521; 17) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Worms im Jahre 1521 aufgerichtet iſt; 18) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Nürnberg im Jahre 1522 aufgerichtet iſt; 19) Innhalt des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Nürnberg im Jahre 1523 aufgerichtet iſt; 20) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Nürnberg im Jahre 1524 aufgerichtet iſt; 21) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1525 zu Augſpurg aufgerichtet iſt; 22) Abſchied des Reichstages, welcher zu Speyer im Jahre 1526 aufgerichtet iſt; 23) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Eſſlingen im Jahre 1526 aufgerichtet iſt; 24) Auszug der Reichs-Abſchiede, welche zu Regensburg und Speyer im Jahre 1527 aufgerichtet worden; 25) Abſchied des Reichstages, welcher zu Speyer im Jahre 1529 aufgerichtet iſt; 26) Abſchied des Reichstages, welcher zu Augsburg im Jahre 1530 aufgerichtet iſt; 27) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Speyer im Jahre 1531 aufgerichtet iſt; 28) Auszug des Reichs Abſchiedes, welcher zu Regenſpurg im Jahre 1532 aufgerichtet iſt; Ordnung des peinlichen Hals-Gerichts; 29) Innhalt des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Speyer im Jahre 1533 aufgerichtet iſt; 30) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1535 zu Worms aufgerichtet iſt; 31) Innhalt des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1538 zu Speyer aufgerichtet iſt; 32) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1541 zu Regenſpurg aufgerichtet iſt; 33) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1542 zu Speyer und Nürnberg aufgerichtet iſt; 34) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Nürnberg im Jahre 1543 aufgerichtet iſt; 35) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Speyer im Jahre 1544 aufgerichtet iſt; 36) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1545 zu Worms aufgerichtet iſt; 37) Auszug des Reichs Abſchiedes, welcher zu Regensburg im Jahre 1546 aufgerichtet iſt; 38) Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Augsburg 1548 aufgerichtet iſt; 39) Abſchied des Reichstags, welcher zu Augſpurg 1538 aufgerichtet iſt; 40) Rœmiſcher Kayſerl. Maj. und des Heil. Reichs Landfriede, auf dem Reichstag zu Augſpurg

Augſpurg declarirt, erneuert, aufgerichtet, und beſchloſſen im Jahre 1548; 41) *Conjunctio circuli Burgundici cum Imperio*; 42) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1551 zu Augsburg aufgerichtet iſt*; 43) *Vertrag, welcher zu Paſſau im Jahre 1552 den 2 Aug. aufgerichtet und ratificirt iſt*; nec non *Anhang des Paſſauiſchen Vertrags*; 44) *Reichs-Abſchied, welcher zu Augsburg im Jahre 1555 aufgerichtet iſt*; *Religions-Friede*; *Executions-Ordnung*; *Cammer-Gerichts-Ordnung*; *Ordnung wegen moderation der Anſchläge*; *Policey-Ordnung*; *Müntz-Ordnung*; *Ordnung wegen Vergleichung der Religion*; 45) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1557 zu Regenſpurg und Speyer aufgerichtet iſt*; 46) *Erſter Reichs-Abſchied, welcher im Jahre 1559 zu Augsburg aufgerichtet iſt*; 47) *Neben-Abſchied zu Augſpurg im Jahre 1559*; 48) *Kayſers* Ferdinandi *neue Müntz-Ordnung, welche im Jahre 1559 aufgerichtet iſt*; 49) *Kayſers* Ferdinandi I *Probier-Ordnung vom Jahre 1559*; 50) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1564 zu Worms aufgerichtet iſt*; 51) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1566 zu Augſpurg aufgerichtet iſt*; 52) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Regenſpurg und Erfurth im Jahre 1567 aufgerichtet iſt*; 53) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1569 zu Franckfurt aufgerichtet iſt*; 54) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1570 zu Speyer aufgerichtet iſt, ingleichen der Reichs-Reuter und Fuß-Knechts-Beſtallung*; 55) Maximiliani II *Reichs-Hof-Cantzley Ordnung de dato Speyer den 12 Novemb. A. 1570*; 56) *Auszug des Deputations-Abſchiedes, welcher zu Franckfurt im Jahre 1571 aufgerichtet iſt*; 57) Maximiliani II *erneuerte Ordnung des Kayſerlichen Hof-Gerichts zu Rothweil vom Jahre 1572*; 58) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1576 zu Regensburg aufgerichtet iſt*; 59) *Auszug der Policey-Ordnung des Kayſers* Rudolphi II, *welche zu Franckfurt im Jahre 1577 aufgerichtet iſt*; 60) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1582 zu Augſpurg aufgerichtet iſt*; 61) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1594 zu Regenſpurg aufgerichtet iſt*; 62) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Regenſpurg im Jahre 1598 aufgerichtet*

richtet iſt; 63) *Deputations-Abſchied, welcher zu Speyer im Jahre 1600 aufgerichtet iſt;* 64) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher im Jahre 1603 zu Regenſpurg aufgerichtet iſt;* 65) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Regenſpurg im Jahre 1613 aufgerichtet iſt;* 66) *Prager Friedens-Schluß, welcher im Jahre 1635 aufgerichtet iſt;* 67) *Auszug des Reichs-Abſchiedes, welcher zu Regenſpurg im Jahre 1641 aufgerichtet iſt;* 68) *Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis;* 69) *Inſtrumentum Pacis Monaſterienſis;* 70) *Kayſerl. Executions Edict vom Jahre 1648;* 71) *Arctior modus exequendi;* 72) *Erſter Friedens-Executions-Haupt-Receß vom Jahre 1649;* 73) *Anderer Friedens-Executions-Haupt-Receß, vom Jahre 1650;* 74) *Kayſers* Ferdinandi III *Reichs-Hof-Raths-Ordnung, vom Jahre 1654;* 75) *Abſchied der Röm. Kayſerl. Majeſtät und gemeiner Stände, welcher auf dem Reichstag zu Regenſpurg im Jahre Chriſti 1654 aufgerichtet iſt;* 76) *des Heil. Röm. Reichs Cammer-Gerichts-Ordnung, aus allen alten Cammer-Gerichts-Ordnungen und Abſchieden, auf dem Reichstage zu Augſpurg im Jahre 1548 von neuen zuſammen gezogen, vermehret, verbeſſert, und auf dem Reichstage zu Augſpurg im Jahre 1555 erneuert und publicirt; nebſt einem kurtzen Begriff, was durch den Weſtphäliſchen Frieden und den Reichs-Abſchied des Jahrs 1654 verändert worden.*

BIBLIOTHECA MEDICI ERUDITI, PETRO A CASTRO, Bajonate, Autore, nunc primum ab ANDREA PASTA, Bergomate, recenſita atque aucta.

Bergomi, ex typographia Joannis Santini, 1742, 8.

Plag. 11.

Inter plures alios, quorum de libris medicis exſtant judicia, non ultimum adhuc locum tenuit *Petrus a Caſtro*, Medicus Veronenſis, multis ingenii monumentis clarus, quod, quæ ab ipſo primum Patavii A. 1654 in forma, ut vocant, duodecima edita fuit Bibliotheca medici eruditi, nec contracta nimium eſt, nec mole ſua laborans, nec ulli denique, ſive ſinceriora

ceriora judicia exſpectes, ſive meliorem ames ordinem, ſecunda. Quoniam tamen hoc etiam negari haud poteſt, in eadem Autores nonnullos præſtantiores deſiderari, quosdam inferioris notæ adduci, nec ullam ullius editionis mentionem fieri; eo Cl. *Paſta* omnem ſuam operam contulit, ut omiſſos Autores recenſeret, illuſtriores in quibusliber artis partibus excitaret, editionesque principum ſaltem Medicorum, aliorumque ſummorum hominum, meliores, Græcas non minus, quam Latinas, & Latino-Græcas, indicaret. Interdum quoque ab Autoris mente diſceſſit, judicium præſtantiſſimorum virorum, ac potiſſimum *Hermanni Conringii*, quem æſtimatorem Autorum medicorum maxime ſincerum ac celeberrimum eſſe profitetur, rationemque ipſam, ſecutus. Neque minus Bibliothecam hanc præſtantioribus recentiorum ſcriptis, in hunc uſque diem emiſſis, auxit, ſimulque innuit, quales libros aut tirones, aut provectiores Medici, evolvere debeant, ne ſcilicet, qui profuturi ſunt tempore, obſint, ſi intempeſtive legantur. Demum, cum haud raro ſoleant eſſe alii præ inopia multis libris continuo emendis, alii, iique craſſioris Minervæ, intelligendis iisdem, impares, contractam ideo Bibliothecam attexuit, eos tantummodo magno ſelectu comprehendentem, quibus carere facile Medicus nequit, donec ea augeatur aliquando, ſi acuatur ingenium, vel rei domeſticæ rationes id ferant. Quanquam vero facile fieri potuit, ut ſcriptorum medicorum unus & alter cognitioni Autoris ſe ſubduxerit, jure tamen meritoque eidem laudem eruditionis, diligentiæ, acuminis, fidei, & candoris, tribuimus, utpote qui ſcriptores meliores tum ſuperioris, tum noſtræ, ætatis, ex quibuscunque provinciis, optime cognitos habet & perſpectos, dotes eorum magno judicio internoſcit, & ſuæ non magis gentis ſcriptores, quam eos, qui trans Alpes ſibi aliquam nominis famam compararunt, pro merito collaudat, ex Germanis, præter complures alios, quorum mentionem injicit, *Bohnii*, *Hoffmanni*, atque *Heiſteri*, merita mirifice extollens. Supereſt nunc, ut pauca quædam ex his Cl. *Paſtæ* annotationibus excerpamus. *Pag. 7*, *Hollerii* & *Jacotii* commentaria, ſemel tantum typis divulgata, atque hinc inventu difficil-

lima, *Duretianis*, sæpe licet impressis, præferenda esse, censet; *pag. 9 Heurnium* in *Hippocratis* Aphorismos, utpote nimis brevem, minus tironibus, *Hollerium* vero, planum, accuratum, observationibusque & cautionibus abundantem, magis, commendat; *pag. 14*, quanquam *Claudini* liber *de ingressu ad infirmos* nunquam sine utilitate legatur, majorem tamen eam futuram esse judicat, si is nimia divisionum subtilitate, quæ tironibus negotium faceſſit, opus illud non obruisset; *pag. 24 Bidloi* Tabulas anatomicas æri incisas maxime omnium commendat. Qua in re tamen post tot nævos, in hoc Opere, alias elegantissimo, detectos, non omnino cum Cl. *Pasta* consentimus. *Pag. 29 Aretæum*, *Aurelianum*, *Trallianum*, *Oribasium*, *Aetium*, & *Paulum Æginetam*, *Avicennæ*, &, quotquot exstiterunt, Arabibus, longe anteponit. Quanquam enim non minus, quam Arabes, Græcorum scripta compilaverint, feliciores tamen fuerunt rhapsodi, nec philosophicis tricis morantur lectorem, nec tenebris scatent Arabum. *Pag. 36 Ettmulleri* Praxin, quod opus eruditissimum vocat, non ante legendam existimat juniori medico, quam artis usum fuerit adeptus, quia præceptore indiget pro remediorum delectu; *pag. 40* methodus, morbis infantum acutis medendi, a *Gualtero Harrisio* proposita in Italiæ regionibus, vix ac ne vix quidem tuta Nostro videtur, cum infantes ægerrime ferant purgantia, nec absorbentium virtutem, æque ac in Anglia, persentiscant; *pag. 61* medicis, quibus res domi non angusta est, consilium suggeritur, ut, qui in *Mangeti* Bibliotheca Anatomica conjunctim exstant Tractatus, hos potius primum ab Autoribus suis emissos emant, quod ita & figuras exactiores, & castigatiorem habituri essent textum; *pag. 71 Weinmanni* præstantissimum Phytanthozaicono-graphiæ opus adeo prædicat Editor, ut, aptiorem tironibus botanicis librum se vidisse, neget; *pag. 118*, cum *Galenus* putet, *Thucydidem* pestem illam, quam *Lib. II Cap. 8* Belli Peloponnesiaci memorat, enarrasse, non ut medicum medicis, sed ὡς ἰδιώτην ἰδιώταις, Noster nullus dubitat descriptionem illam ita vindicare, ut, si non a Medico, certe a diligentissimo Historico, nec medicæ artis omnino ignaro, profectam esse, affirmet. Ideoque ad *Paulum Victorium* in Variis Lectionibus accedit

cedit potius, *Lucretium* arguentem, in expoſitione *Thucydid. II, 50, pag. 129 edit. Amſt. A. 1731, fol.*: Καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τέτων διέφευγον εἰσὶ δ' οἱ καὶ ὀφθαλμῶν, quam ad alios, qui *Lucretium* defendunt. Hic quippe Poetarum more partim addit, partim omittit, partim mutat ac ſeparat, ut unicuique, utramque peſtis deſcriptionem conferenti, patet. Ac, ſi præ mortis metu, cujus nullam ibi, uti *Lucretius* facit, mentionem injicit *Thucydides*, ferro privatos virili parte dicere auſis, fatearis quoque, neceſſe eſt, non modo manuum pedumque extremitates abſciſſas fuiſſe, verum etiam effoſſos ferro oculos; non enim minus a στερισκόμενοι dependent verba: εἰσὶ δ' οἱ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, quam ſuperior dictio τέτων. Quod ſi affirmaveris, anne horrendum hoc prætermiſiſſet *Thucydides*, in aliis minoris momenti rebus recenſendis accuratiſſimus? Quamobrem credibile videtur Noſtro, nonnullos mortem effugiſſe extremis corporis partibus, ut *Thucydides* inquit, læſis remanentibus, multos etiam convaluiſſe, manuum pedumque extremitatibus morbo abſumtis, multos teſtibus aut cole corruptis, ſponteque decidentibus, nonnullos quoque amiſſis oculis. Neque enim videt, cur peſtis teſtes depaſcere nequeat, ceteris illæſis viſceribus, quod per malignas febres, natura morbum ſuperante, accidiſſe, ipſemet obſervavit.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum Scientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis III Pars II.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchium, 1744, 8.

Plag. 12.

Non eſt, quod Lector longa & copioſa argumenta, e *Miſcellaneorum* hac *Parte* decerpta, a nobis exſpectet. Eos enim, qui legendis eis paululum vacant, tempus omne ſuum fruſtra contrituros eſſe, ut credamus, haud a nobis poſſumus impetrare. Dabimus tamen potiora, ut, quid rerum hic ſit quærendum, nemo non intelligat. Principem locum tenet *Jo. Conradi*

Schwartzii Explanatio loci 2 Cor. XII, 7, ubi *Paulus*, ſibi σκόλοπα τῇ σαρκὶ datum eſſe, confitetur. Inquirit Cel. Vir, an in ſcriptis veteris Eccleſiæ Judaicæ memoretur homo, quem
Pag. 184. Deus propter ſummam in ipſum gratiam per ſatanam afflixerit ita, ut is ſpiritus ſibi tantos ſumeret, Deo ipſi ut os obvertere, & ſe, neſcio cujus præſtantiæ cauſa, efferre auderet. Is ipſi videtur fuiſſe *Jobus*. Quare, per σκόλοπα deſignari, putat, *vermem*, σκώληκα, æque ex σκέλλω (exſicco, arefacio,) de-
189. ductum. *Jobus* certe a vermibus traditur fuiſſe divexatus. Vide LXX *Job. II, 9, VI, 4, VII, 5.* Exinde Autor rationem promit, cur σκόλοψ dicatur (divinitus) *carni* datus, &
191. cur ἄγγελος tam arcte σκέλοπι jungatur. Addit, vocem ἀγγέλω ad res etiam transferri, quæ quoquo modo rem quamque prodant, aperiant, ſignificent, ac in lucem proferant. Teſtes citat LXX ad *Job. XXI, 15, Deut. XXXIII, 2, Prov. XXVI, 6, Job. XLI, 6.* Ἄγγελος σατᾶν, ipſo judice, eſt index dæmoniacæ afflictionis. Sententiam tandem hanc *Paulo* tribuit:
193. *Ne revelationum magnificentia efferar, hæret in parte mei ea, quæ ad peccata facile inflammari poteſt, divinitus immiſſum omne afflictionis genus, tam in Jobo vermium illa copia, quæ violentiæ ſatanicæ certiſſimum præbebat indicium, quæ eadem me quoque affligat oportet, ut ne animus meus efferatur.* Excipit hanc Commentationem Diſſertatio *Petri Zornii de Ebræorum precibus litoralibus, ad illuſtrationem Act. XXI, 5.* Commemorabilis eſt locus *Tertulliani*, quo referuntur Judæi, omiſſis templis, per omne litus quocunque in aperto aliquando jam preces ad cœlum mittere. Falluntur, qui preces haſce ad Proſeuchas, vel Synagogas, putant revocandas. Sub dio, conventibus extraordinariis ad litora actis, preces illæ fuerunt peractæ. Ne-
198. gat itaque Noſter, Judæos in proſeucha litoris prope Tyrum preces dixiſſe, ratus, in litore aperto eas fuiſſe inſtitutas, & peractas inter ſtandum. Succedit *de Lupis, quinta plaga Ægypti*, ad *Exod. VIII, 17, Pſ. LXXVIII, 45, CV, 3, Obſervatio M. Danielis Godofredi Werneri*, Paſt. & Prof. Primar. Colle-
201. gii Græningiani Stargardiæ. Refellit Pl. Rev. Autor eos, qui voci עָרֹב ſubſtituunt poteſtatem ac notionem colluviei, muſcæ caninæ, curculionis, ac deinde ſuam ſententiam, *lupis* faventem,

ventem, expromit. Cur ita ſentiat, hiſce utitur rationibus. *Hirpinos*, Italiæ populos, a *lupis* dictos eſſe, meminit. R. *Samuel Ben Meir* ad *Ex. VIII, 17*, largitur, voci *arob*, עָרֹב, Pag. 215.
ineſſe ſignificatum lupi veſpertini, ex עֶרֶב, *veſpere*, decerptum. Arabes verbo عرب, *arab*, utuntur, deſignantes actionem *comedendi* ac *conſumendi*. Quid itaque veri ſimilius eſt, quam עָרֹב eſſe *voracem*, *edacem?* Inde eſt per metatheſin רעב, رَصَبٌ, *raab*, famelicus, guloſus, vorax. Famelicus vero 217.
quisque dicitur *lupo avidior*. Avidam lupi rapacitatem deſcripſerunt *Virgilius Æn. II, 355*, *Ovidius Triſt. I, 5, 10*, ac *Phædrus I, 1*. Videntur ex eadem originatione corvi dicti eſſe עֹרְבִים. Fortaſſis *Diodori Siculi* in fabula aliquid de quinta illa Ægypti clade ſupereſt. Ipſe enim *Lib. I* tradidit, *ſub Æthiopum in Ægyptum irruptionem ingentes luporum catervas conveniſſe, qui hoſtium incurſantium agmen ultra urbem Elephantinam inde fugaverint*. Quis enim neſcit, Judæos antiquiſſimos quondam dictos fuiſſe Æthiopas? Terra enim Goſchen erat pars provinciæ Caſiotidis, ſeu כּוּשׁ, *Cuſch*. Græci autem Cuſch & Æthiopas pro regione incolisque iisdem habuerunt. Procedimus hinc ad *C. A. Heumanni Symbolam criticam ad Juſtinum Martyrem*. Cum nuper Cel. Autoris ſub 222.
oculos veniſſet nova illa, eaque nitidiſſima, *Juſtini Martyris* Operum editio, quam adornaſſe conſtat *Prudentium Maranum*, Benedictinæ religionis Monachum doctiſſimum, ipſe ſtatim animum induxit, quæ ad piiſſimum hunc Scriptorem quondam annotaverat, recognoſcere, ſique reperiret, quæ loca quædam *Juſtini* vel exhiberent ſincerius, vel interpretarentur rectius, ea proferre in publicum, communique uſui exponere. Contulit ipſe in locis, quæ emendavit, *Jebbianam* & *Thirlbianam* editionem in *Dialogo cum Tryphone*, & harum utramque comparavit cum recentiſſima, eaque *Maraniana*. Ad *Apologiam Juſtini priorem* habes hic emendationes quinque, ſua in luce collocatas. Ad *poſteriorem* habes emendationes tres. Ad *Dia-* 233.
logum habes emendationes generis haud unius complures. Succedit *Chriſtophori Saxii* Επικρίσεις Φιλολογικῆς, ſive *Strictura-rum in nuperum Franci cujusdam libellum de incerto hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ, Sectio III & ultima*. Orditur Vir opti- 235.

mus a monumentis veterum Romanorum, memoriæ ſignis, dicere, e quibus *Livius*, *Dionyſius*, aliique Romani ſcriptores, ſua deſumſerunt. *Livius* meminit actorum urbanorum, ſeu diurnorum, *XLIV, 18, 22.* Id cum indicaſſet Noſter, Franci ſententias inde ab hujus *Lib. III pag. 26* ſumſit examinandas. Qui res Romanorum veterum, antiquitates eorum ſacras & profanas, artem criticam paſſim feliciter exercitatam, ac ſolidam eruditionem, cordi habent, eos ad hanc Epicriſin, quæ in compendium redigi haud poteſt, ſponte ſua acceſſuros, exiſtimamus. Diligentiam ſpirat catalogus Autorum vetuſtiſſimorum, qui de rebus Romanis ante *Diodorum Siculum*, *Livium*, *Dionyſium*, & *Plutarchum*, ſcripſerunt, tum eorum, quorum ætas eſt cognita, tum illorum, quorum tempus & ætas ignoratur. Argumentum illud, quod ex diſſenſione Autorum ad tollendam eorum fidem adhiberi ſolet, ſolide in utramque partem diſpicit Autor ac diſſolvit. *Æneæ* in Italiam adventum propugnat. De anno urbis conditæ diſſerit, ac Æram *Catonianam Varronianæ* præfert. Schema ſtemmatis generisve, quo *Tarquinii* Romani fuerunt uſi, adjungit *pag. 315.* Tum vero exhibetur *J. C. H. Continuatio criticarum in Julii Cæſaris libros emendationum*, cujus Autor oſtendit, librarios nonnunquam ob verbum conſimile proximum unam alteramque vocem omiſiſſe, gloſſemata miſellorum Grammaticorum, margini illita, in contextum recepiſſe, ac inprimis multifariam in nominibus propriis peccaſſe deſcribendis. Spem ipſe facit unius ac alterius continuationis ſubſecuturæ. Septimo loco comparent *Vocum aliquot Latinarum, quæ in vulgaribus Latinæ linguæ Lexicis fruſtra quæruntur, ex priſcis Autoribus collectarum a Frid. Ottone Menckenio, Sectio II, quartum continuata.* Familiam hic ducit *palæſtricus*, Subſt. cujus generis eſt *ſcenicus* apud *Juſtinum XXXVIII, 10 Palæſtra* certe non modo notat locum, in quo certatur, ſed inprimis etiam ipſam luctandi, aut corporis geſtum conformandi, artem. *Palæſtricus* eſt is, qui publice hanc artem docet, *Quintiliano* bis memoratus. Succedunt *panchreſtus*, Adj. *pedicularius*, Adj. *pellectio*, *Ciceroni* probata, *perdives*, *perfrequento*, *perturbativus*, Adj. *Philippeus*, Subſt. *pigmentarius*, Adj. *polentatus*, Adj. id eſt, polenta infectus, *pollutor* Caſſiodori, *polygonium*, herba, *præ-*

Pag. 237.

276.

290.

303.

329.

346.

nuntius,

nuntius, Subſt. *præſtigia*, ſingulari numero, *præſtigium* Caſſiodori, Pag. 365.
proflagrare, *profligatio*, *propiunt* Livii, *pullum*, Subſt. *quamplurimum*, *quanam*, interrogativum loci, *quolibet*, ejusdem generis, *recompenſare*, inferioris ſeculi, *recompenſatio* Caſſiodori, *redivivatio* 368.
& *referiatio* ejusdem, *retentus*, Adj. ex *retendo*. In fine ſubjunctas vides *Ottonis Menckenii ad Guilielmum Caveum Epiſtolas duas*. Priori ille huic *Ad. Andr. Hochſtæterum* & *Joannem Reinhardum Hedingerum*, in Angliam iter facturos, commendat; poſteriori hunc de morte *Wagneri*, docti hominis, inter Lipſienſes olim clari, reddit certiorem.

NOVA LITERARIA.

Quid novi literis dederit Florentiæ Muſa *Ant. Franc. Gorii*, Viri doctiſſimi, & in antiquitatibus Romanis vere magni, en, accipe, Lector, ex literis publicis, ad omnis generis eruditos homines datis haud ita pridem a *Petro Cajetano Viviano*, Florentinæ urbis haud ignobili Typographo, dignis omnino, quæ cum Lectoribus noſtris integræ communicentur:

Prodiit in lucem ex officina mea tertium ac poſtremum Volumen Inſcriptionum antiquarum, quæ in Etruriæ urbibus exſtant, cui hic titulus: Inſcriptionum antiquarum Græcarum & Romanarum, quæ in Etruriæ urbibus exſtant, Pars tertia, in qua Appendix poſtrema: adjectis Tabulis L, Laconico Piſano, Sarcophagis & Urnis, anaglypho opere ſculptis, quæ in Florentinis Muſeis, ceterisque per Etruriam, ſpectantur: cum Obſervationibus *Antonii Franciſci Gorii*, Publici Hiſtoriarum Profeſſoris, &c. *Hujusmodi Volumen, quod conſtat foliis 161, nempe paginis 648, dedicatum eſt Viro Nobiliſſimo ac Doctiſſimo, deque literario orbe optime merito*, Jacobo Philippo d'Orville, *Amſtelædamenſi, propter egregia ejus in Autorem merita. In Præfatione cauſas affert* Gorius, *cur tam diu editionem hujus Operis diſtulerit; mox de primis antiquarum Inſcriptionum editoribus diſſerit, &, facile principem fuiſſe, aſſerit*, Franciſcum Albertinium, *Florentinum, ſuosque labores in his monumentis ubique inveſtigandis exponit. Nam in hoc Volumine ſexcentos ſexaginta antiquos lapides, pauciſſimis exceptis, nunquam antea editos, coadunavit, & perpetuis ſuis Obſervationibus illuſtravit. Adjecit huic Operi Tabulas* quinquaginta, *in quibus æri inciſa explicavit vetera marmorea monumenta, nempe Sarcophagos & anaglypha Sepulcrorum, variis emblematis inſculpta, a nemine antea in lucem edita, quæ in Muſeo regio Magni Ducis Etruriæ, ejusque in regiis Villis & Hortis, itemque in Ædibus Nobiliſium Procerum, & in reliquis Etruriæ urbibus, ſpectantur. In Tab. I Modium ex ære veterum Romanorum, e Muſeo ſuo in Regium Cimeliarchium translatum, pervulgavit; Tab. III Segmentum* Lithoſtroti, *muſivo opere affabre picti, quod L. Sulla in Fortunæ delubro Præneſte dedicavit, e penu rei ſuæ antiquariæ; mox* Triclinium *vetuſtiſſimum e Muſeo Nicolinio, item*

item Manum Pantheam *votivam e Muſeo Antinorio, & alia hujusmodi eximia vetuſtatis monumenta, quæ nunquam in conſpectum hominum delatum venere, luculento Commentario explicavit. Singulæ Tabulæ a peritiſſimis cælatoribus diligenter inciſæ, Viris illuſtribus ac nobilibus dedicatæ ſunt, quorum elenchus affertur in pag. 155, quos quidem (maxime vero exteros) Autoris nomine moneo & oro, ut quamprimum hoc Volumen, quod ipſis Societati ſubſcriptis debetur, accipiant, & ſibi tradendum curent. Præ ceteris antiquis inſcriptis marmoribus ea, quæ Autor appellat* maritima, *in hoc Opere locum habent, quæ ſpectant ad Hiſtoriam navalis militiæ Romanorum, quæ olim Neapoli in Muſeo Andreinio ſervabantur, nunc, Florentiam translata, in Goriano Muſeo exſtant, in quibus Trieres, Quadrieres, & Quinquieres, & Liburnæ claſſium Romanarum ad Miſenum & Ravennam, & militarium virorum officia, recenſentur & explicantur. Accedit* Laconicum, *ſive* Hypocauſton, Piſanum, *quod integrum hodie exſtat, illuſtratum Commentariis ſummorum Virorum,* Franciſci Robortelli, Franciſci Mariæ *Equitis* Ceſſinii, Joannis Rhodii, Andreæ Baccii, Henrici Noris, *quæ, in libris ſparſa, in unum hic colliguntur; quibus accedunt ejusdem Editoris Obſervationes nonnullæ, & Sylloge lapidum antiquorum, quos* Balnearios *appellat, quod in his Balneorum ædificia, & Balneatorum munia, recenſeantur, & hi prodeunt in lucem ab eodem Autore Notis ubique illuſtrati. Succedunt poſtea Monumenta veterum Chriſtianorum, quæ e* Florentinis Cœmeteriis *eruta ſunt. Inter hæc inſignis eſt ille Chriſtianus titulus, ſcriptus Honorio XI & Conſtantio iterum Conſulibus, allatus pag. 314, in quem luculentas ſuas obſervationes adjecit Vir doctiſſimus ac celeberrimus,* Joannes Caſpar Hagenbuchius, *Tigurinus, & multa notatu digna animadvertit, quod & fecit in æream Tabulam, quæ continet omnium antiquiorem honeſtam miſſionem, ab Imp. Servio Galba militibus veteranis Legionis Primæ Adjutricis donatam. Claudit agmen Appendix poſtrema, in qua alii vetuſti lapides explicantur. Summam manum huic ærumnoſo Operi imponens Autor, in fine adjecit* Indices *omnium antiquarum Inſcriptionum, quæ tum in hoc Volumine* tertio, *tum in* primo, *ac* ſecundo, *jam editis, afferuntur, in modum* Gruterianorum *&* Reineſianorum *adornatos, ſubjectis* rerum, *quæ annotantur,* duobus Indicibus. *Volumen hoc tertium, ut & alia duo, jam edita, impreſſa ſunt in duplici charta, in majore nimirum & minore folio. Primi & ſecundi Voluminis perpauca apud me ſervantur Volumina; adeoque* Volumen primum *in charta majore, aucto pretio, nunc venale proſtat ſcutatis Florentinis quatuor; in charta vero minore ſcutatis tribus.* Volumen ſecundum, *in majore charta excuſum, venditur nunc Florentinis ſcutatis duobus, & inſuper libris quatuor; in charta vero minore ſcutatis Florentinis duobus.* Volumen tertium, *ſuperius deſcriptum, toto hoc anno 1745 venale proſtat apud me in charta majore ſcutatis Florentinis quinque; in charta minore ſcutatis itidem Florentinis quatuor; ſed, tranſacto anno 1745, eorundem exemplarium tertii Voluminis pretium augebitur; quod, ne cultores eruditæ antiquitatis lateret, breviter exponendum curavi.*

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLV.

Pars I.

JOANNIS MOLLERI, FLENSBURGENſis, Cimbria literata, ſive Scriptorum Ducatus utriuſque, Slesuicenſis & Holſatici, Hiſtoria literaria tripartita, cum Præfatione JOANNIS GRAMMII.

Tomi III.

Hafniæ, ſumtibus Orphanotrophii Regii, 1744, fol.
Alph. 27 plag. 11.

Exit tandem publicam in lucem Opus hoc *Molleri*, per quadraginta annos ſummo ſtudio elaboratum, ac poſt ejus mortem ſatis diu a doctiſſimo quoque exſpectatum. Exit autem beneficio novi Mæcenatis, Illuſtriſſimi Viri, *Joannis Ludovici de Holſtein*, unius e principibus Daniæ Regis Conſiliariis & Cubiculariis, Ephori item Academiæ Hafnienſis, & Præſidis Collegii de curſu Evangelii promovendo, Inſpectorisque Eccleſiarum, Regi ſuo ſubjectarum, generalis. Exit denique ornatum Præfatione Illuſtris Viri, *Joannis Grammii*, triginta ſex implente paginas. In hac doctiſſime pariter & copioſe diſſeritur primo de officiis & virtutibus Hiſtorici literarii, deinde de *Molleri* ſumma induſtria, ampliſſima eruditione, largis ſubſidiis, ſcribendi methodo, judicio, candore, & ἀπαθείᾳ, denique de utilitate hujus Operis ad Hiſtoriæ, & eccleſiaſticæ, & civilis, potiſſimum tamen eccleſiaſticæ, cultores redundante. Hinc fatetur ingenue, in tantum Opus irre-

pfiſſe errorum nonnihil, indicans quoque, & ſimul corrigens, quosdam; prætereaque ſtilum non habere ſatis elegantiæ; quod quidem vitium recte in Hiſtorico agnoſcit minimum. Ultimo loco eruditiſſime docet, quibus finibus circumſcripta ſit *Cimbria*, nec *Molleri* ſolum, verum etiam *Ottonis Sperlingii*, hac in re errorem coarguit. Illud quoque hic docemur, *Molleri* filium, *Olaum Henricum*, (quem nunc Hafnienſis Academia Profeſſorem habet Hiſtoriæ literariæ,) mendas typographorum tollendi ſuſcepiſſe negotium; eundemque nunc in eo eſſe, ut, quas pater nondum elaboratas reliquit, vitas *Aug. Herm. Franckii*, *Jo. Frid. Mayeri*, *Henr. Muhlii*, *Jo. Wilh. Peterſenii*, & uxoris ejus, concinnet atque edat; id quod ut quamprimum faciat, optamus, & publico nomine rogamus.

Intramus nunc *Tomum primum*, in quo Autor ita exhibet ordine alphabetico indigenas ſcriptores, ut vitam cujusque deſcribat, & cum editorum, tum ἀνεκδότων, librorum ejus indicium faciat, de iisque judicia proferat doctiſſimorum hominum. Noſtrum eſſe putamus, eos nominare, qui ſunt clariſſimi, vel ſaltem notiſſimi; ita tamen, ut illos omittamus, de quorum vita & ſcriptis pleniſſimam tractationem *Tomus tertius* exhibet. Prodeunt igitur hic *Jacobus* & *Iſaacus Abendanæ*, Judæi fratres, *Guilielmus* & *Lampertus Alardi*, pater & filius, *Trogillus Arnkiel*, *Petrus Fridericus Arpius*, *Petrus Axenius*, *Hartwigus Bambamius*, *Nicolaus Beckmannus*, *Pufendorfii* adverſarius infelix, *Gerhardus Blaſius*, *Andreas Bordingus*, *Lucas a Boſtel*, *Bartholdus Botſaccus*, *Henricus Brakerus*, *Adamus Brandius*, *Rudolphus Capellus*, *Benedictus a Caſtro*, exjudæus, *Joannes Chriſtenius*, *David Clodius*, *Dethlevus Cluverus*, *David Cohen de Lara*, Judæus, *Magnus Cruſius*, *Petrus* & *Joannes Adolphus Cyprii*, *Caſpar Danckwerth*, *Theodorus Daſſovius*, *Georgius Dedekennus*, *Brandanus Detrius*, *Georgius Eliezer* & *Sebaſtianus Edzardi*, *Paulus Egardus*, *Joannes Hermannus ab Elswich*, *Jacobus Fabricius*, *Bartholdus Feindius*, *Joannes Henricus Feuſtkingius*, *Eraſmus Franciſci*, *Auguſtus Hermannus Franckius*, *Georgius Freſius*, thavmaturgus, *Petrus Goldſchmidius*, *Caſo Grammius*, *Georgius Greenius*,

nius, Ovenus Guntheras, Joachimus Hagemeierus, Joannes Adolphus Hoffmannus, Anna Ovena Hoyeria, Joannes Jonſius, Matthias Knutſenius, atheus, *Andreas Ludovicus Kœnigsmannus, Matthias Nicolaus & Sebaſtianus Kortholti, Nicolaus Kragius, Joannes Kunckelius, Achilles Daniel Leopoldus, Severinus Lintrupius, Daniel Lipſtorpius, David Lobechius, Joannes Loccenius, Joannes & Zacharias Lundii, Henricus Lyſius, Mich. Maierus, Bernhardus Gualterus Marpergerus, Joannes Matthesonius, Chriſtianus Matthiæ, Caſpar Mauritius, Gerhardus Meierus, Jacobus a Mellen, Nicolaus Mercator, Eraſmus Michaelius Lætus, Burchardus Mithobius, Nicolaus Mollerus, Wilhelmus Momma, Joachimus Morſius, Joannes Laurentius a Mosheim, Chriſtianus Mundenius, Sebaſtianus Niemannus, Joſias Henricus & Paulus Fridericus Opitii, Joachimus Oporinus, Petrus Palladius, Theodorus Petræus*, vir Æthiopice doctiſſimus, *Hieronymus Prætorius, Joachimus & Samuel Rachelii, Nicolaus Raimarus Urſus, Ranzovii* plures, *Bernhardus Raupachius, Joachimus Ludovicus Reimerus, Joannes Rendtorfius, Michael Richey, Joannes Riſtius, Guernerus Rolfinccius, Martinus Ruarus, Henricus Rumpius, Henricus Schœvius, Henricus Scharbau, Chriſtophorus Schelhammerus, Juſtus Chriſtophorus Schomerus, Daniel Severinus Sculetus, David Schultetus, Chriſtianus Scriverus, Petrus Severinus, Nicolaus & Nic. Petrus Sibbernii, Michael Siricius, Severinus Waltherus Sluterus, Otto Sperlingius, Nicolaus Staphorſtius, Caſpar Henricus Starckius, Jacobus Stolterfohtius, Joannes Suaningius, Petrus Terpagrius, Nicolaus Tetingius, Adamus Tribbechovius, Henricus Vagetius, Joannes Vorſtius, Magnus Wedderkopfius, Henricus Weghorſtius, Jacobus Werembergius, Jo. Werlhofius, Willichius Weſthovius, Nicolaus Wilckens, Chriſtianus Woldenbergius, David Wolderus, Chriſtophorus Woltereckius, Franciſcus Wærgerus, Petrus Zornius.* Queri vero poſſemus de Autore, ſi non & ſuam ſcripſiſſet vitam, ſuaque indicaſſet ſcripta ſane doctiſſima. Fecit igitur utrumque a *pag. 428* ad *433*. Ex hoc *Tomo* permulta peti poſſe ad illuſtrandam noviſſimam Eccleſiæ, maxime noſtratis, hiſtoriam, jucunde inter legendum cognovimus; qui

& docere poſſumus Lectores noſtros, *Mollerum*, mitiſſimi & pacis publicæ amantiſſimi virum ingenii, minime laudare immitiores zelotas, *Daſſovium*, *Mayerum*, *Sebaſt. Edzardum*, *Vackium*, *Bambamium*, & ſimiles.

Tomus ſecundus eundem in modum deſcriptos exhibet exteros, in Ducatu utroque, Slesvicenſi & Holſatico, vel muneribus functos publicis, vel commoratos diutius. Quam multi doctrina nobiliſſimi viri hic occurrunt, quos hoc in Opere quæſiſſet nemo! & quanta diligentia vita cujusque exponitur! quam perfecta eſt enumeratio ejus librorum! quam multorum gravium virorum proferuntur de eo judicia! Inprimis commemorandum nobis eſt, non paucos hic exhiberi e medio, quod vocant, ævo celeberrimæ famæ viros eccleſiaſticos, de iisque proferri, quæ propria induſtria collegit Autor, acti adhibito judicio falſas narrationes a veris diſcernendi ſtudioſiſſimus. Largam igitur hic, Lector, accipis notitiam *Adalberti*, Epiſcopi Bremenſis, *Adami Bremenſis*, *Amalarii Fortunati*, *Ansgarii*, *Arnoldi Lubecenſis*, *Ebbonis*, Archiepiſcopi Rhemenſis, *Halitgarii*, *Lebuini*, *Ludgeri*, *Vicelini*, *Unnonis*, *Wigberti*, duorum *Wilibaldorum*, *Wilibrodi*, pluriumque. E recentioribus hos potiſſimum hic deprehendiſſe jucundum erit lectoribus, qui miraturi ſunt amplam de ſingulis congeriem, & vix plura deſideraturi. Hi ſcilicet ante ceteros nominandi nobis videntur: *Chriſtianus Aagardus*, Poeta Latinus, *Joannes Æpinus*, *Leo ab Aitſema*, *Eraſmus Alberus*, *Chriſtoph. Henr. Amthor*, *Joannes Arnoldi Corvinus*, *Gabriel d' Artis*, *Lucas Bacmeiſterus*, *Henr. Bangertus*, *Herm. Bonnus*, *Corn. Bontekoe*, *Jac. Bordingus*, *Tycho Brabeus*, *Joach. Juſtus Breithauptius*, *Caſp. Buiſſingius*, *Phil. Cæſar*, *Rodericus a Caſtro*, *Bogislaus Phil. Chemnitius*, *Joannes Corvinus*, *Pancratius Crugerus*, *Frid. Dedekindus*, *Joannes Draconites*, *Chriſtianus Wilh. Eybenius*, *Jo. Alb. Fabricius*, *Chriſtianus Falſterus*, *Alb. Feldenius*, *Paulus Flemmingius*, *Chriſtoph. Franckius*, *Joannes a Fuchte*, *Frid. Gentzkenius*, *Juſtinus Goblerus*, *Georg. Henr. Gœtzius*, *Nic. Grevinchovius*, *Hugo Grotius*, *Otto Gualtperius*, *Otto a Guericke*, *Meno & Phil. Lud. Hannekenii*, *Jo. Lud. Hannemannus*, *Dan. Hartnac-*

Hartnaccius, *Abr. Hinckelmannus*, *Jo. Henr. Horbius*, cujus hiſtoria pleniſſime deſcribitur, *Jo. Hübnerus*, *Nic. Hunnius*, *Elias Hutterus*, *Steph. Klozius*, *Jo. Melch. Kraftius*, *Chriſtianus Krumholzius*, demagogus peſſimus, *Jo. Laſſenius*, *Petrus Laurenbergius*, *Martinus Lipenius*, *Stanislaus Lubieniecius*, *Jo. Burch. Majus*, *Aaron Margalitha*, exjudæus, *Petrus Jac. Marpergerus*, *Petrus a Maſtricht*, *Jo. Frid. Mayerus*, *Jo. Henr. Meibomius*, *Dan. Georg. Morhoſius*, *Henr. Muhlius*, *Petrus Muſæus*, *Erdm. Neumeiſterus*, *Phil. Nicolai*, *Chriſtianus Niſanius*, *Adamus Olearius*, *Henr. Opitius*, *Georgius Paſchius*, *Chriſt. Franc. Paulini*, *Jo. Nic. Pechlinus*, *Aug. Pfeifferus*, *Sam. Pomarius*, *Æmilius Portus*, qui aliquamdiu vixit in aula Holſatica, *Jo. Poſſelius*, *Andr. Pouchenius*, *Eſaias Puſendorfius*, *Chriſtianus Ravius*, *Theod. Reinkingius*, *Ant. Reiſerus*, *Sam. Reyherus*, *Jo. Rhenius*, *Angelus Sala*, *Caſp. Herm. Sandhagenius*, *Eraſmus Sarcerius*, *Gunth. Chriſtoph. Schelhammerus*, *Jo. Balth. Schuppius*, *Anna Maria Schurmannia*, *Otto Sperlingius*, *Nic. Stenonis*, *Petrus Suavenius*, *Joannes Tauſanus*, primus in Dania religionis a *Luthero* repurgatæ doctor, *Caſp. Thurmannus*, *Adamus Tratſigerus*, *Caſp. Ern. Trillerus*, *Andreas Vellejus*, *Conradus Vorſtius*, *Uriel a Coſta*, e Judæo Naturaliſta verius, quam atheus, *Mich. Watſonus*, *Jo. Angelus a Werdenhagen*, *Eberhardus a Weybe*, *Benedictus & Joannes & Jo. Frid. Wincleri*, *Vitus Winshemius*, *Jo. Chriſtoph. Wolfius*, *Phil. a Zeſen*, *Henricus Zutphanienſis*. Brevitas noſtra nos cogit plurimos omittere memoratu non minus dignos. Indicabimus tamen enthuſiaſtas aliquot, quorum hic deſcriptio uberrima. Producuntur ſcilicet hic *Joannes de la Badie*, ſive *Labadie*, *Antonetta Bourignonia*, *Joannes Engelbrecht*, *Eva Margareta Frœlichiat*, *Chriſtianus Hoburgius*, *Melch Hoffmannus*, *Henr. Kunrath*, *Joanna Eleonora a Merlau*, *Georgius Reichardus*, *Joannes Robbius*, *Menno Simonis*, *Petrus du Lignon* & *Petrus Yvon*, Labadiſtæ, *Jo. Jacobus Zimmermannus*.

Accedimus ad *Tomum tertium*, quadraginta ſex complexum vitas, easque inuſitata plane induſtria conſcriptas, & ea ſtili elegantia conſpicuas, quam in Hiſtorico laudaveris. Et e

veteribus quidem hic occurrit vita *Helmoldi*, Seculi XII Hiſtorici, itemque quatuor clariſſimi nominis Archiepiſcoporum Hamburgenſium & Bremenſium Seculi noni ac decimi, vitæ *Ansgarii*, percelebris etiam, nec infelicis, Miſſionarii, *Remberti*, *Adalgarii*, & *Adalgadi*; quorum hic poſtremus etiam magnus fuit politicus in trium *Ottonum* Imp. aulis. Denique & *Clementis II* Papæ vitam hic offendes luculentiſſimam. Recentioris ævi hi repræſentantur hic: *Joannes de la Badie*, ſive *Labadie*, *pag. 35-56*, *Olaus Borrichius*, *pag. 56-72*, *Fridericus Breclingius*, *pag. 72-89*, *Joannes Bugenhagius*, *pag. 89 121*, *Georgius Calixtus*, *pag. 121-210*, *Joannes Cluverus*, *pag. 217-221*, *Esdras Edzardus*, *pag. 221-227*, *Paulus ab Eitzen*, *pag. 227 236*, *Geverhardus Elmenhorſtius*, *pag. 236-243*, *Vincentius Fabricius*, *pag. 243-249*, *Thomas Finchius*, Medicus pariter ac Mathematicus inſignis, *pag. 249-255*, *Joannes Fiſcherus*, Theologus Livoniæ, *pag. 255-260*, *Martinus Fogelius*, *pag. 260-265*, *Joannes Fridericus Gronovius*, *pag. 265-282*, *Marquardus Gudius*, *pag. 282-303*, *Janus Guilielmius*, *pag. 303 315*, *Lucas Holſtenius*, *pag. 321-342*, *Joachimus Jungius*, *pag. 342-353*, *Joannes Kirchmannus*, *pag. 353-362*, *Chriſtianus Kortholtus*, *pag. 362-376*, *Albertus Kranzius*, *pag. 376 391*, *Petrus Lambecius*, *pag. 391-414*, *Fridericus Lindebrogius*, *pag. 414-424*, *Ericus Mauritius*, Juriſconſultus, *pag. 424-431*, *Henricus Meibomius*, junior, *pag. 431 443*, *Marcus Meibomius*, *pag. 443-452*, *Henricus Mollerus*, Wittebergenſis Theologus, *pag. 452-458*, *Daniel Georgius Morhofius*, *pag. 458-488*, *Henricus* & *Joannes Mulleri*, ille Roſtochienſis, hic Hamburgenſis, Theologus, *pag. 488 507*, *Philippus Nicolai*, *pag. 507-518*, *Joannes Oldendorpius*, JCtus, *pag. 518-525*, *Auguſtus Pfeifferus*, *pag. 515-542*, *Vincentius Placcius*, *pag. 542-559*, *Hermannus Rhatmannus*, *pag. 559-566*, *Henricus Ranzovius*, Prorex Holſatiæ, *pag. 567-599*, *Laurentius Surius*, *pag. 610-622*, *Matthias Wasmuthus*, *pag. 622-641*, *Joachimus Weſtphalus*, *pag. 641-651*, *Joannes Wowerius*, *pag. 652-672*. Ut aliquod *Molleriani* laboris ſpecimen proferamus, vitam iterum intuebimur *Calixti*. Hic igitur initio vitam ejus ſtudioſiſſime enarrat & copioſiſſime; tum ſcriptores vitæ ejus recenſet.

Digitized by Google

ſet. Hinc Pontificios primo doctores, deinde Lutheranos, nominat, qui contra eum ſcripſerunt; proferens poſtea errores, ipſi objectos, quinquaginta; quibus ſubjungit defenſores ejus Helmſtadienſes. Tum vero elogia recitat, ei tributa 1) a Principibus & integris Collegiis; 2) a Theologis Helmſtadienſibus; 3) ab aliis noſtræ eccleſiæ Theologis; 4) a Lutheranis Politicis, JCtis, Medicis, Philoſophis, & Philologis; 5) a Pontificiis; 6) a Reformatis; 7) a Remonſtrantibus. Poſtea immitia de eo exhibet & Lutheranorum, & Pontificiorum, judicia. Sequitur denique catalogus ſcriptorum ejus, cum Latinorum, tum Germanicorum, itemque librorum alienorum, ab eo recuſorum illuſtratorumque; cui adjunguntur tituli librorum ipſius ineditorum, affectorum, & promiſſorum. Ceterum hæc *Calixti* vita etiam apologiam pro eo continet; e qua pauca hæc producere libet. *Tam atrociter*, inquit *pag. 137*, *adverſarii in* Calixtum *ſunt debacchati, ut, nullum ego certamen ſacrum a nato Chriſto in hunc uſque diem majori animorum & calamorum intemperie inchoatum & continuatum eſſe, plane ſim perſuaſus.* *Pag. 158 Calovium* vocat *zelotem plane furioſum, & ab omni manſuetudine theologica alieniſſimum.* Habet tamen etiam, quod vitio vertat *Calixto*. En e *pag. 159* verba ejus: *Citius utique reſtingui potuiſſet incendium, ſi* Calixtus *propoſiti, quo chartas* Calovii *& antagoniſtarum ſimilium maledicas ne legere quidem, nedum refutatione dignari, conſtituerat, tenax ſilentio univerſos eſſet ultus, &, cum primis controverſiæ autoribus jam eſſet reſponſum, & cordatiorum conſenſu abunde ſatisfactum, annos ſeniles, nobilioribus debitos laboribus, ferræ contentionis cum iisdem porro reciprocandæ noluiſſet impendere.*

FRANCISCI BLANCHINI, VERONENſis, utriuſque Signaturæ Referendarii, & Prælati domeſtici, de tribus generibus inſtrumentorum Muſicæ veterum organicæ Diſſertatio.

Romæ, impenſis Fauſti Amidei, 1742, 4 maj. Plag. 9, Tab. æn. 8.

Viget

Viget in memoria doctorum hominum *Franciſcus Blanchinus*, *Caſparis* filius, Veronenſis, Doctor Theologus, Canonicus & Abbas, Præfectus Bibliothecæ *Otthoboniana*, & apud Pontificem Magiſter Cubiculi honorarius, poſtea utriuſque Signaturæ Referendarius, atque Prælatus domeſticus. Qui cum quotidie aditum haberet ad inſignem plane librorum theſaurum, quem illuſtris *Otthoboniana* præbebat, non eſt mirandum, & excellenter eum plura ſcribere potuiſſe, & ſcripſiſſe. In omnium manibus ſunt politiſſima ejus ingenii monumenta, multa cum induſtria, nec mediocri doctrina, compoſita, quibus docti viri diligenter & cum fructu ſolent uti. Quis eſt enim, quem pœniteat excuſſiſſe *Hiſtoriam univerſalem*, quæ, Romæ, ſumtibus Autoris, in forma ordinis quarti, vulgata, plurimum habet decoris, quod, antiquis e monumentis, ac ſymbolis veterum, notitiæ rerum, tot retroactis ſeculis in orbe geſtarum, lumen affundit, ut neque ingenium poſſis, neque doctrinam, deſiderare? Nec vero ſpernenda ejus eſt Epiſtola, mole quidem exigua, ſed tanto plenior eruditionis, *de Lapide Antiati*, quam quidem non poſſunt æqui harum rerum æſtimatores non magnopere probare. Ex quibus apparet, eum plurimum ſtudii atque temporis iis literis dediſſe, quæ ad pleniorem eruditæ antiquitatis cognitionem ingenium inſtruunt, in eisque magnum progreſſum feciſſe. Hoc idem cognoſcas, licet, ex illa Diſſertatione, haud inerudita, quam in manibus habemus, quæque nunc tibi, Lector, in compendio tradenda eſt. Edidit hanc *Fauſtus Amideus*, Bibliopola in Via Curſus, & inſcripſit Illuſtriſſimo *Joanni Petro Lucatelli*, Marchioni Ripaltæ, ac *Benedicti XIV* a Cubiculo intimo, cujus domum laudat, tanquam ſedem Muſarum atque liberalioris omnis diſciplinæ, quo ſtudioſi antiquitatis Romæ confluant, ut eruditis de rebus, quas priſca memoria dat, viri omnium ordinum eruditiſſimi inter ſe conferant, judiciumque ferant. Dedicationis formulam ſequitur *Approbatio Joſephi Blanchini*, qua is docet, fuiſſe hanc Diſſertationem patrui ſui ex apographo quodam, Romæ nuper invento, deſcriptam, ſecumque ab *Antonio Borionio* per *Rodulphinum Venutum* communicatam, dignam

Pag. 6.

etiam

etiam visam, quæ longiori oblivioni subduceretur, in lucemque proferretur. Tabulas, idem monet, ab ipso *Francisco* delineatas, nunc a *Fausto Amideo* fuisse in æs incisas. Laudat præterea *Franciscum* ab excellenti Musices facultate, quem, testatur, sæpe, sine moderatore, sine magistro, se coram, psalterium, & tympanum, & citharam, scienter tractasse, idque solius ope Geometriæ. In Præfatione, quæ Approbationem excipit, ignoto ejus auctore, qui neque ipse *Franciscus* videtur, neque *Amideus* editor, triplex genus instrumentorum Musicæ veteris, inflatile, pulsatile, tensile, strictim ex *Bossueto, Bellarmino, Augustino* etiam, atque ipso *Davide*, exponitur. Pag. 7.

Nunc librum ipsum percurramus, in *tria Capita* distributum, pro diversitate instrumentorum, quorum ratio exponitur. *Caput primum* agit de *genere inflatili*, seu πνευματικῶ, & in *Tab. I num. 1 calamus pastoralis* repræsentatur. Ex hoc tibia μόναυλος orta, cujus inventionem ab *Osiride* suo repetunt Ægyptii. 1.
Dicuntur etiam Amazones ad calamos arma tractasse. *Fistulam arundineam* a *Mercurio* repertam, tradit *Hyginus*. *Jabel* in sacris appellatur pater *pastorum*, & pater *canentium cithara* atque *organo*. Ubi Cl. Autor ex *Calmeti* Dissertationibus in Psalmos notat, per vocem עוגב, *Ugab*, etiam *calamos* complures longitudinis inæqualis indicari, cujusmodi sint *Panis, Fauni, Satyrorum*. Fistulæ inventor varius traditur, modo *Pan*, modo *Faunus*, modo *Idus*, modo denique *Daphnis*. Quæ quidem cuncta Nostro sunt fabulosa, multoque recentioribus tributa pastoribus, vere autem ex vera *Mosis* historia desumta, sed non sine corruptione. 2. 3.
In eadem *Tabula I num. 2 ossea tibia* spectatur, quam quidem nonnulli ex tibiis gruum, alii ex cervorum ossibus, factam volunt esse. Mos hic ab Ægyptiis transiit ad Græcos. Tibiam osseam *Callimachus* opus *Minervæ* pronuntiat. Hoc loco poterat mentio fieri *Ezech. Spanhemii*, qui de his tibiis, si quisquam, erudite exposuit. 4.
Num. 3 buxea tibia offertur. Figura non differt a præcedente, nisi sola materia. 5.
Num. 4 ærea tibia exhibetur. Hæc est militum, forma calami, qua plures populi in bello sunt usi. Romanos *tibicines* in prælio secum habuisse, videtur probare locus *Livii I, 43*, 6.

ubi tamen *Fabrettus* ex emendatioribus Codicibus *Sigonii tubicines* potius agnoſcit. Fuerit ergo tantum Lacedæmoniorum tu-
Pag. 7. ba bellica. Sequuntur alia inſtrumenta: *Num. 5 Tibia Phrygia Matris Deum*, recurva, in hujusque Deæ ſacris adhiberi ſolita. *Num. 6 Fiſtula Panis*, ſeu *Syringia*, ex pluribus inæqualibus compacta calamis, ad exprimendam ſoni varietatem, quod *Lu-*
8. *cretius* dixit, *unco labro ſupra calamos percurrere. Num. 7 Tibiæ longæ*, alio nomine *Spondiacæ* & *Spondiales*. His ſupplices in
9. templis utebantur. *Num. 8 Tibiæ pares.* Tubus harum interior eburneus, isque tenui lamina argentea contectus. *Clio* Muſa cum tibiis paribus pingitur, quod & *Horatius* huic *acrem* tibiam, ob ſoni acumen, tribuit, & eadem laudes Heroum decantare perhibetur, quorum tam in ludis, quam ſacrificiis, pares ti-
10. biæ adhiberi conſueverunt. *Num. 9 Tibiæ paxillis inſtructæ.* Pro varietate ſoni, vel acutioris, vel fortioris, nunc obſtruuntur, nunc aperiuntur. *Num. 10 Tibiæ biſores.* Nihil hic annotatur, niſi id, quod *Bartholinus* figuram ex *Boiſſardo* ſumſerit, hasque tibias expoſuerit, &, *Statio tibias conjunctas* appellari, obſervaverit. *Num. 11 Tibiæ geminæ.* Hæ & ipſæ ex *Bar-*
11. *tholino* petitæ ſunt. In *Tab. II num 12* repræſentantur *Tibiæ Utriculariæ*, ſeu *Utriculares*, de quibus *Tranquillus* in *Nerone Cap. 14*, & *Voſſius*, pater, in *Etymolog. Lat.* Fuerunt inprimis paſtorum. *Num 13 Organon pnevmaticum*, quod ad genus Utricularium Tibiarum referendum videtur. Olim fuit hydraulicum,
12. poſtea, follium adjumento, factum eſt pnevmaticum. Cernitur
13. ejus figura in Numis conturniatis *Neronis*, & alibi. *Num. 14 Tibia Siticinum latior*, facta ex cornu, plerumque in celebritate funerum adhibita. Exſtat ejus figura in *Virgilio Vaticano. Num. 15* קרן, *Keren*, Hebræorum veterum, cornu, tuba cornea ſacerdotalis, ab *Athanaſio Kirchero* delineata, & in vitris cœmeteriorum
14. veterum Chriſtianorum obvia. *Num. 16 Lituus militaris*, ex metallo, ad cornu ſimilitudinem. In Columna Trajana ſæpius occurrit. *Num. 17 Cornu venatorium*, etiam ex metallo, ad formam
15. cornu animalium inflexum. *Num. 18 Buccina*, qua ſignum prælio committendo dabatur. *Lipſius*, cum *Euſtathio*, tubæ genus fuiſſe, cenſet. Ejus uſus in funere, præterea in re civili ad po-

pulum

Digitized by Google

pulum convocandum. Tritones, cum buccinis, faſtigio Ædis *Saturni* ſolebant imponi, quod hujus ab ætate quaſi vocalis eſſet hiſtoria, teſte *Macrobio*. *Num. 19. Cornea Tuba*, ſeu Tibia recta, cum labro, ex cornu repando, cum ligula, & foraminibus in buxea parte tibiæ, quæ cera & glutine, aut helice, firmiter in ſitu continetur. Hac non modo ſunt Hebræi uſi, ad convocandum populum, verum etiam Etruſci. Qui cum ad Phœnicas originem ſuam referant, hos, credunt eruditi, pleraque inſtituta Phœnicum in Italiam intuliſſe, poſterisque temporibus, ſub *Romulo* ac reliquis Regibus, ad Latinos derivaſſe. *Buccinatores Legionum*, & *Cornicines*, in titulis lapidum antiquorum adhuc leguntur. Cum *Auguſtinus Calmetus* deſideraſſet iconem Tubæ corneæ, quæ Hebræis eſt שופר, *Schophar*, *Blanchinus* noſter oſtendit, ſupereſſe talem in vitris, ex Cryptis Martyrum effoſſis. Docet idem, ex muſivo opere Prænestino, uſum bellicum horum talium cornuum. *Tab. III num. 20 Dulcinus*, id eſt, buccina admodum canora, fortiſſimique ſoni. *Num. 21 Tuba communis.* Argenteæ tubæ apud Hebræos חצוצרות, *Chazozerot*. Icon, hic ſpectanda, eſt ex Arcu *Titi* depromta. *Num. 22 Tuba ductilis*, ad efficiendam ſoni varietatem, qua etiam nunc utuntur Italiæ quidam populi. Gloſſæ vulgares *Pſalm XCVII, 6: In tubis ductilibus*, ubi in fontibus בחצוצרות, *Bachazozerot*. *Num. 23 Sinenſium Organon*, πολύαυλος, conſtans duodecim tubulis, pelli, ad formam utriculi compactæ, inſertis, ad comprimendam pellem inſtar follis, ut ſpiritus, inde excluſus, ſonum emittat. Tale organon, in Europam translatum, vidit ipſe *Blanchinus* A. 1685. *Num. 24 Dulcinus Sinenſium*. Convenit ferme cum illo genere tubæ fortiſſimæ, quam *Fagotti* vocant Itali. Sed ad *ſecundum Caput* jam pergendum eſt, in quo exponitur inſtrumentorum muſicorum genus *tenſile*. *Tab. IV num. 1, 2, Monochordon.* Inventorem hujus *Apollinem Cenſorinus* facit. *Num. 3 Dichordon*, quod etiam *Pyclidem*, ſeu *Paclidem*, vocant. *Clemens Alexandrinus* Dichordon dat Aſſyriis. *Num. 4 Lyra trichordis*, qualis tribuitur *Apollini Clatræ* atque *Mercurio*. *Num. 5 Tetrachordon*, genus

Pag. 16. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

citharæ. *Mercurio* tribuitur, ab eoque dicitur accepiſſe *Or-*
Pag. 27. *pheus.* Putatur etiam Phœnicum fuiſſe Tetrachordis. *Or-*
pheus tamen cum Pentachorde quoque Lyra pingitur. *Num.*
28. *6 Lyra acuta ſeptem fidibus.* Hanc, quidam ajunt, *Apollinis*, ſed alii, *Mercurii*, fuiſſe. Septichordem *Orphei* lyram facit
29. *Virgilius. Num. 7 Chelys*, quæ plectro & digitis tangitur. Dicitur etiam Cithara. *Num. 8 Cithara Amphionis. Tab. V num. 9, 10*, rurſus *Cithara*, ſed alius formæ. *Num. 11 triplex*
30. *Lyra Pythagoræ Zacynthi.* Habet figuram tripodis, & triplicem modum harmoniæ, Doricum, Lydium, Phrygium. Hanc
31. *Athenæus* deſcribit. Varia hic adjungit Autor doctiſſimus, ut de Lyra *Endecachorde*, de *Dodecachordo* & *Nablio*, cujus utriusque uſum antiquiſſimum, *Straboni* credit, ex Aſia eſſe
35. repetendum. *Num. 12 Pſalterium decachordon*, ſeu Nablium.
36. Fertur a Sidoniis acceptum. Fuit quoque *Octochordon.* Pſalterium ita differt a Nablio, ut illud tantum in ſacris, hoc in
39. 40. profanis etiam, cantionibus adhiberetur. *Num. 13, 14, 15, Lyra*
41. *trigona*, in figuris variis. *Tab. VI num. 18 Caduceus Mercurii*, ex arundine compactus, ſive fiſtula arundinea, qualem *Mercurio Apollodorus* atque alii tribuunt. Quare hic Caduceus antiquiſſimis artis muſicæ inſtrumentis Cl. Autori videtur annumerandus. Supereſt *Caput tertium*, quod in explican-
43. dis Muſicæ inſtrumentis *pulſatilibus* occupatur. *Tab. VII num. 1 Tympanum*, cum bacillo, ad pulſandum. Omne cavum, ab una parte rotundum, tympanum dici, Noſter obſer-
44. vat cum *Scaligero. Num. 2 Tintinnabulum*, ſeu *Crepitaculum*, addito etiam *Pedo* paſtorali, quo ipſum pulſetur. *Num. 4 Cymbalum ſacrum Armeniorum*, appenſis in circuitu crepitaculis, quorum concuſſione tinnitum edit. Tale *Cymbalum*
46. *tinniens* apud *Paulum 1 Cor. XIII, 1. Num. 5 Cymbala Bac-*
47. *chicarum* gemina. Horum ratio ex *Sponio Pignorio*que declaratur, & oſtenditur, uſum ea habuiſſe in ſacrificiis. Dicuntur etiam *Crembala. Num. 6 Tympanum leve*, quod diſtinguitur a *gravi.* Habet figuram orbicularem, &, pelle vel corio tectum,
48. modo virgula percutitur, modo manu impellitur. Levibus tympanis, manuum pulſu tractandis, aptantur lamellæ in orbe ligneo,

ligneo, ad acutiorem ſonum eliciendum. *Num. 7 Tympanorum bellicorum* duplex figura exprimitur, altera orbicularis, altera cylindrica. Illa ſunt pelles æneæ, plano corio intectæ, hæc ita comparata, ut utrinque percuti baculis poſſint, obducta pariter pelle ab utraque parte. Extremi generis cylindrum ex palmæ ſtipite Indi conficiebant. Etiam a Parthis, ſeu Perſis, Indorum terræ proximis, tympana hujus generis ad pugnam adhiberi conſueſſe, docet *Plutarchus*. *Num. 8 Æra Thermarum*, quæ appendi ſolebant in adytis Thermarum, ad ſignificandam horam admiſſionis & receſſus. *Num. 9 Crotala*, quorum inventionem Siculis tribuit *Clemens Alexandrinus*. Genus Crotalorum fuere *Crumata*. *Tab. VIII num. 10 Semanterion*, id eſt, aſſer, ferreis manubriis verſatilibus inſtructus. Ante repertum nolarum uſum, hoc ſigno, ad congregandum vulgus, utebantur Eccleſiæ, Orientalis atque Occidentalis. Idemque mos etiam nunc obtinet in Græca Eccleſia. *Num. 11 Trigonon* mulierum, genus Siſtri, plectro pulſandum. Ornabatur interdum virgulis, quæ, diverſo pondere, ac longitudine diverſa, varium concentum efficiebant. *Mercurii* inventum putatur. *Num. 12 Siſtrum*. Crepitaculum æneum, trajectis per laminam tribus, vel quatuor, virgulis, ad excitandum ſonum argutum atque gravem. Ejus uſus in ſacris *Iſidis* apud Ægyptios. Id vulgo creditur eſſe *Cymbalum alarum*, צלצל כנפים *Jeſ. XVIII, 1*. *Num. 13 Hymnologium*. Figura trigona, ex qua pendent plura tintinnabula certi ponderis ac menſuræ. *Num. 14 Xylorganon*. Machina muſica, ex ligneis parata cylindris, qui, chordarum vicem obtinentes, malleolo percuti ſolebant. *Num. 15 Cymbalum penſile*. Æs rotundum, additis in circuitu foraminibus, æquo intervallo disjunctis, cujus ſonitus maxime thermis inſerviit, ſicut æra thermarum. *Num. 16 Stella penſilis Fuldenſium*, ſeu machina cymbalarica *Bonifacii*, Epiſcopi, ejus ætate conſtructa, ut ferunt, a fœmina Britannica, ad ſacra Chriſtianorum converſa. *Num. 17 Cymbalum crotaligerum*, diſci forma, cujus eſt limbus foraminibus inſtructus, ex quibus pendent tintinnabula. Hanc ad formam Cymbalorum, Autor credit, haud inepte referri poſſe,

Pag. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58.

צלצל כנפים, *Zilzal Kenaphaiim*, itemque מצלתים, *Mezilotaiim*, apud Hebræos. Speciminis loco satis multa, nimis etiam fortasse multa. Sed ita nos traxit jucunda varietas instrumentorum veteris Musicæ, quorum hic datur a Cl. *Blanchino* docta explicatio. Liber hic habet multam industriam, pluraque erudita, uno velut adspectu, ob oculos ponit, quæ alibi sparsim reperiuntur. Prodit etiam Autorem antiquitatis peritum, ipsarumque Hebræarum rerum haud expertem. Icones instrumentorum sunt ex probatissimis delectæ monumentis, quæ semper nominantur, inprimis ex Anaglyphis *Matthæianis*. Non mediocriter Noster est adjutus *Bartholini* libello egregio *de Tibiis veterum*, ex quo plurimas etiam figuras, quod tamen ipse bona fide semper indicat, mutuatus est, sicut etiam ex *Musurgia Kircheriana*. Credimus, non minus utilitatis exspectari potuisse, si crebrius fuissent prisca Numismata consulta, ut de *Fistula Panis*, quam, Noster ait, e *pluribus* calamis compactam. Sed, *uno* quoque calamo constantem *Pani* attribui, planum fit ex duobus Numis Græcis, apud *Norisium*. Nec parvi commodi fuisset, excussisse *quatuor Capita Julii Pollucis* eruditissima, in quibus ratio Organorum Musicæ Græcorum veterum copiose & distincte traditur. Optandum erat, ut suum judicium Cl. Autor frequentius interposuisset, & ex allata sententiarum varietate optimam selegisset, interdum etiam copiosius tractasset, quæ nimis parce & breviter notata videmus, verbi causa de *Tibiis biforibus*, de *Chely*, *Tympano*, *Sistro*. Ex quibus, ac præterea ex duabus *paginis 30* & *32*, ubi duplex est hiatus, asteriſco & punctis notatus, apparet, voluisse eum alia addere huic libro, ut, si ab ipso fuisset edendus, sine dubio plenior atque elaboratior fuisset proditurus. Sed ideo tamen haud spernenda est hæc opella; quin potius gratiæ habendæ sunt Editori, quod, ex situ blattarumque conflictu tanti viri laborem eripere, & ad posterorum commoda transmittere, bonum & literis utile judicaverit.

DEMETRII PEPAGOMENI LIBER DE PODAgra, Græce & Latine, quem ope MSti Bibliothecæ Lugduno-

Lugduno-Batavæ recenſuit, & Notis illuſtravit, JO. STEPH. BERNARD.

Lugduni Batavorum, apud Philippum Bonk, 1743, 8. Plag. 12.

Librum hunc *Pſello* falſo tribui, docet Cl. Editor. Tum narrat, a *Marco Muſuro* eum primum verſum & editum eſſe Romæ A. 1517, deinde a *Guilielmo Morelio* cum verſione Latina *Turnebi* Lutetiæ A. 1558, Gallice verſum a *Federico Jamotio*, & e Gallico Latinæ linguæ redditum eſſe a *Jo. Borgeſio*, Belga, Audomari A. 1619. Eum *Hippocratis* & *Galeni* Operibus adjunxit *Renatus Charterius*. Cl. Editor ſecutus eſt Græcum *Morelii*, & Latinum *Turnebi*, neque tamen *Muſuri* verſionem neglexit. Gallicum *Jamotii*, ac Latinum *Borgeſii*, nondum ſe vidiſſe, ait. E Bibliotheca *Voſſii*, quæ Leidæ eſt, Codicem manuſcriptum impetravit, qui tamen mutilus eſt, & deſinit *Cap. 17.* Lectiones variantes etiam minoris momenti enotavit. Loca, ex *Hippocrate* & *Trulliano* citata, exquiſivit, ubi variarent, annotavit. *Galeni* vero loca non conquiſivit. Ubi MStum defecit, ex ingenio refinxit corrupta, item ut loca aliorum ſcriptorum, qui obiter citandi erant. E Medicis collegit, quæ Autoris intelligentiæ ſervirent. Denique etiam Indicem addidit. Pollicetur poſtremo *Actuarii* Codicem, eruditis minus notum. Jam, librum ipſum perluſtraturi, agemus cum Editore ita, quaſi liber ipſe nunc primum a nobis duobus edendus foret; ita liberi erimus ab omni acerbitatis & criminationis ſuſpicione. Verſionem igitur Latinam, quam *Turnebi* eſſe, opinatur, quia *Morelius* eam *doctiſſimi & eloquentiſſimi viri* eſſe dictitavit, neque *Turnebo* nominatim tribuit, a *Turnebo* fidenter abjudicabimus, ne memoriam tanti viri contumelioſe tractare videamur. Talem certe interpretationem *Turnebus* ipſe, ſi viveret, deteſtaretur. In titulo *Capitis primi* verba ἐν αὐτῇ incorrupta relinquemus; quando ἀυτῇ pro ἑαυτῇ in optimis ſcriptoribus ſæpiſſime reperitur. In ipſo *Cap. I* ἄυτη retinebimus, quia τῦτο ſententiam corrumpet. Mox pro ἐχέσας legemus ἐκσίας, vel ἐκσίης, vel ἐκέσας, quia facultates a natura

tura corpori humano inditæ *ſponte paratæ* ſunt *ad* purgandum, diſcernendum, &c. Nam ἔχθρα, *valens, vi prædita, quæ poſſit*, vix hic ferri poteſt. *Cap. IV* ad verba *Hippocratis*: ὀνόματα &c. nobis non deliberandum videtur, utrum *νοσήματα* legendum ſit, nec ne. Nam *Pepagomenus* alia de re loquitur, quam *Hippocrates*, ut hodie multi verbis *Pauli*, *Ciceronis*, *Salluſtii*, & aliorum, ad res alieniſſimas ſignandas utuntur. Relinquemus igitur *ὀνόματα*, ut accommodatiſſimum huc vocabulum. Nam pro morborum ſede, mora, reditu, & ceteris rationibus morborum, nomina exiſtunt varia, v. g. podagra, febris continua, tertiana, quartana acuta, maligna, &c. Subſequentia *Demetrii* verba, ex eodem *Hippocrate* repetita, partim memoriæ vitio corrupta ſunt, partim librarii negligentia. Nam ex comparatione *Hippocratis* apparet, *Demetrium* de ſuo inſperſiſſe vocabula quædam, & vetera immutaſſe, atque etiam poſt nomen πυκνοῖς omiſſum eſſe εἶναι, vel γίνεσθαι. Mox ſubjicienda eſt interpunctio graviſſima. Verba enim, quæ particulam ὡσαύτως ſubſequuntur, quanquam *Hippocratis* ſunt, tamen a *Demetrio* de induſtria ſunt per ὡσαύτως ſegregata. Paulo poſt correctio Cl. Editoris, in *Luciani Tragopodagra verſ.* 27 βέλος pro τέλος legentis, nobis nequaquam diſplicet. Quod ad clauſulam hujus *Capitis* attinet, Editoris arbitrio permittimus, an non exigua unius literæ mutatio ſententiam fundat elegantiſſimam; *Φιμωμένων δὲ πολλάκις τῶν πόρων αἱ κινήσιας καὶ παρέσεις καὶ παραλύσεις εἰς τὸ καθόλε ἀποτελέσιν. Conſtrictis autem ſæpius poris motus intermiſſio & remiſſiones nervorum & reſolutiones univerſales efficit.* *Cap. V* pro ἀφίησιν mavult Autor ἐφίησιν. Sed poſterius hoc verbum cum Infinitivo γίνεσθαι conſtrui non poteſt, ἀφίησι poteſt. Videat igitur Editor, an non, veteri ſcriptura retenta, commodiſſimus ſenſus ille emergat: *Conſuetudo enim, cum poſt priores fluxiones in habitum degenēret, non permittit magnam & multam malæ materiæ copiam colligi.* Mens *Pepagomeni* eſt, materiam malam, in multa membra diſtractam, facilius invenire exitum, neque maximos & intolerabiles impetus facere, qui mortis intentent periculum. *Cap. VI* Editori damus perpendendum, an εἰ μήπως —

μήπως — ποιήσωσιν Grammaticis probari queat. *Cap. VII* Cl. Editor obiter in *Orphei* carminibus ὄιμας legi vult, non ὄρμας. *Cap. IX* & diſtinctiones debitæ abſunt, & pravæ ſcripturæ ſunt intactæ relictæ. Nam interpunctio addi debuit vocabulo δυνάμεις. Mox πασῶν convertendum fuit in ὁπόσων, & λαμβάνειν in λαμβάνει, & ἀποπέμπειν in ἀποπέμπει. Ita emerget hæc ſententia: *Si autem, ut mihi videtur, tales membrorum facultates validæ ſunt; quicquid eſt partium corporis, ſuſcipit illud quidem ab iis humorem male concoctum nimii alimenti, dimittit autem ſuperflua omnia; ac tum valent quidem omnes artus & partes corporis, lente tamen & coactu. Superflua autem iſta, niſi fluunt per vim diſcernentis facultatis partium, collecta ſenſim, & impletionem corporis adjuvantia, magnorum morborum ſunt cauſæ.* Hæc an ſatis feliciter conjecta ſint, Cl. Editoris permittimus judicio. *Cap. X* Manuſcriptus Codex Editoris ὅτι belle ſuggerit. Sed poſt ὕστερον pro δὲ ſcribendum eſt ἔθη: alioquin ſententia erit nulla & mutila. *Cap. XIV* μέσον propter adjunctum pronomen αὐτῆ non poteſt κατὰ ſubintelligere, ſed ἔχων mutandum eſt in ἔχον, & major interpunctio convertenda eſt in minorem. Subſequens enim particula ἕτως ſignificat *deinceps*, vel *deinde*, nec reſpicit antecedens ὥσπερ, quippe ad quod paulo poſt inferior particula ἕτω pertinet, cum Autor ἀπόδοσιν inſtitutæ comparationis ponit. Mox poſt verbum χωρῆσαι e MSto Autoris inſerendum eſt χρή. Simul pro εἰς ταῦτα legendum εἰς ταυτὰ, τὰ &c. Tota igitur πρότασις Latine vertenda fuerit: *Sententia mea eſt hæc: ut pratum, omne arborum, plantarum, herbarumque, genus ferent, per mediam autem partem in cavo quodam fontem aqua ebulliente præditum habens, ex inſito fonte omnia germina ſua rigat, animat, & alit, ut, humore mediocriter & pro portione recepto, reſpectu alimenti bene ſe habeant, cum contra eadem propter affuſi humoris nimietatem nimio ſucco virorem non conſervent, ſed evacuatum humorem in cavitatem illam recedere oporteat, donec fons effuſum humorem receperit; ita etiam venter* &c. *Cap. XX* Editor opportune *Tralliani* locum affert, ex quo *Demetrius* corrigatur. Mox, pro ὅιδε, videat Editor, an

non legendum ſit ἐίωθε, *conſuevit*. Reliqua Editoris annotatio merito probatur. Reprehendere tamen debuiſſe videtur interpretem, qui *per purgantia ſtomachum confirmandum* putavit, cum vertere debuiſſet *poſt purgantia*. Quanquam Græci διὰ pro *poſt* non temere ponant, niſi cum nominibus temporis. *Cap. XXII* Cl. Editor etiam aliquid monere potuiſſet de formula μέρος καὶ ἐξ αὐτῶν. Sed propter frequentiam pleonaſmi particulæ αὐτὸς omitti etiam hæc admonitio potuit. Mox διδομένῳ vocabulum nobis ſuſpectum eſt; poteſt tamen utcunque ferri. Poſtmodum verba τὸ δὲ διαιτᾶσθαι κατὰ λόγον ῥᾴδιον, ὡς προείρηται, parentheſi ſunt includenda; alioqui ſententia *Demetrii* obſcurabitur. Denique pro δέον reponendum eſt δεῖ ἄν. *Cap. XXXI* pro ἤως legi nobis poſſe videtur ἕξ, ἢ ἑπτά, ſex, aut ſeptem. Alioqui non apparebit ratio, cur vocabulum ἤως huc ſit intruſum. *Cap. XXXVI* Editor *Demetrium* belle corrigit; ſed nobis tamen non animadvertiſſe videtur, poſt verba καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεσθαι ex inferioribus verſibus hic interponenda fuiſſe verba καλῶς οἶδε, & mox ſubnecti debuiſſe ὅσοις δὴ ἀποβαλὼν &c. ut ſententia exiſteret iſta: Si quis, ſecundum *Hippocratem* dicens, multa jam inventa eſſe, & poſthac multa inventum iri, recte ſentit, quisquis ſane, omnibus rejectis, alio modo res indagandas, etiam ſe aliquid *inveniſſe, putabit; deceptus eſt, & decipitur*. Repetitio deinde verborum inferiorum εἰ ἄν &c. ut inanis & ſupervacanea tollenda fuerit, ſaltem ſcienter & meditate emendanda. Noſtræ autem correctionis ratio apparet ex ipſa natura rei, hic narratæ, & ſententiæ efflorescentis elegantia. Neque opus eſt, ut, quæ in *Hippocrate* paulum diſtracta & disjuncta ſunt, hic a *Demetrio* citra ullam ſententiam conjungi debuiſſe, putemus. *Cap. XXXIX* pro ἐπιτιθέναι δὲ χρὴ mavult ſcribi ἔτι πεποιθέναι δὲ χρὴ, *Reiskii* autoritatem ſecutus. Sed nos veremur, ne particula δὲ quodammodo repugnet. Quod quidem ſi Editori quoque ita videatur; legere ἐπιτιθέμενα poterimus, & cum ſuperioribus conjungere, mox autem ita pergere: δεῖ χρήσθαι καὶ &c. *Cap. XL* Editor ultimum vocabulum ὁμαλῶν rejicit; ſed præter neceſſitatem fortaſſe. Correctiones autem aliorum

ex

ex aliis libris locorum, per occaſionem allatorum, nolimus omnino ſperni. *Cap. XLII* verba ὅσον ἵνα δέχηται τὴν θέρμην corrupta ſunt. Pro ἵνα repone ἄν, tum ſana erunt omnia.

A DISSERTATION ON PROVERBS VII, 22, 23, &c.

hoc eſt,

DISSERTATIO AD PROVERB. VII, 22, 23, quæ ſit ſpecimen Criticarum Diſſertationum ad Proverbia Salomonis, ſcriptum ad ſtudioſos linguæ Arabicæ & ceterarum orientalium Oxonienſes, Autore THOMA HUNT, M. A. Collegii Hertfordienſis Profeſſore Arab.

Oxonii, expreſſum pro Richardo Clemente, 1743, 4 maj. Plag. 3.

Autor in Præfatione longiuſcula juvenes, Oxonii diſcentes, monet, ut, ſi Biblia Hebraica facile & recte intelligere velint, cognatas Orientis linguas, & Arabicam præſertim, addiſcant. Suo enim ſe exemplo comperiſſe ait, quantum luminis illæ linguæ ad *Jobum* & *Proverbia* intelligenda afferre poſſint. *Jobum* quidem, Arabiæ vicinum, multa ab Arabibus ſumſiſſe; *Proverbia* vero, Arabibus tam commendata & frequentia, non poſſe non ſcriptis conſimilibus multum commodare lucis. Et, quoniam *Jobus* amplior ſit, quam ut a ſe illuſtrari queat, ad *Proverbia* ſe adhæſiſſe, quorum ſententias ſigillatim explicaret. In Diſſertatione ipſa Cl. Autor proponit Anglicam interpretationem *Proverb. VII, 22, 23*, aitque, tres ibi contineri ſimilitudines, quarum prima & tertia clariſſima ſit, media obſcuriſſima. Sententiam autem ſecundæ illius vulgo eam tradi putat, quæ minime omnium credibilis ſit. Neminem enim facile crediturum eſſe, ſtultum ad verbera properare & necem prævifam. Nec conſtructionem verborum Hebraicorum tale quiddam innuere. Nec, ſi *Jeſaias III, 18*, עכס *tinniens ornamentum* ſignat, idcirco hic etiam idem ſignificare, cum præſertim boves apud Hebræos ad mactationem non ducti ſint ornati, nec ſtulti ad ca-

ſtigationem condecorati abducantur. Vult ergo *cervum* intelligi, cujus agilitas ſæpe memoretur; cum præſertim אייל, *cervus*, pro אויל, *ſtulto*, facile legi poſſit, imo neceſſitate quadam hic legi debeat, propterea quod animal hic requiratur, quod temere in caſſes ruat. עכס autem apud Arabes *currere* ſignificare dicit. Opinatur ergo, & animal jam nobis eſſe, quod alteram *Salomonis* ſimilitudinem præſtet, & temerarium *curſum* ejus clare indicari. Et quidem, conſulta interpretatione Græca, Arabica quoque, & Syriaca, & Chaldaica, ſe, ait, *cervum* reperiſſe. Qui interpretes cum *compedes* reperiſſent, cani maxime convenientes, pro altero ſimilitudinis genere *canem* ſubſtituerint, & tertium *cervum* poſuerint. Cum igitur מוסר vincula utcunque ſignare poſſit; vult Autor, עכס ſignificare vel *impetum* cervi in vincula, ſeu retia, vel conſtrictionem cervi in retibus. Sententia igitur hujus loci ſecundum Autorem fuerit iſta: *& ſicut decurrit*, ſeu feſtinat, *in vincula*, ſive retia, *cervus*, *donec perfoderit ſagitta jecur ejus.* Mirum eſt, Cl. Autorem difficultates inveniſſe in loco ad interpretandum facili, &, quod ipſe abominari ſe dicit, ut in ſcripturis citra neceſſitatem mutatio literarum inſtituatur, literarum mutationem ſuſceperit. Converſio Græca, quæ cervum & canem textui admiſcuit, inſcitiæ ſuſpicionem ei movere debuerat, Arabica vero & Syriaca, cum ex Græca fere factæ ſint, pro nihilo duci potuerant. עכס, ut ceteris in Scripturæ locis *vinculum* ſatis clare indicat; ita hic eximiam ſuppeditat ſententiam, & tanto quidem accommodatiorem, quanto diligentius integritas literarum, & vocabulorum, & ſignificationum, cuſtoditur. Nam מוסר vel nuſquam omnino, vel raro, *vinculum & conſtrictionem* ſignat, ſed potius *pœnam facinore dignam*, *talionem*, *machinationum & maleficiorum compenſationem*, item *caſtigationem*, *inſtitutionem*, *morum reformationem.* De cervo autem, qui in Hebraica ſcriptura hic nusquam apparet, nec apparere poteſt, *talio & morum reformatio* nec dici, nec cogitari, unquam poterit. Quis enim tam temerarius fuerit, ut inſidias, vel pedicas, vel retia, cervorum *talionem*, vel caſtigationem, appellet? Et cur cervus ad vincula temere decurrere dicatur, qui ad pabulum obvium

vium venit, non decurrit? Et, cum in caſſes aſtu poſitos decurrit, vi & aſtutia humana compulſus decurrit, ac proinde vitæ ſuæ metuit, neque voluntariæ necis culpam incurrit, cum aves contra ad eſcam callide ſparſam temere devolent, & bos ad locum mactationis ſpe pabuli lautioris imprudens ac libens deducatur. Neceſſe igitur eſt, ut priſcum אריל inviolate ſervetur, & אריל ne cogitetur quidem. Stultis enim, hoc eſt, hominibus rationi pertinaciter adverſantibus, & mala conſilia temere conſectantibus, inſidiæ & tanquam laquei ponuntur, in quos necopinato incidant, & graviſſimas, vel etiam capitales, pœnas luant, quæ ſagittarum nomine, jecur ipſum diffindentium, belle ſignificantur. Cum priſcæ comœdiæ hujusmodi laqueorum inſidiarumque pleniſſimæ ſint; verbum de hac re non addemus. Ipſi quidem etiam magiſtratus, non modo mariti & familiæ, adulteros quibusdam quaſi laqueis captare, & conſtrictos tenere, ſtudent. Eximia igitur plane & ſingularis aſtutia cupiditasque captandi adulteri per *laqueos* & *pedicas* elegantiſſime hic denotantur. Neque ulla nos urget neceſſitas, ut עכס pro *ligamento tinniente* accipiamus. Vide igitur, Lector, quam bella exiſtat ſententia: *Qui eam conſectatur, repente tanquam bos ad mactationem, & tanquam pedica ad referendam ſtulto gratiam, veniunt, donec ſagitta jecur ejus trajiciatur, & tanquam avis ad laqueum propere devolat, neſciens, eum ſibi perniciosum fore.*

DE COLLOQUIO WORMATIENSI, AD A. O. R. 1540 inter Proteſtantium & Pontificiorum Theologos cœpto quidem, ſed non conſummato, plena & ſuccincta diſquiſitio, ex MSto Ebneriano facta & elaborata per JO. PAULUM ROEDERUM, G. A. Rectorem.

Norimbergæ, impenſis B. W. M. Endteri Conſortium & Viduæ B. Jul. Arnold. Engelbrechti, 1744, 4.

Alph. 1 plag. 4.

Tametſi in enarranda Colloquii Wormatienſis hiſtoria tum *Seckendorfius*, tum *Saligius*, nervos animi ingeniique intenderint,

tenderint, quorum merita, in excutiendis monumentis fide dignis ac tabulis secretioribus, doctiorum nemini obscura sunt; intellexit tamen Autor Doctissimus, non ita exhaustum ab illis fuisse argumentum nobilissimum, ut, post eorum messem, aliquod adhuc colligi spicilegium nequeat. Prima laboris hujus stamina MStum *Ebnerianum* fuisse, ex Præfatione accipimus, quod ita digessit Autor atque ordinavit, ut tota Colloquii Wormatiensis enarratio per paragraphos fuerit distincta. In his nihil continetur, nisi quod MSto *Ebneriano* exhibebatur. Textui autem huic notæ uberiores subjectæ sunt, in quibus, quæ necessaria videbantur ad rem præsentem tum confirmandam, tum explicandam atque illustrandam, collatis aliis hujus generis scriptoribus, exponuntur. Extremo loco Appendicis instar est collectio documentorum ac monumentorum, quæ Noster tum ex MSto, tum ex aliis libris, decerpsit. Lætatur de amica monumentorum, a *Seckendorfio* & *Saligio* exhibitorum, cum hoc MSto *Ebneriano* consensione & concordia, quam ex instituta collatione intellexit. Ipsum exemplar MSti in manus Doctiss. *Rœderi* pervenit munificentia egregii Viri, *Hieronymi Guilielmi Ebner ab Eschenbach*, Sac. Cæs. Maj. Consiliarii, Coronæ Insigniumque Imperialium Custodis, &c. quem ideo eximiis ipse promeritisque laudibus cohonestavit. Confecit autem hoc scriptum *Erasmus Ebnerus*, clarissimus olim civitatis Norimbergensis Senator, suaque manu exaravit, quod vel ideo majori in pretio habendum, quod ipse Colloquio Wormatiensi, ut Legatus Norimbergensis, interfuit. Exponit igitur Noster in Præfatione de vita *Erasmi Ebneri*, qui A. 1511 patre *Hieronymo Ebnero*, civitatis Norimbergensis Duumviro primario, natus est. Delatus in Academiam Vitembergensem, duce *Philippo Melanchthone*, communi Germaniæ præceptore, in omnibus artibus, ad humanitatem spectantibus, institutus fuit. Interfuit societati eorum, qui A. 1529 ad Comitia Spirensia delegati sunt. Anno proximo Augustam Vindelicorum delatus, Confessionis glorioſæ confutationem Latine descripsit, missam ad Senatum Norimbergensem, ab eoque approbatam. Excurrit ad exteros, & regiones peregrinas peragravit, Galliam inprimis

inprimis atque Italiam. Redux factus, in patriæ civitatis Senatum cooptatus est. A. 1537 ad Conventum Smalcaldicum, A. 1540 vero ad Wormatiense Colloquium, a Senatu Norimbergensi missus est, cui fidem, prudentiam, continentiam, constantiam, egregie probavit. Postea tum ad Ratisbonensia, tum Spirensia, Comitia delegatus fuit. Alia expedivit officiorum, sibi commissorum, genera, quæ partim Autor Clariss. attigit, partim præteriit. Evocatus sequenti tempore in ipsam *Caroli V* aulam, atque extremo Guelpherbyti mortuus est A. 1577. Hæc omnia, lectu notatuque dignissima, in Præfatione enarrantur. De libro ipso, cujus institutum ac methodum jam significavimus, non est, quod plura dicamus. Neminem Lectorum fore, arbitramur, qui vel doctrinæ elegantiam, vel rerum propositarum ordinem & selectum, vel alias, quarum plures sunt, scriptoris virtutes, tum ab *Ebnero* ipso, tum ab illius explanatore, *Rædero*, desiderare jure queat.

JUS NATURÆ, METHODO SCIENTIfica pertractatum. Pars tertia, de modo derivativo acquirendi dominium & jus quodcunque, præsertim in re alterius; ubi & agitur de officiis circa sermonem, juramentis, ac votis, nec non de usucapione & præscriptione. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potent. Borussorum Regis Consiliario intimo, Fridericianæ Pro-Cancellario, Juris Naturæ & Gentium atque Mathematum Professore Ordinario, Prof. Petropol. honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ, Societatumque Regiarum Britannicæ atque Borussicæ, Membro.

Halæ Magdeburgicæ, in officina libraria Rengeriana, 1743, 4.

Alph. 4 plag. 6.

Postquam Ill. Autor in *Parte secunda* Juris Naturæ docuerat, quomodo rerum natura communium dominium primitus acquiratur, & actiones hominum liberæ cœperint æquiparari rebus

rebus in dominio exiſtentibus, & quænam ex dominio deſcendant jura & obligationes; in *Parte tertia* nunc porro demonſtrat, quomodo dominia & jura transferantur, ſeu ex ſubjecto uno in alterum deriventur, & obligationes ad dandum & faciendum contrahantur, ut actus in futurum promineant. Agit
Cap. 1. igitur de modo acquirendi derivativo in genere *Cap. 1*, ubi oſtendit, ut jus quoddam proprium ex ſubjecto uno in alterum derivetur, ex parte una requiri translationem juris, ex parte altera acceptationem, ut adeo translatio juris actu fieri nequeat, niſi mutuo domini, ſeu transferentis, & ejus, in quem transfertur, ſeu accipientis, conſenſu. Dominium itaque, ſive jus quodcunque proprium, transfertur in accipientem, mutuo conſenſu ſufficienter declarato. Enimvero, cum jus omne non ſit niſi potentia moralis agendi, actu autem agere, ſeu dominium, aut jus, ſuum exercere, non poſſit, niſi is, cui etiam competit potentia phyſica agendi; ideo neceſſe eſt, ut res redigatur in eum ſtatum, quo accipienti competit potentia phyſica de eadem pro arbitrio diſponendi, conſequenter ut cum dominio etiam acquiratur poſſeſſio. Actus ille, quo poſſeſſio transfertur, traditio eſt; quo ea acquiritur, apprehenſio. Pluribus igitur demonſtrat, quot modis res tam corporales, quam incorporales, tradi atque apprehendi poſſint, ut earum acquiratur poſſeſſio. Ceterum, cum non unus ſit modus, jus ſuum in alterum transferendi, vel in gratiam alterius idem recuſandi, ideo hic quoque agitur de ceſſione, remiſſione, renuntiatione, & repudiatione juris. Poſtquam porro demonſtravit, quænam ſit hominum indigentia, dominiis rerum introductis, inde deducit obligationem naturalem ad dominia transferenda, & operas communicandas, ſeu ad ſibi mutuo dandum & faciendum, prouti unusquisque re, vel opera, alterius indiget, & jus res ab alio ſibi comparandi. Obligatio illa hanc habet reſtrictionem, niſi ipſe indigeas, & jus quoad res eandem reſtrictionem admittit, quoad operas vero, ſi tibi vacet. Adduntur deinde, quæ de communione poſitiva tenenda ſunt.
3. Quoniam obligatio ad dandum, vel faciendum, reſtringitur, intereſt autem hominum, ut de eo, quod dandum, vel faciendum,

Digitized by Google

dum ſint certi; ideo neceſſe eſt, ut unus alteri ſeſe obliget perfecte, ad dandum, vel faciendum, adigendus, ſi ipſum pœnituerit, ſe obligaſſe. Autor itaque oſtendit, naturaliter homines ſeſe ſibi invicem perfecte obligare non poſſe, niſi promittendo. Promiſſio enim ex officio, quod imperfecte debetur, efficit perfecte debitum, ut, quod erat voluntatis, nunc fiat neceſſitatis, obligatione externa ad internam accedente. Quamobrem Noſter copioſe admodum de promiſſione agit, quam cum *Grotio* a nuda aſſertione, alteri quid præſtandi, & pollicitatione, diſtinguit. Quoniam vero demonſtrat, id contra promiſſorem pro vero habendum eſſe, quod ſufficienter indicaverit; ne quid prætermittatur, quod ſupponi poterat, modo ſeſe alteri obligandi per promiſſionem amplam præmittit tractationem de obligatione circa ſermonem. Ceterum ubivis non modo ea tradit, quæ ad jus externum ſpectant, verum etiam, quæ juris interni ac officii ſunt, atque oſtendit, quomodo jus externum ex interno, tanquam fonte ſuo, derivetur, adeoque ſine officiis concipi non poſſit, ut non modo intelligatur, quando non recte fiat, quod impune fit inter homines, verum etiam puritatem conſcientiæ conſervare valeamus, quando jus poſitivum concedit licentiam agendi, lex autem naturæ jus denegat. Demonſtrat autem de promiſſione, quæ vulgo de contractibus & pactis in genere traduntur, quod non ſolum ſingula promiſſionibus conveniunt, prouti ex demonſtrationibus Autoris liquet, verum etiam pactis & contractibus, quorum hi ab iſtis naturaliter minime differunt, eadem non conveniunt, niſi quatenus promiſſionem continent, & per hanc actus obligatorii efficiuntur. Quemadmodum vero in *Parte prima* explicavit differentiam, quæ inter obligationem internam & externam intercedit; ita in præſenti ea demonſtrat, quæ ad differentiam juris interni & externi, quorum illud ex obligatione interna, hoc ex externa, oritur, intimius inſpiciendam faciunt. Oſtendit autem, jus externum omne derivari ex libertate naturali, & ex promiſſione naſci jus perfectum promiſſarii; ubi etiam impunitatem agendi a jure diſcernit, & inter alia demonſtrat, abuſum libertatis naturalis alteri permittendum non dare jus, ſed tantum-

Cap. 2.

3.

modo impunitatem agendi, atque dominum re ſua abuti non jure, ſed tantummodo impune. Maximi quoque in modo ſeſe alteri obligandi momenti eſt, ut notetur, quamvis non minus promiſſor in promittendo, quam promiſſarius in acceptando, uti debeat animo deliberato, de animo tamen deliberato promiſſoris non ſtatuendum eſſe promiſſario, nec de promiſſarii animo deliberato promiſſori, ut adeo in paciſcendo is ex utraque parte ſupponatur, niſi contrarium aliunde manifeſtum ſit. Qui omnia probe perſpexit, quæ de promiſſione demonſtrantur, ei vix quidquam circa pacta occurrere poteſt, quod ſit obſcurum. Conſiſtunt enim ea in conventionibus, quibus in eadem, vel easdem promiſſiones, conſentitur, & firmitatem ſuam habent a promiſſionibus, quas continent, quatenus non niſi per has efficiuntur obligatoria. Quamobrem, cum, quæ valide promittuntur, de iis etiam valide paciſcamur, &, quomodo valide promittitur, eodem etiam modo valida fiat pactio; breviter Noſter ſaltem de pactis agit, ceteris ex iis ſupplendis, quæ de promiſſionibus larga manu tradidit. Agit inprimis de differentia inter pacta perſonalia & realia, temporaria & æterna, de pactorum renovatione & diſſolutione, &
Cap. 4. quando ab iis recedere liceat. Enimvero intereſt humani generis, ut, quando ſeſe ſibi invicem obligant, certa ſit eorum, qui ſe obligant, fides. Quamobrem, cum fides veritatem dictorum ſupponat, non erit tuta, niſi de hac tibi conſtiterit. Dictorum vero veritas moralis, quæ verborum cum actibus internis conſenſum exigit, probari aliter nequit, quam per teſtem conſcientiam, aut Deum. Illud fit aſſeverando, hoc autem jurando. Quamobrem Noſter de aſſeveratione quoque & jurejurando agit, non modo in genere, verum etiam in ſpecie de juramento aſſertorio & promiſſorio. Cum juramento agnationem quandam habet obteſtatio & conteſtatio. Noſter igitur de utraque etiam demonſtrat, quid lex naturæ præcipiat ac prohibeat. Et, quoniam vota quoque affinitatem quandam cum juramento habere videntur, utut procul ab eo
5. diſtent, tractationem de votis ſubnectit. Dominus alteri etiam jus quoddam in re ſua conſtituere poteſt. Quia hoc modo acquiri-

acquiritur jus quoddam, quod in nos derivatur ab alio; nec ſilentio prætereundus erat modus, alteri conſtituendi jus quoddam in re ſua. Jura illa varia ſunt. Hic igitur ſaltem agit Autor de modo conſtituendi alteri jus in re ſua, ſive poſitivum, ſive privativum, in genere, ſpecialibus *Parti quintæ* reſervatis, quæ haud ita pridem lucem publicam adſpexit. Denique, Cap. 6.
cum jus certum acquirere nequeamus, niſi a domino, difficilis vero, immo plerumque impoſſibilis, ſit inſpectio, num a domino rem ſive corporalem, ſive incorporalem, acceperimus, dominium & jura cetera, ab aliis acquiſita, incerta evadunt, ac in perpetuum incerta manerent, niſi præſumtionibus locum faceret ipſa lex naturæ. Demonſtravimus itaque, quandonam derelictio rei ſuæ recte præſumatur, & quod ex derelictione præſumta dominium acquiratur; quam dominii acquiſitionem uſucapionem appellarunt Romani, ſicuti amiſſionem juris ex conſenſu præſumto præſcriptionem; ut adeo in uſucapione tam dominium, quam jus vindicandi, præſcribatur. Quænam inter uſucapionem & præſcriptionem civilem ac naturalem intercedat differentia, ex iis, quæ demonſtrata ſunt, clariſſime perſpicitur. Monet autem Ill. Autor in Præfatione, diffuſum admodum eſſe Jus naturæ, nec adeo arctis limitibus circumſcribi, quemadmodum vulgo putatur. Quamvis enim fines hujus Juris multum prorogaverit; lubentiſſime tamen confitetur, ſe non dicere omnia, quæ dici poterant, ſed quod dictum ſatis ſit, ut alii, longius progreſſuri, & magis abdita eruturi, ex iis deducere valeant, quæ adhuc deſiderantur. Sicuti enim, ea, quæ alii tradiderunt, ſibi profuiſſe, gratus profitetur, ad opus ſuum condendum; ita quoque, ſua aliis profutura, confidit, ad magis præclara dandum, quos ſe non invidentem habituros aſſeverat, quippe cui pro labore, qui aliis inſerviendo conſumatur, gratia major rependi nequeat, quam ſi ipſum doceant, qui ante ab ipſo didicerant. Se iis etiam rependere gratiam ſolere, qui errore ſuo viam ad veritatem liquidam ipſi commonſtrarint, ad quam ſine eo pervenire ſibi datum non fuiſſet, nec ideo ſe iis acutiorem reputare, qui niſi ipſorum acumine adjutus eam videre non potuiſſet. Se igitur minus probare mores

illorum, qui, cum ex iis, quæ ipſe dedit, profecerunt, os ad contumeliam præbentes, ea cavillantur, ac Autorem ſugillant, contemtus ac conviciorum via ad gloriam graſſantes, neque ſe paſſurum, ut ad rixandum ab iis compellatur, cum a propoſito, tempus omne, quod adhuc ſupereſt, in opere cœpto continuando collocandi, nunquam deſiſtere, firmiter decreverit. Quoniam vero has Philoſophi, qui in mundo rationali domicilium ſuum habet, partes eſſe agnoſcit, ut veritatum univerſalium nexum humano generi manifeſtet, ac ideo jura ex intima hominis eſſentia atque natura ita deducat, ut pulcherrimus ille nexus, quo inter ſe cohærent, in apricum proferatur; ideo nihil affirmat ſine ratione, nec rationem admittit, niſi ex juribus anterioribus petitam, ita, ut tandem omnium ratio ſufficiens in ipſa eſſentia atque natura hominum agnoſcatur, & ex Syſtemate ipſius genuinæ jurium rationes legales addiſci poſſint. Hæc de *Parte tertia* dicta ſufficiant; de *quarta* & *quinta* proxime dicemus.

UTERI HUMANI GRAVIDI ANATOME ET hiſtoria, Autore WILHELMO NOORTWYK, Med. Doct.

Lugduni Batavorum, apud Jo. & Herm. Verbeek, 1743, 4. Alph. 1 plag. 5.

Notiſſimæ ſunt querelæ Anatomicorum de rara opportunitate, mortuorum cadavera aperiendi, quod nempe ſuperſtitioſæ plebi idem eſt, ac rem ſacram violare. Sed multo rarius contingit, ut liceat gravidæ alvum incidere, quo factum eſt, ut, quæ diſſectores partim de utero gravido, partim de fœtu, in utero concluſo, propoſuerunt, maximam partem ex brutorum anatome deſumta ſint. Accedit, quod, ubi aliquando incidere gravidam mortuam licet, vel tempus deeſt, quod ad experimenta accurate inſtituenda requiritur, vel, ſi contigerit, ut clam exciſum uterum nobiſcum auferre poſſemus, experimenta, ob minus bene ſervatas partes, non recte ſuccedunt; eæque videntur nobis cauſæ fuiſſe, ob quas etiam illi, qui

qui vere humanum uterum gravidum inciderunt, in multis rebus a ſe diverſi ſunt. Quanta igitur laus debetur iis, qui occaſionem, gravidam incidendi, ſtatim arripiunt, & experimenta, eum cura inſtituta, cum eruditis communicant! Certe omnibus bonis gratus acceptusque eſſe debet hic Clariſſimi *Noortwykii* liber, qui an melius potuerit de arte medica mereri, fere dubitamus. Scimus autem, ipſum eſſe fratruelem Ill. Archiatri Reginæ Hungariæ, *van Swieten*, aitque ipſe, ſibi ex meditationibus, theoreticis partim, partim practicis, tres libellos enatos eſſe, quorum ut hic de utero humano gravido, ſic ſecundus de vita, tertius de epigeneſi, agat. Totus hic, qui de utero humano gravido agit, liber in duas partes diviſus eſt, quarum priorem Anatomen, alteram Hiſtoriam, appellare placuit. In illa de utero præcipue agit, quem ex muliere, morbo ignoto mortua, & quam maritus judicabat quinto circiter menſe gravidam eſſe, exſecuit, & in cujus, domum ablati, arteriam unam majorem, idoneum maxime, etſi non indicatum, liquorem, eum in finem, infudit, ut, quæ ſit placentæ & uteri nexus ratio, inveniret. Hinc, quæ in utero annexisque partibus, cum externe, tum interne, conſideratis, pariter ac in fœtu deprehendit, ſingula expoſuit. Inter externa memorabilia præcipue hæc eſſe exiſtimamus: orificium uteri rotunda propemodum apertura hians, rugoſum, glutine, tanquam thrombo, infarctum; in ejus margine externo, præſertim poſterius, multi pori & globuli ſphærici, ſimili glutine pleni; in ovario, præter plura oſcula, quæ circa loca, ubi membrana externa ſubpellucida, nudo oculo conſpicua erant, tuberculum, cannabis ſeminis magnitudine, ſubopacum, intus lympha plenum, cum parva fiſſura ad radicem, prope hoc foveola, cicatricem referens, qualis ab ulcuſculo male curato reliqua eſt, & inter hæc duo porus, profunde, ut videbatur, ad foveolam penetrans. Quo deinde Cl. Autor, quæ in utero continentur, videret, eum, in anteriore parte, orificio propius, ita incidit, ut primum aliam ſectionem ſurſum verſus fundum ad perpendiculum faceret, deinde transverſam, cujus medium priorem inferius quaſi finiebat. Ab utroque vero extremo transverſæ ſectionis alias

duas, pariter ac primam, ſurſum ad perpendiculum fecit. Ubi vero partes uteri ita ſectas ſeparare, aut reclinare potius, volebat, animadvertit, uterum, per celluloſam aliquam ſubſtantiam, ac per hanc decurrentia vaſa, cum chorio cohærere. Quod tamen non ita novum eſt, quin ab aliis olim Anatomicis, & a nobis quoque, aliquoties ita obſervatum fuerit, ut hic nexus eo major eſſe videretur, quo propius puer ab origine ſua aberat. Memorabile tamen eſt, Cl. *Noortwyk* vidiſſe, hæc vaſcula non quaſi poris uteri inhæſiſſe, ſed potius ita continua fuiſſe, ut, cum ſingulis uteri vaſis, unum canalem efficerent, qui venoſæ naturæ eſſe videbatur, & facile ſolvi poterat. Quæ ex his vaſis majora erant, intra chorii ſubſtantiam, ad ſinuum ſpeciem, dilatabantur, antequam ramoſi fiebant. Recte autem additur, ovum uterum adeo impleviſſe, ut & in anguſtias ejus exporrectum eſſet. Nam in ovis quinque circiter ſeptimanarum ac duorum menſium quoque vidimus, ovum, qua parte collo uteri, primis graviditatis menſibus longiori, inhæſerat, quaſi appendicem contortam, pollicis fere transverſi longitudine, habuiſſe, quæ ex ovi membranis facta erat. Notavit deinde Cl. *Noortwyk*, quo propius ad radicem, quam vocat, placentæ acceſſerit, eo firmiorem nexum fuiſſe, vaſaque numeroſiora. In placenta vero ipſa hæc duo præcipue vidit: ſubſtantiam celluloſam, ligamentoſas lacinias formantem, & breves veros venoſos ſinus, ex quorum quaſi fundo, multi minuti rami, per placentam, diducebantur. Videbantur autem hi ſinus, qua parte cum uteri vaſis continui erant, contracti eſſe, certe uteri vaſa aliter, quam a ſe recte dicit alias obſervatum eſſe, minus, quam illi ſinus, ampla erant. Omnium adhæc vaſorum, quæ inter uterum placentamque & chorion erant, tam teneras fuiſſe membranas, refert Cl. Autor, ut, cur horum vaſorum ne veſtigium quidem in placentis, per partum excluſis, ſit, non difficulter ratio inveniri poſſit. In utero autem, ubi ovum exemtum erat, placentam vidit poſteriori uteri parti adhæſiſſe, quæ inæqualis & leviter turgida erat, cum reliqua interna uteri ſuperficies, præter ſtrias fere orbiculares, ſed admodum graciles, & quarum plurimæ, in loco adhæſionis placentæ, conſpiciebantur, ſatis æqua-

lis

lis eſſet. Ceterum, uterum æque craſſum fuiſſe, ac in ſtatu naturali ſolet, & ex pluribus, ſibi invicem impoſitis, lamellis conſtructum. Narrat deinde Cl. Autor, quæ in ovo ipſo invenerit, inter quæ memorabilia ſunt, reticulata albicantia filamenta, fungoſæ chorii ſubſtantiæ ſuppoſita; utque hanc ſubſtantiam non differre exiſtimat a celluloſa, ovum utero jungente, ſic, an non illa filamenta vaſa ſint, dubitat. Porro, ſe, negat, præter celluloſam, allantoidem aliquam, inter chorion & amnion, inveniſſe, chorion vero faciem placentæ, quæ uterum reſpicit, ita obtexiſſe, ut ſe, piæ matris ad modum, inter juga placentæ demitteret, quæ adeo non per ſua vaſa, ſed peculiari vaſorum genere medio, cum utero cohæſerit. Poſthæc accurate ſitum infantis deſcribit, cujus caput, inter alia, ita ſurſum converſum fuit, ut auris dextra antrorſum ſpectaret. Mentum præterea pectus tangebat, erantque oculi cum ore arcte clauſi, funiculus vero umbilicalis, qui tibiam ſiniſtram anſa comprehendebat, margini placentæ propius, in ſuperiore ac dextra parte, adhærebat. In hoc fune, circa medium, vena duos a latere ramos emittebat, ſed qui poſt breve iter in truncum iterum confluebant. His ſubjunxit Cl. *Noortwyk*, quæ ſe dicit in quatuor ſecundis, per partum excluſis, obſervaſſe. Has, ubi leviter tepida aqua abluerit, & in ea paululum agitaverit, donec non amplius tingeretur, vera membrana dicit, a parte uteri, obductas fuiſſe, ſed tam tenera, ut non poſſet integra ſeparari. Adhæc placentam ipſam quaſi ex multis tuberibus compoſitam fuiſſe, ſejunctis per ſepta illius membranæ, & ex meris vaſis factis, quæ, poſt levem ſolutionem, acinulos, poſt accuratiorem, penicillos, retulerint. In quarta ex his placentis denuo allantoidem fruſtra quæſivit, cumque amnios a chorio aliqua parte ſeparata eſſet, quod cavi, in quo urina ſervata fuiſſet, ſuſpicionem movere potuiſſet, Cl. Autor in chorion inquiſivit, eamque membranam, qua parte ſeceſſerat, non lævem, ſed inæqualem & hirtam, invenit. Quod ut cavi quidem ſuſpicionem vanam reddit, illam tamen potius auget, quæ occaſione ſimilis obſervationis in nobis orta eſt, an non hæc inæqualitas a diſruptæ interpoſitæ quaſi veſicæ laciniis provenerit,

venerit, maxime, cum ſe dicat, circa placentam, maſſulam unam & alteram ſubrubellam, a chorio & amnio diſtinctam, inveniſſe. Etſi vero fruſtra adeo allantoidem quæſiverat, tamen non neglexit in urachum inquirere, cujus etiam ſpeciem præ ſe ferebat albus funiculus, per totam umbilici longitudinem protenſus. Quem cum inflare tentaret, ſed ſolidum inveniret, imo in uno ex umbilicis examinatis triplicem, transverſim hunc ipſum ſecuit, idque, quod ipſi pro uracho impoſuerat, marginem ſepti eſſe conſpexit, vaſa diſterminantis. Eratque alterum inter venam & arterias, alterum inter has duas, adeo, ut ſingula vaſa, per totam umbilici longitudinem, in propria quaſi vagina hærerent, ſubſtantia intus fungoſa cincta, quæ, poſt maceracionem, ubique flatum admittebat. In placenta vero, ut ad hanc redeamus, cum chorion, tum amnios membranæ, ex duabus, facile ſeparabilibus, laminis conſtabant, quarum illis, in quas chorion ſecedebat, tanquam ſacculo aliquo, tota placenta incluſa erat. Ultimo loco quintæ placentæ anatome a Cl. Autore proponitur, de qua hanc non contemnendam obſervationem addit. Uxor Autoris, quarto menſe gravida, cum per gradus deſcenderet, ob ceſpitantem tantum pedem, perterrita, proxima nocte, urinam reddidit multo ſanguine profunde tinctam, cum ſubſequente glutinoſi aliquantum humoris exiguo modo. Abortu, quem metuebant, non ſecuto, partum quidem felicem mulier experta eſt, placentam vero arcte accretam oportuit manu, ab obſtetrice immiſſa, deglubi. Accretam vero eo loco fuiſſe, quo placenta, eo tempore, quo ille ſanguis ex utero fluebat, ab utero receſſerit, propterea non male judicare videtur Cl. *Noortwyk*, quia ſimilium hiſtoriarum recordamur, de fœminis ſcilicet, quarum utero, cum, graviditatis tempore, levem hæmorrhagiam expertæ eſſent, placenta, aliqua in parte, arcte accreta fuit. In hac vero placenta duo obſervata ſunt, quæ contra illos pugnant, qui membranam, placentæ dorſum tegentem, a cruore productam eſſe exiſtimant. Aderat nempe hæc membrana ubique, exceptis iis locis, ubi inter extrahendum læſa fuerat, aliquotque oſcula in ea obſervabantur, pariter ac ſtigmata ſanguinolenta,

Digitized by Google

lenta, quæ ablui poterant, & vaſorum reliquias videbantur oſtendere. Reliqua, quæ in hac placenta apparebant, parum ab iis diverſa erant, quæ Cl. Autor in præcedentibus vidit. Horum omnium pleniorem deſcriptionem eam ob cauſam dedimus, quia, quæcunque deinde in Hiſtoria propoſita ſunt, his, tanquam fundamentis, nituntur. Tres autem Hiſtoriæ ſubjectæ partes ſunt. Earumque prior ea omnia complectitur, quæ, ab omni ætate, cuncti Autores, quos nempe obtinere Cl. *Noortwyk* potuit, de uteri humani gravidi anatome propoſuerunt, quo, ad quem ſingulorum inventionis gloria pertineat, clare conſtaret. Nimis longum foret, ſi omnibus, quæ ad ſingulos Autores a Cl. *Noortwyk* notantur, inhærere vellemus. Sufficiet, aliqua notaſſe. Ad *Celſum* monet, qui *Lib. IV Cap. I* de vulva agit, debere ſecundum veteres aliquot editiones *continuataque cervice* legi, quod ut ſine dubio cum anatome convenit, neque tamen & id repugnat, quod in aliis legitur, *tenuataque cervice*, quin potius hoc humanæ magis, quam brutorum, vaginæ convenit. Quare, cum & hoc addat, ipſam ſuper rectum inteſtinum progredi, niſi metueremus, ne *Celſus* fortaſſis deſcriptionem ad brutum fecerit, dorſo impoſitum, ipſum humanum uterum hic deſcribere, affirmare non dubitaremus, cujus vagina ſuper inteſtino recto, ut hoc ſuper antrorſum inflexo coccygis oſſe, progreditur. Hinc, ubi ad *Ruffum* perventum eſt, probabile efficere annititur, male ipſi tubæ, quam vulgo *Fallopianam* dicimus, inventionis gloriam tribui. Primum vero, qui humanum uterum gravidum ſecuerit, etſi parum accurate, *Nicolaum Maſſam* eſſe, Cl. Autor fatetur, poſt quem plurima fuerint ab *Arantio*, ejusdem Seculi ſcriptore, obſervata, ſic tamen, ut pauca quoque *Columbo*, *Fallopio*, ac *Veſalio*, tribuat. In altera Hiſtoriæ parte, a quo ſingula eorum, quæ ad Anatomen uteri humani gravidi pertinent, primum expoſita fuerint, inquiritur. Idque eo ordine factum eſt, quo anatome uteri gravidi ab initio exhibebatur. Sufficiet autem & in hac parte, aliqua tantum hic appoſuiſſe. Obſervat igitur Cl. *Noortwyk*, ligamenta uteri gravidi craſſiora eſſe, hypotheſin de ovulis non ante annum

1660 natam esse, ut adeo male ipsi *Hippocrati* aliisque veteribus a *Drelincurtio*, *Joanni Matthæo de Gradi* a *Duglasso*, *Harvejo* ab aliis, tribuatur; ovarium fere eodem tempore a *Stenone*, *Swammerdamio*, & *van Horne*, pro vero ovario habitum fuisse, sibique hoc inventum sine causa tribuisse *Graafium*; *Hornium* vero ovula clare demonstrasse, ac per ea in uterum delata, generationis negotium perfici, declarasse; nexum ovi cum utero a nemine melius descriptum esse, quam a *Galeno*, etsi non humanum ovum descripserit, de vasis vero, placentam utero nectentibus, solum fere *Denysium* clari quid proposuisse, & obscuriora esse, quæ de particula lactea, quam Cl. Autor supra chorion effusam vidit, apud Autores inveniantur. Hinc contra Cl. *Monroum* disputat, qui ex fallaci experimento concluserat, placentæ & uteri vasa non continua esse, sed illa sinubus uteri ita inhærere, ut sanguinem quasi absorbeant. Eaque occasione duplex vasorum in placenta genus, etsi obscure, memorat, quod & antea indicavit in Anatome uteri, quorumque alterum, cum uteri vasis continuum, vasa minora per placentam spargit, cum radicibus umbilicalis venæ, quæ adeo non immediate cum uteri vasis cohærent, conjuncta. Quæ si ita sunt, dubitamus sane, an possint sic, ut Cl. *Noortwyk* superius in Anatome uteri dixit, pro venosis haberi, nisi sufficiat, ipsa tenerrimæ structuræ esse, & cum sinubus uteri continua, qui adeo ad arterias referri non debeant. Ubi porro ad strias orbiculares, in Anatome memoratas, pervenit, de musculo *Ruyschiano* exponit, eumque, hac sua de striis orbicularibus observatione, confirmari potius, quam dubium reddi, existimat, etsi vel non semper æque insignis inveniatur, vel eo fortassis robustiores fibræ sint, quo propius uterus a partu absit. Præter hæc notum est, vulgo sinus uteri gravidi omnibus in ore esse. Eos vero Cl. *Noortwyk* se in suo utero non vidisse, ait, &, quæ magna oscula in eo apparebant, pro vasorum truncis habere malle. Cautus tamen, se contra gravissimos scriptores eos plane negare non velle, addidit. De membrana deinde, quæ a multis dicitur placentam, qua uterum respicit, obducere, ab aliis a natura esse negatur, duo

Digitized by Google

propoſita deprehendimus: alterum, fuiſſe hanc membranam, ante *Ruyſchium*, cum ab *Arantio*, tum ab *Hobokenio*, viſam, alterum, eam non arte fieri, nullamque vim illud argumentum habere, quod, ex abſentia hujus membranæ, in abortuum placenta, ducitur. Nam, quod, eam ex ſanguine oriri, dicunt, qui in ejusmodi membranam quaſi cogatur, Cl. Autor abortuum placentas, quibus ſanguis coactus adhærebat, frigidæ aquæ, ſimiles vero adultorum partuum calidæ, immiſit, eamque membranam in his ſemper, in illis nunquam, invenit, cum tamen, ſi ſanguinis coacti productum eſſet, in illis potius ob frigidam oriri debuiſſet. Dubitamus ſane, an cogi ſanguis cum a levi frigore, tum a ſimili calore, poſſit; ex ſanguine vero æque ac gelatinoſis reliquis noſtris humoribus experti ſcimus agitatione, ſub caloris etiam aliquo gradu, poſſe membranas naſci; quare & Ill. *Albino* credimus, affirmanti, qui tunicas inteſtinorum, e. g. per alvum excretas, ſe vidiſſe ſcripſerint, a ſimili gelatinoſa, ut ſic dicamus, membrana, ſæpe deceptos fuiſſe. Quæ ſi cum noſtri Autoris experimentis comparamus, & recordamur, nos ſemper ſanguinem placentæ adhærentem, quaſi in thrombos concretum inveniſſe, non improbabile nobis eſſe videtur, ſi frigus ſanguinem hunc cogeret, poſſe certe non membranam æqualem facere, calidam vero, aut tepidam tantum, agitatione ſimul accedente, jam concretam ita ſolvere debere, ut, cum tamen non totus ſolvatur, æqualem placentæ ſuperinductam membranam formet. Sed hæc tantum in mentem nobis veniebant, quando vim demonſtrationis, ab Autore datæ, expendebamus, eumque, etiam cum abortus placenta, nunquam in tepida experimentum feciſſe, mirabamur. Cum vero negare non poſſet, hanc membranam abortuum placentis deeſſe, ipſas per epigeneſin oriri, imo plura per eandem in placenta vaſa naſci, affirmare non dubitavit. Ubi optandum erat, ut, an aliqua, an nulla, ut videtur, inter quadrimeſtris & perfectæ placentæ membranam differentia ſit, adderet. Veri enim admodum ſimile eſt, ſi ipſa per epigeneſin fiat, debere ſenſim fieri, & craſſitiem quoque majorem acquirere. Recordamur autem, trimeſtris fœtus placentam examinaſſe, in qua æque ac in trium & quinque ſeptimanarum

placenta, nullum hujus membranæ veſtigium apparebat. Imo vero, ſi rem omnem propius intuemur, ut epigeneſin in univerſum negare non volumus, certe, eam admitti poſſe, dubitamus, per quam produci, ſecundum Cl. *Noortwyk*, hæc placentæ membrana debeat. Quæ enim a nonnullis ponitur, epigeneſis, per eam liberis partium extremitatibus continuo particulæ quædam apponuntur, ex quibus denique membrorum forma naſcitur. Hic contra de parte agitur, inter duas, jam diu junctas, interponenda, ad quod ſine dubio requireretur, ut prior nexus ſolvatur. Quod ſi etiam poneremus, fieri poſſe, ſi ille nexus per celluloſam ſubſtantiam formaretur, quis vero, vaſa, crediderit, ſine noxa ſolvi poſſe, per quæ nempe illum nexum fieri, nemo negare poteſt? Atque, ſi per hæc vaſa, ut extra dubitationem videtur poſitum eſſe, ſanguis a matre ad partum tranſit, ad quem uſum natura poſt tertium menſem illam membranam, &, cum hac, novum vaſorum genus interponat? Has adeo dubitationes noſtras amice voluimus Cl. Autori exponere. Hanc de placentæ membrana diſputationem ſequuntur ea, quæ ad ipſum partum ſpectant, ejusque inſtabilem ſitum, deinde umbilici in placentam excentricam, ut appellat, inſertionem, quæ & ſecundum noſtras obſervationes fere perpetua eſt, & venæ umbilicalis, in funiculo ipſo, ramos, etiam ab *Arantio* obſervatos. Hinc ad placentas converſus, vaſorum in ejus tuberibus conſtitutionem, & lanuginem, qua ſingula vaſa, in his tuberibus, obducuntur, a nemine memoratam fuiſſe monet, etſi *Roubaultus* & *Hobokenus* eam non plane ignoraſſe videntur; amnion involucro funis accreſcere, chorion neutiquam, ſed vaſa umbilicalia, per breve ſpatium, ſola ſpongioſa quaſi ſubſtantia obducta, proferri; multos Autores, qui allantoidem admiſerint, urachum tamen umbilicum non excedere, faſſos eſſe; ſepta funiculi umbilicalis primum a *Mauriceo*, aut ad ſummum ab *Riolano*, deſcripta, præter quos Autores & nobis nullus notus eſt, qui de hac re aliquid memoriæ prodiderit; *Roubaulti* experimentum de funiculo inflato, & flatu, qui ſuper placentam quoque progreſſus ſit, docere, quam facile Autores potuerint induci, ut urachum & allantoidem crederent; a nullo Autore claris

Digitized by Google

ris verbis expreſſum eſſe, chorion in duas lamellas digredi, quarum altera concavam, altera convexam, placentæ ſuperficiem obtegat, quod fortaſſis admitti poteſt, ſi ad verbum, & ſtrictius adeo, Autores interpretamur; vaſa in concava placentæ facie neque ſub chorio, neque in eo, ſed in celluloſa, chorio & amnio interpoſita, decurrere, aliaque minus notatu digna. In tertia tandem parte de Uracho & Allantoide diſputatio ſequitur. In eaque omnes Autores recenſentur, prolato etiam eorum ſermone, qui allantoidem affirmarunt. Diſputatque Cl. Autor validis utique argumentis contra *Needhamum*, *Hobokenium*, alios, qui internam chorii laminam, eam ob cauſam, urinariam vocaverunt, quia non tam viderunt, (fatetur enim ad minimum *Needhamus*, ſe nunquam fœtum, membranis ſuis incluſum, examinaſſe,) quam crediderunt potius, lotium non aliter, ac in equino fœtu, inter hanc & amnion, effuſum eſſe. Deinde contra *Littrium* dicit, qui, quod in monſtri ſecunda, tertiam aliquam membranam, & inter hanc & amnion, ſeminunciam liquoris mucilaginoſi invenit, ſine ſufficienti utique ratione, eo animum inclinavit, ut, hanc allantoidem eſſe, ſtatueret. Fuſius deinde *Halei* obſervationem examinat, eumque alteram amnii membranam pro allantoide habuiſſe, reliqua vero finxiſſe potius, quam clare vidiſſe, non invalidis argumentis probabile reddit, etſi aliqua videtur non ſine præconceptæ opinionis quadam ſpecie negare, quæ ſatius fuiſſet in medio relinquere, aut etiam varia deſcriptionis *Haleanæ* loca ita interpretari, ut fere vis aliqua ſenſui verborum illata eſſe videatur. Non leve quidem nobis argumentum videtur, quo utitur Cl. *Noortwyk*, nullum fere ex iis, qui allantoidem poſuerunt, de ſede ejusdem, cum altero convenire. Multum tamen hujus argumenti robori videtur decedere, ſi cogitemus, omnes in hoc convenire, urinam inter chorion & amnion effundi, alios vero hoc ſimpliciter propoſuiſſe, alios a prioribus probabiliter non viſam membranam, quia veſica rupta erat, non tanquam veſicam, ſed ut ſimplicem membranam, diſtinctius ita deſcripſiſſe, ut, inter eam & amnion, urinam effundi, dicerent, alios denique, eodem loco, veſicam poſitam eſſe, quæ urinam contineat.

neat. Eaque ſententia non adeo multum a prioribus differt, ut quaſi pro nulla haberi obſervatio debeat. Nam, cum, ſe, dicant illi Autores, non ovum humanum ipſum examinaſſe, ſed placentas, quis neſcit, quam laceræ in his utplurimum membranæ ſint, quamque raro adeo accidere debeat, ut placenta examinari queat, quæ integram veſicam habeat, aut, ſi etiam habeat, in qua urachus inflari poſſit? Quod vero *Needhamus* e. g. allantoidem totum fœtum ambire dixit, id, non negamus, ex ſola conjectura additum fuiſſe, ex analogia cum brutis ducta. Sed hæc, non ut allantoidem probaremus, addenda putavimus, verum ut, tot diſſectorum obſervationibus, non omnem adeo fidem recte denegari poſſe, & argumentum, quod a diſſenſu Autorum deſumtum fuit, minus validum eſſe, evinceremus. Ut vero ad noſtrum Autorem redeamus, is porro eorum quoque ſententiam evertere ſtudet, qui, fœtum, ſi neceſſe ſit, urinam in amnion, negant, deponere. Ultimoque loco de illo fœtu dicit, quem Ill. *Albinus* in theſauris ſuis ſervat, & in quo, ut ipſi vidimus, ſub placenta, veſica quædam conſpicitur, in quam videtur funiculus aliquis, per umbilicalem progreſſus, terminari. Autor igitur, poſtquam hæc omnia expoſuit, aliquot argumenta proponit, quibus evincat, hanc veſicam & funiculum, utut allantoidis & urachi ſuſpicionem moveant, tamen ad has partes, tanquam perpetuas, inde ponendas neutiquam ſufficere. Atque, ex his non difficile eſſe, putamus, quam utilem laborem Cl. *Noortwyk* ſuſceperit, quamque accurate eum perfecerit, intelligere; maxime, ubi & hoc addiderimus, *jam fuiſſe* hunc librum in linguam Gallicam converſum. Nobiſcum autem omnes procul dubio optabunt, ut de Epigeneſi & Vita etiam libros brevi in lucem emittat. Sed neceſſe eſt, de figuris aliqua dicamus, antequam hinc diſcedamus. Quatuor icones ſunt, magno ſtudio factæ, dirigente ſcilicet ſummo artifice *Wandelar*. Prima uterum, ita, ut ſupra dictum eſt, apertum, & vacuum, exhibet, ſic, ut vaſorum variæ magnitudinis aperturæ, &, quæ circa orificium uteri obſervata fuerunt, cum craſſitie uteri, appareant. Altera placentæ dorſum exhibet, ut ejus rubera, cum ſulcis intercedentibus, ſinus in lamella chorii externa,

Digitized by Google

terna, & alia, conſpici poſſint. In tertia ſitus infantis cernitur, & in quarta *Halei* figuræ, ad allantoidem pertinentes, ex Actis Anglicanis deſumtæ, occurrunt; quibus ab Autore figuræ quatuor additæ ſunt, ſepta funiculi umbilicalis exprimentes, & una, quæ ovarium & tubam, & in his ea, de quibus in Anatome uteri dictum eſt, repræſentat.

JOANNIS GEORGII FRICKII, JOAN. Fil. τῦ μακαρίτε, A. M. ad Æd. S. S. Trinit. Ulm. Paſtoris, & Gymnaſ. Viſitatoris, itemque Societatis Teutonicæ Lipſienſis Sodalis, Commentatio de Druidis, Occidentalium populorum Philoſophis, multo, quam antea, auctior ac emendatior. Accedunt Opuſcula quædam rariora, hiſtoriam & antiquitates Druidarum illuſtrantia, itemque ſcriptorum de iisdem Catalogus. Recenſuit, ſingula digeſſit, ac in lucem edidit, frater germanus, ALBERTUS FRICKIUS, A. M. V. D. M. Poeſ. P. P. & Biblioth. Adj. Ulmenſ. itemque Ampliſſ. Ordin. Philoſ. Lipſ. Aſſeſſor.

Ulmæ, apud Daniel. Bartholomæi & filium, 1744, 4.

Alph. 1 plag. 7.

Druides, Britannorum, Gallorum, & Germanorum, Philoſophi, qui præterea juri dicundo præfuerunt, magiſtratuum ac ſacerdotum muneribus olim ſunt functi, atque eximia autoritate eminuerunt, non minore celebritate fulgent, quam quidem ſapientes, quos Ægyptus, Chaldæa, Perſia, India, Græcia, & Latium, antiquitus ſuſpexit. Quare, cum in his percenſendis, iisdemque ex merito collaudandis, plures occupentur; nemo certe vitio vertet viris doctis, & rerum antiquarum curioſis, ſi & illorum ortum, inſtituta, vitæ rationem, prærogativas, ex remotiſſima antiquitate eruere, inque publicam lucem, quantum licet, proferre, annitantur. Ex illis in præſenti Opuſculo deſudavit Vir eruditiſſimus, *Jo. Georg. Frickius*, beatis cœlitibus paucis abhinc annis adſcriptus, qui, quicquid de Druidibus vel apud antiquos, vel recentiores,

centiores, ſcriptores invenire potuit, ſedulo collegit, multo cum judicio conflixit, inque concinnum ordinem redegit, ut hinc ceteris, qui argumentum hoc occuparunt, palmam præripuiſſe non ſine ratione videatur. Dolendum tantum, ipſum, præmaturo fato literis ereptum, non potuiſſe ſingula ad limam revocare; forſitan, quæ de muneribus ac prærogativis illorum nonnullis deeſſe videbuntur, ipſe, ſi vixiſſet, fuiſſet adjecturus. Interim gratiæ ſunt agendæ Viro Clariſſimo, *Alb. Frickio*, per paterna & fraterna veſtigia ad gloriam contendenti, qui tantum dedit pietati in fratrem, & publicæ utilitati, ut fœtui, parente orbo, obſtetricantes manus præbere voluerit. Commentatio hæc enata eſt ex Diſſertatione, quæ in Ulmenſium Gymnaſio d. 8 Maji A. 1731 publico examini ſubjecta fuerat, quam, cum elogiis ſuis & comprobatione dignarentur viri eruditi, novis acceſſionibus locupletare, & auctiorem typis exſcribendam dare, Autor conſtituit. Sed, illo inopinato fato functo, operam hanc in ſe ſuſcepit frater, qui, quicquid in ſcriniis fraternis reperit, id ipſum, juſto ordine diſpoſitum, prelo ſubjecit, Dedicationem & Præfationem operi præmittens.

Tractatio abſolvitur *duabus Partibus*. *Pars prior*, quæ conſtituit Commentationem *Frickianam*, *tribus* conſtat *Capitibus*. Tractationi præmittuntur *Prolegomena*, in quibus de neceſſitate cognitionis antiquitatum patriarum Autor diſſerit, quas vero valde impeditas dicit, quod progenitores noſtri non tam literis, quam armis, inclareſcere contenderint, ut hinc aliena fide niti oporteat. Negat tamen, illorum, qui ſunt extranei, ſcriptorum teſtimonia absque acriori judicio amplectenda, cum partim in
Pag. 10. Germanos invidia ſint ducti, partim ignorantia linguæ & rerum
11. Germanicarum laborarint. Num carmina, quibus majores noſtri heroum ſuorum egregia facinora decantarunt, in literas ſint relata, Autor ſubdubitat. Nec dici poteſt, Romanos in ſcripta, in quibus rerum, a Germanis fortiter geſtarum, memoria conſervabatur, ne ſcilicet in illorum, hoſtium ſuorum, laudes aliquid diceretur, ſæviiſſe, eademque aboluiſſe. Illud autem ab Romanis factum eſſe, præter alios ſcriptores, docet Cl. *Jo. Eberh. Rau*
11-15. in eleganti Commentatione *de Ara Ubiorum*. Ex veteribus, qui

res

res Germanorum attigerunt, laudat *Jul. Cæsarem* & *Corn. Tacitum*, quorum fidem non uno argumento adstruit, qui, si quidem alicubi lapsi fuerunt, non tam ex maligno animo & incuria peccarunt, quam quoniam certiora & rectiora habere non potuerunt. Ex recentioribus multa laude prosequitur *Jac. Martinum*, qui de religione & philosophia antiquorum Celtarum diligenter & curate sit commentatus, sibique multo fuerit usui. Pag. 15-21. 21. 22.

Cap. I differit de *Druidarum nominibus præcipuis, origine, antiquitate, & sedibus primis in Britannia, tum etiam in Gallia, Germaniaque.* Nomen tulisse Druidas, existimat Autor, non a *Dry*, voce Saxonica, quæ *magum* notat, nec a Germanica *druthin*, quæ *dominum*, item *Deum*, designat, nec a Græca δρῦς, nec a *Dryio*, quem Galliæ Regem fuisse comminiscuntur, nec ab Hibernico *Drui*, personam *Deo sacram* significante, nec denique a *true, fides, fidelitas*, sed ab antiquissima voce, Britannis & Celtis olim usitata, *Deru*, quæ *quercum* notat. Quæ derivatio ea de causa veritati propior esse videtur, quoniam Druides ex Britannia primum profecti, & præterea *quercetis* multum sunt delectati. Dicuntur porro *Dryside Ammiano Marcellino Hist. Lib. XV Cap. 9*, Σεμνόθεοι *Laertio Proœm. pag. 2*, ubi Σαμνίται legi vult *Galesius*, Σαρωνίδες *Diodoro Siculo Lib. V fol. 308 edit. Rhodom.* quod nomen non ortum traxit a *Sarra*, sed a Græco Σαρωνίδες, quod *Hesychius* per δρῦς reddit, *Bardi* & *Vates Straboni Geogr. Lib. IV fol. 302 edit. Almelov.* Druides apud Germanos & Belgas *Bardi* sunt dictitati, & illorum magna fuit autoritas inter suos. In præliorum congressibus carminibus suos exstimulabant, fortium virorum facta hymnis suis prædicabant, morumque censores agebant. *Vates* adhæc nominantur, *Ammiano Eubages*, pro quo legi vult *Valesius Eubages*, nisi cum *Cluverio* pro *Eubages*, & corruptissimo Οὐάγες, Οὐάτες, sive *Vates*, sit legendum. *Senanes Martino* nominantur *de la relig. des Gaulois Tom. I pag. 177 seq.* & *Tom. II pag. 64*, quam appellationem traxit ex antiqua Inscriptione Parisiensi, eamque a Græco σεμνὸς, *venerabilis, sanctus, venerandus*, arcessit, & cum illa σεμνοθέων confert. Quem autorem sectæ suæ habuerint, definiri nequit. Qui igitur vel *Samothen*, vel *Tuisconem*, vel *Druydem*, vel *Belenum*, vel *Fynnanum*, 24-29. 29-35.

nanum, vel *Iſtæmonem*, vel *Saſronem*, citant, incomperta loquuntur; hoc tamen affirmandum eſt, ipſos antiquiſſimis jamdum temporibus floruiſſe, & iisdem fortaſſe, quibus primi ſectarum philoſophicarum conditores vixerunt, quod ex *Laertio* non obſcure colligi poteſt. Hinc, quod nonnullis in mentem venit, fuiſſe propaginem aliquam *Pythagoræ*, a temporum
Pag. 35- ratione multum abludit. Primam ſedem habuiſſe eos in Britan-
39. nia, patet ex *Cæſare de B. G. Lib. VI Cap. 13. Haſæus*, eo ex Germania delatos fuiſſe, exiſtimat *Diſſ. pag. 631.* Et quidem co-
39 41. luerunt *Monam* inſulam, Britanniæ adjacentem. Ex Britannia, quod idem *Cæſar* teſtatur, in Galliam venerunt, licet hodiernorum Gallorum aliqui, invidentes gloriæ Britannorum, *Britanniam minorem* (*la Bretagne*) intellectam velint. Hinc in
41-43. Germaniam ſe contulerunt. Huic enim Philoſophos & ſacerdotes fuiſſe, licet Druidarum nomine non ſint inſigniti, ex *Tacito* intelligitur; adeoque eorum ſententiam, qui illos Germanis abjudicant, refellit. *Cæſar* hic *Tacito* opponendus non eſt, quia hic illum cognitione rerum Germanicarum multum ſuperat.
43-45. Quo tempore vero inter Germanos eminere cœperint, in incerto eſt. Vero admodum eſt conſentaneum, *Cæſaris* jamdum & ſuperioribus temporibus inclutos exſtitiſſe, licet Druidum nomi-
45-47. ne caruerint. Inde explicat Autor figuras Druidum & Druidiſſarum, æri inciſas, & ex *Martino* mutuo ſumtas, quarum altera, ex ære fabrefacta, inter arandum in agro Narbonenſi reperta, altera
47-50. Auguſtoduni, agri Burgundici urbe, eſt effoſa. *Cap. II* de *Druidarum philoſophia* Autor diſſerit. Philoſophorum inſigni titulo Druidas dignati ſunt priſci, nec ſine ratione, licet tales haberi nequeant ſenſu ſtrictiori, ſed latiore, quatenus Philoſophia ſumitur pro *cognitione plurium veritatum bonæ frugis pleniſſimarum accuratiori, aque cognitione vulgi rudiore multum diſcrepante.* Quæ
50. 51. tradiderunt, memorante *Cæſare*, metri legibus adſtricta, non ſcripto, ſed memoriæ, mandata voluerunt. Num literis Græcis ſint uſi, eſt incertum; forte illud per gloſſema aliquod in tex-
51-53. tum *Cæſaris* irrepſit. Symbolicam docendi rationem, perhibente *Laertio*, ſunt ſectati. Illorum doctrina verſabatur circa Deum, quem exiſtere perſuaſi erant. Falluntur igitur multum,
53-57. qui Gallis & Celtis atheiſmi labem impingunt. Dei autem notitiam

titiam [illegible] ipſos inde a *Noacho*, ex cujus poſteris fluxerunt, Pag. 57-
dimanaſſe, eſt credibile, quos, quo propiores fonti fuerunt, eo 58.
puriores ac ſinceriores fuiſſe, dubio vix caret. Deum, crediderunt, eſſe ſpiritum immenſum, rebus omnibus præſentem, nec templi ſeptis incluſum. Trinitatis notitiam habuiſſe, quod *Cluverius* ſibi & nonnulli alii perſuaſerunt, ab omni probabili 58-63.
ratione abludit. Deum hominem & omnia produxiſſe, iisdemque per providentiam ſuam proſpicere, propugnabant. Illum non externo aliquo ſimulacro expreſſerunt, ſed pura mente coluerunt, in qua ſimplicitate ad Sec. II uſque a N. C. perſtiterunt, quo a Romanis bello petiti, vel cum ipſis commercia tractantes, ad Deorum fictitiorum, eorundemque imagini- 63-67.
bus effigiatorum, cultum ſunt traducti, atque inde πολυθεότης inter Celtas eſt invecta. Animarum immortalitatem ſtatuiſſe eos, teſtimoniis *Cæſaris de B. G. Lib. VI Cap. 14*, & *Ammiani Lib. XV Cap. 9*, diſcimus, in quam ſententiam ea de cauſa ſunt ingreſſi, quo ad bella forent animoſiores, metumque mortis abjicerent, & ad virtutem inflammarentur; quod ipſum etiam ex ritibus funebribus, quibus obſecundarunt, apparet. Vitam porro poſt hunc rerum ſtatum locum habituram eſſe cen- 67-69.
ſuerunt, quam animas juſtas in cœlo, injuſtas apud inferos, fortes in loco quodam glorioſiſſimo, acturos eſſe, confidebant. Μετεμψύχωσιν docuiſſe, pervulgata fere eſt ſententia, ſed, ab illa alienos fuiſſe, judicat Cl. Autor; animas quidem habuiſſe immortales & æternas, ſed nec per animantium brutorum, neque per hominum, corpora transire, verum vitam vivere pro factorum ratione vel feliciſſimam, vel infeliciſſimam, nullo 69-72.
tempore finiendam, quod *Pomponius Mela* non obſcure innuiſſe videtur *Lib. III Cap. 2*. Aliquid etiam de reſurrectione corporum ſuſpicatos eſſe, conjectat Autor, ita ut, quemadmodum Cel. *Harenbergius* in *Idea juris divini pag. 12* explicat, per illam 72, 73.
corporis ſubtilis e corpore craſſo demortuo evolationem cum ipſa anima intellectam voluerint. Mundum a Deo productum eſſe, aſſeverarunt; quam doctrinam non demum per famam prædicati per oratores Chriſti, vel horum ſucceſſores, Evangelii, quod cenſet Doctiſſ. *Arnkiel de relig. Cimbr. gent. Tom. I pag. 89, 90*, ſed per traditionem, inde ab antiquiſſimis temporibus a proge-

nitoribus ſuis ad ſe transmiſſam, acceperint. Probat hoc *ovi anguini* ſymbolum, in Druidarum myſteriis celebratiſſimum, de quo *Plinius Lib. XXIX Cap. 12.* Quæ doctrina de mundo, ex ovo prodeunte, veteribus decantata, orta fuiſſe videtur ex eo, quod *Moſes* de incubatione Spiritus S. narrat *Gen. I, 2.*

Pag. 73-75. Qui num aliquando, quod *Strabo* de ipſis docet *Lib. IV*, per *ignem*, vel *aquam*, ſit deſtruendus, anquirit Autor. Porro Aſtronomiæ operam dederunt. Dierum initia a noctibus ducebant, qui mos inde ab antiquiſſimis temporibus ad ipſos devenit. Lunam cultu divino proſequebantur, ab ejusque adſpectu fauſta quævis derivabant, &, quoties illa deficiebat, multa triſtitia afficiebantur.

77-79. De doctrina morum, ſed non in ſyſtema quoddam redacta, multa recte præceperunt, ſed, leges ſcriptas habuiſſe, quod *Taillepiedio* in libri, *Hiſtoire de l' eſtat & republiques des Druides, Part. I pag. 83* eſt viſum, dici nequit. Forte præcepta morum, uti facta heroum ſuorum, carminibus ſunt complexi, eaque ſuis memoriæ infigenda propoſuerunt.

79-81. *Cap. III de Druidarum interitu* exponitur. In Britannia, regnante *Lucio*, qui Chriſtiana ſacra eſt amplexus, una cum paganiſmo diſciplina & inſtituta Druidarum conciderunt, quod Seculo a parta ſalute II contigit. In Gallia *Auguſtus*, in urbe Romana *Tiberius*, illorum ſacra prohibuerunt, penitus vero hæc ſuſtulit *Claudius*. Quoniam autem pugna quædam videtur eſſe inter *Plinium Lib. XXX Cap. 4* & *Suetonium* in *Claudio Cap. 25*, quorum ille excidium ordinis hujus *Tiberio*, hic *Claudio*, attribuit, recenſitis variis conciliandi rationibus, ita ipſos in concordiam redigit Noſter, ut neglectam & pæne antiquatam legem *Tiberii Claudius* nova, eaque ſevera, prohibitione revocaverit, & adauxerit; forte etiam, quod de *Claudio* dicitur, de proſcriptis ſacrificiis

81-83. humanis eſt accipiendum. Ex ſequentium quippe temporum monumentis eſt perſpicuum, multa veſtigia ſuperſtitionis hujus paſſim per Gallias, imperium Romanum, & Germaniam, remanſiſſe, uſque dum tandem, luce doctrinæ ſalutaris magis magisque invaleſcente, illa radicitus fuerit exſtirpata. *Scholares erraticos*, quos appellabant, Sec. XV fuiſſe propaginem Druidarum, e Gallia quondam in Germaniam pulſorum, quod *Geſnerus* in *Mithridate polyglotto Cap. 2* autumavit, cum *Thomaſio*

de

de Vagantibus Scholaſticis §. 121 ſeq. recte negat. Hæc ſunt præcipua momenta eruditæ hujus Commentationis, quæ ſingula Pl. Reverendus Autor ita eſt executus, ut induſtria ipſius, lectio varia, judicium acre, & ſagacitas, res a memoria noſtra remotas e caligine ſua producendi, undique eluceat. Dictio, qua utitur, eſt terſa & nitida, plena tamen & dilucida. Pag. 83, 84.

Pars II Opuſcula rariora integra, itemque ex aliis excerpta, tum *catalogum ſcriptorum de Druidis,* complectitur, eum in finem adjecta, ut ſic integra exſtet rerum, ad hiſtoriam Druidum ſpectantium, collectio, &, quæ in Commentatione prolata ſunt, confirmentur. Sufficiat, illa ordine nominaſſe. *Primum* locum occupat *Petri Leſcaloperii,* S. J. *Theologia veterum Gallorum,* in qua multa de Druidis erudite diſceptantur, multa ſimul incerta proferuntur, v. c. de Druidum ortu, de Gallorum Diis, in quibus Autor fide *Annii Viterbienſis,* cui volupe fuit, aliis fucum facere, nititur, de partu virginis deiparæ, vel ex carminibus Sibyllinis, vel extraordinaria quadam revelatione, Druidis cognito, & quæ his ſunt ſimilia. *Secundus* locus datur *Cæſaris Egaſſii Bulæi Hiſtoriæ veterum Academiarum Galliæ Druidicarum, Tomo I Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* præmiſſæ, in qua de Druidarum nominibus, origine, & numero, illorum Academiis & doctrina, religione & ſacrificiis, legislatione denique & privilegiis eorundem, agitur. *Tertio* exhibentur quædam ex *Ægidii Bucherii Belgio Romano* (edit. *Leod. A. 1655, fol.*) *Lib. V Cap. 3.* Differitur de veterum Belgarum Gallorumque ſacerdotibus & ſacrificulis, horum ſacrificiis humanis, denique quæritur, an a *Tiberio Claudio*que Imperatoribus ſublata; unde Druidæ nomen tulerint. *Quarto* ſiſtitur *Excerptum ex Pauli Merulæ Coſmographia P. II Lib. III Cap. 11 pag. 310 edit. Amſtelod. A. 1621.* *Quinto* ſequitur *Jo. Petri Milleri de Druidum nomine conjectatio, ex Epiſtola familiari ad B. Jo. Georg. Frickium excerpta.* *Sexto* leguntur *Excerpta ex Martini Hamconii Friſia, ſeu de viris rebusque Friſiæ illuſtribus,* (*edit. Monaſt. Weſtphalor. A. 1609, 4.*) *annotatiunculis illuſtrata* per *Jo. Georg. Frickium. Lib. II Lit. P.* & *Q.* recenſentur Pontifices Friſiorum ethnici, ſeu præfecti Druidum. Coronidem imponit *Catalogus Scriptorum de Druidis, & rebus, ad antiquitates illorum pertinentibus, maximam* 88-138. 140-165. 165-184. 185, 186. 186, 187. 187-192.

ximam partem collectus a B. Jo. Georg. Frickio, quem in ordinem digessit, & passim locupletavit, frater, Alb. Frickius. In illo nominantur scriptores, tum antiquiores, tum recentiores, qui vel res, ad Druidas spectantes, in scriptis suis attigerunt, vel de illis dedita opera sunt commentati.

AUGUSTA NUMISMATA, FIDE NUMORUM, Sigillorum, Historicorum, Chronologorum, Criticorumque, sic recusa, ut sua cujusque Romani Imperatoris facies accurate exprimatur, & vita breviter narretur.

Misenæ, ex officina Lœwiana, 1744, 8.

Plag. 15½, Tabb. æn. 89.

Clarissimus hujus libri Editor, *Jo. Gottfr. Hærius*, provincialis ad Albim Gymnasii longe meritissimus Conrector, pergratum facit non eruditis minus, quam studiosæ juventuti, hanc Numorum collectionem publici juris faciendo. Falluntur utique, ut ipse præclare monet in Dedicatione, vulgatissima historiarum compendia, quæ limosos in lacus ingurgitare se, quam a puris fontibus haurire, malunt. Fallit itidem magnus sæpenumero liber, qui, dum veteres Autores frivole insectatur, magnas agit nugas, &, conflictis eventorum causis, robur inani sagina mentitur. Contra vero non dubium est, reconditæ doctrinæ & majoris certitudinis thesaurum esse numos, sine quibus multi scriptorum loci, multæ rerum hominumque imagines, multa temporum puncta, lente disputantur. Attamen & hi veteratoriis ingeniis fuere subjecti, quorum fraudes sedulo detexit *Marquardus Gudius.* Inde usus sigillorum adjungi debet, quæ tabulis olim affigi solita sunt, donec *Ludovicus Crassus* appendere cœpit, ad quæ magnificentissime adhibitum est inde a *Caroli M.* temporibus aurum, ætate *Leonis Isauri* cinnabaris, cera plerumque encausta, purpureisque literis superba. Nihilo minus & hic falsarii, lucri studio ducti, XI præsertim ac XII Seculo, posterorum ignorantiam circumvenerunt; cujus falsitatis exempla *Jo. Mich. Heineccius* collegit. Excogitavit quidem artis publica-

publicarum hujusmodi literarum regulas *Mabillonius*, multum in tabulariis publicis versatus, sed eas admodum incertas, judice tam severiore *Bartholomæo Germonio*, quam æquiore *Jo. Guil. Hoffmanno*. Hinc neque omittendi sunt Historici, tum æquales, tum ex recentioribus accuratissimi illi, *Norisius*, *Pagius*, *Dodvellus*, *Scaliger*, *Petavius*. Qui postremi duumviri tam exquisite calculos posuerunt, ut consensione utriusque sublata dubitatio, in dissensu potior esse ratio *Petaviana*, videretur. Tandem consulantur oportet Critici, qui ad circumspecte tractandum Historiæ studium plurimum solent conferre. Istis fundamentis nititur, qui coram est, libellus, quemque anno Seculi nostri decimo quinto Gothanus cudendorum numorum artifex, *Christianus Wermuthus*, publici primum fecit juris. Is Autor operis dici potest, partim quod Imperatorum imagines in argento & stanno semunciæ pondere expressit, partim quod historiæ reconcinnandæ clarissimis quibusdam viris suasor exstitit. Ipse fuit conatus, ultra viginti annos, singulas similitudines, quam accuratissime fieri potuit, exprimere. Adjutores vero consiliorum nihil intermiserunt, quo stabilis esset ac firma operis fides, ut delectus gravium argumentorum fieret, ut tempus definiretur certius, ut grata denique brevitas, non ad legendum summarium, sed ad lectitandum, invitaret. Levavit istos labores aulæ Gothanæ felicitas, quæ Bibliothecam utique habet præstantissimam, & Museum numismatum penitus exquisitum. Non imminuit decus in principio facta mentio quatuor imperiorum. Quamvis enim receptam sententiam, pronus ad Judæorum hæreses, *Jo. Bodinus* impugnarit, neque pauci illum sequantur; communem tamen doctrinam, autoritate nixam *Danielis*, ab ejus impetu *Dresserus*, *Frankenbergerus*, *Pappus*, *Jo. Guil. Janus*, cumque his Editor noster, defendit. Multo minus delenda sunt, quæ vocantur, symbola, nervose plerumque subinde & præcise dicta, vel ab ipsis Imperatoribus, vel ab enarratoribus vitarum, vel ab aliis saltem antiquis. Illa quidem ἀποφθέγματα *Nic. Reusnerus* & *Matthias Borbonius* pro virili excusserunt jam ante, *Enoch* autem *Suantenius*, Lubecensis, discipulis argumentum exercendæ publice eloquentiæ suppeditavit.

Sed

Sed opuſculum, ne extra oleas vagemur, *Wermuthi* cum non niſi paucis amicorum manibus tereretur; ſummorum virorum perſuaſionibus ductus, de nova editione cogitavit Conſ. *Jo. Frid. Fleuterus*. Emendatorem & curatorem vero illius operæ adhibuit Cl. *Hærium*. Nos denique nihil nobis ſupereſſe videmus, quam ut ſpecimen ejusmodi deſcriptionum addamus. Præbeat igitur illud, cujus mors Germanis tot cauſas luctus attulit, *Carolus VI*:

A. *CCXV.*
Caput laureatum.
C. Carolus VI *Romani imperii*
Semper Auguſtus, Hiſpaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Rex.
B. *Natus d. 1 Octobris 1685.*
Patre Leopoldo, *Imperatore,*
Matre Eleonora Magdalena Thereſia, *Palatina.*
Regnum Hiſpaniæ,
Quod ab A. 1703 ad 1710 tenuerat,
Philippo V, *Duci Andegavenſi,*
d. 30 April. 1725 conceſſit
Coronatus
Imperator Romanus d. 22 Dec. 1711
Rex Hungariæ d. 22 Maji 1712
Bohemiæ d. 5 Sept. 1723
Connubio
Eliſabethæ Chriſtianæ,
Guelpherbytanæ Duci,
d. 1 Auguſt. 1708 junctus eſt.
Tam armis
Barcinone, Tameſvari, Petrovarandini, & Belgradi, uſus,
quam pace
Raſtadenſi 1714 & Paſſarovicenſi 1718
inclutus
Obiit d. 20 Octobris 1740,
Imperavit annos 28 menſ. 10
E. *Conſtantia & Fortitudine.*

Studio totum illud penſum adjunximus, ne notas quidem, literis deſignatas, omittentes, ut ratio totius inſtituti tanto magis innoteſcat. Indicant vero inter notas *A.* antica numi in parte capitis ornatum, *C.* capiti adſcripta nomina honorum, *B.* breviter in poſtica narratam vitam, *E.* extrinſecus aſſumtum in Numiſma ſymbolum.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLV.

Pars II.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SACRES & Eccleſiaſtiques, &c.

hoc eſt,

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SACRORUM & eccleſiaſticorum, continens eorum vitas, catalogum, examen criticum, judicium, chronologiam, analyſin & recenſionem variarum editionum, operum eorundem, &c. Autore R. P. REMIGIO CEILLIERIO, Benedictino.

Tomus X.

Pariſiis, apud Paulum du Mesnil, 1742, 4 maj.

Alph. 4 plag. 3.

Præſens *Volumen* utiliſſimi doctiſſimique Operis adhuc decurrit in enarrandis Scriptoribus eccleſiaſticis, qui Seculum IV doctrina & ſcriptis illuſtrarunt, & haud exiguam partem Seculi V vivendo ſunt emenſi. Abſolvitur *Capitibus XXV. Caput I* eſt de *Ruffino*, Aquilejenſi. *Articulus I* enarrat vitam ipſius. Non is Aquilejæ, ſed Concordiæ, oppido Italiæ, circa A. 346 in lucem eſt editus. Innutritus licet doctrinis Chriſtianæ religionis, Baptiſmum tamen pro more illius ævi in ſerius tempus anni 371 rejecit. Deſiderio *Hieronymi*, quocum arctiſſimam amicitiam conſtituerat, propius videndi, iter in Orientem eſt

molitus, ac in Ægypto per aliquod tempus apud monachos hæſit, multa ab Arianis perpeſſus, tandem in locum aliquem deſertum Palæſtinæ eſt relegatus, ſed liberatus à *Melania*, cum illa A. 377 Hieroſolymam contendit, ibique in monte oliveti monaſterium aliquod condidit, ad quod plures undique confluxerunt, quorum vitam ſecundum regulam *Baſilii* eſt moderatus. Ibi *Hieronymus* ipſum inviſerat, ac amicitiam uterque renovaverant, ſed poſt animis ſunt ſejuncti, ſeque mutuis ſcriptis laceſſiverunt. A. 397 iter Romam verſus ſuſcipiebat, inde Aquilejam rediit, mortuus in Sicilia A. 410. *Articulo II* de *ſcriptis* ipſius, hujusque §. *1* de ipſius *converſionibus Latinis*, agitur. Huc ſpectant *Homiliæ Origenis in Geneſin*, quas Latine loquentes fecit, hac uſus libertate, ut, quæ deeſſe videbantur, adjècerit; *VII Libri Belli Judaici*, a *Joſepho* conſignati, quam verſionem tamen alii tribuunt *Hieronymo*, ſed *Mabillonius Itin. Ital. pag. 12* notat, ſe in Bibliotheca *Ambroſiana* Mediolanenſi Codicem aliquem MStum, non longe a morte *Ruffini* exaratum, inveniſſe, qui nomen illius prætulerit; *Recognitiones* porro *Clementis*, *Apologeticum S. Pamphili* in gratiam *Origenis*, *Origenis* libri *de Principiis*, *Sermones* aliquot *Gregorii Nazianzeni*, *Regulæ Baſilii*, vel potius illarum aliquot compendium. Inde §. *3* de *Hiſtoria eccleſiaſtica* differitur. *Euſebium* ſcilicet in linguam Latinam convertit, eundemque inde ab anno 20 *Conſtantini* uſque ad mortem *Theodoſii Magni*, A. 395, continuavit. Agitur porro §. *4* de *Vitis Patrum*, in quibus ipſi *Petronius* auxiliatrices manus præbuiſſe videtur; §. *5* de *Explicationibus benedictionis filiorum Jacobi*, quas circa A. 409 foras dediſſe cenſetur; §. *6* de *Commentariis in Prophetas Hoſeam*, *Joel*, *Amos*, *& Pſalmos*, quos tamen ipſius non eſſe, ex diverſitate ſtili, ac rebus, in illis occurrentibus, oſtenditur. *Articulus IV* declarat doctrinam ejus de rebus, ad fidem ſpectantibus. De cetero fuit ex doctiſſimis ſeculi ſui hominibus, ſcientia rerum & humanarum & divinarum inſtructiſſimus, qui a plurimis oraculi inſtar de graviſſimis argumentis conſultus eſt. Eloquentia non fuit deſtitutus; ſtilus ejus, licet ſit ſuccinctus, elegantia tamen non caret. In factis recenſendis non ſemper uſus eſt probæ notæ monumentis, multorum

Digitized by Google

rum præterea indignationem incurrit, quod haud pauca loca ex *Euſebio* extruſit, in eorundemque vicem alia intruſit. *Caput II* de *Palladio*, Epiſcopo Hellenopolitano in Bithynia, & Confeſſore, exponit. In vitam hanc ingreſſus eſt ille circa A. 367, monachorum ordini ſe adſcribi paſſus A. 386, Epiſcopus Helenopoli factus circa A. 400, &, quoniam a partibus *Chryſoſtomi* ſtabat, ab ipſius adverſariis multa perpeſſus, ac munere ſuo exutus, poſt Epiſcopus Aſponæ deſignatus, quod in annum 417 incidiſſe videtur. A. 431 in vivis eſſe deſiiſſe eum, a vero alienum non eſt. Scripſit *Hiſtoriam Lauſiacam*, a *Lauſo*, præfecto ærarii *Theodoſii* junioris, nuncupatam, cui illam inſcripſit. Eſt hic ab illo, qui vitam *Chryſoſtomi* conſignavit, diſtinctus, quod non uno argumento Autor probatum dedit. *Caput III* de *Chromatio*, Epiſcopo Aquilejenſi, & Confeſſore, agit, quem viris doctrina & ſanctitate illuſtribus accenſent *Hieronymus* & *Ruffinus*. Presbyter Aquilejenſis eſt factus circa A. 381, Epiſcopus ſub finem anni 388, mortuus circa A. 407, ex aliorum opinione A. 414. Scripta ejus in Bibliotheca Patrum habentur. *Capite IV* de *Joanne*, Epiſcopo Hieroſolymitano, diſſeritur. Juvenis cucullam induit. Ab Arianiſmi labe ipſum haud immunem fuiſſe, ſcribit *Hieronymus*, quocum, quamdiu Hieroſolymis verſabatur, amicitiam coluit, poſt litibus cum ipſo implicitus. Epiſcopus Hieroſolymitanus eſt creatus A. 386, diem ſupremum obiit A. 417 d. 10 Jun. *Caput V* res perſequitur *Pammachii*, ſenatoris Romani, vitæ ſanctitate inſignis, literis, ad *Hieronymum* datis, clari, rebus humanis exemti A. 410. *Caput VI* de *Innocentio*, Papa, exponit. Sedi Romanæ is admotus eſt A. 402, vitæ finem fecit A. 417 d. 12 Mart. Ex Epiſtolis ejus potiſſima hic momenta excerpuntur. *Caput VII* de Papa *Zoſimo* commemorat. Fuit ſucceſſor *Innocentii*, non *Bonifacii*, quod *Theodoretus* vult. Græcus fuit gente, electus A. 417 d. 18 Mart. *Caput VIII* dicatum eſt *Hieronymo*, Presbytero & doctori eccleſiæ. Stridonienſis fuit ortu, natus circa A. 331. Romæ in literis elegantioribus præceptorem eſt nactus *Donatum*, *Ciceronе* & *Plauto* impenſe delectatus. Romæ ſacro baptiſmatis fonte eſt ablutus, ſedente *Liberio*. Poſt itineri ſe dedit, & longe maximam vitæ ſuæ partem in Palæ-

ſtina exegit. Vivis ſenex admodum eſt exemtus A. 420 d. 30 Sept. ipſiusque corpus prope monaſterium Bethlehemi eſt humatum. *Art. II-VI* differit de ipſius ſcriptis, ex iisdemque notatu digniora depromit. *Art. VIII* ſententiam ejus de graviſſimis religionis Chriſtianæ dogmatibus explanat. *Art. IX* exhibet judicia, de ſcriptis *Hieronymi* lata, recenſens pariter diverſas Operum ipſius editiones. Præſtantiſſimam omnium habet illam, quam debemus induſtriæ *Jo. Martianæi*, famulitii Benedictini ſodalis, qui ſcripta *Hieronymi* cum pluribus Codicibus MStis contulit, libris etiam, adhuc neglectis, meliorem vultum induit. Luci eſt data Pariſiis ab A. 1693 ad 1706 *quinque Vol.* Secuta eſt *Veronenſis*, impreſſa A. 1738 ſtudio *Vallarſii* & *Maffæi*, correcta tum ex ingenio, tum ad fidem Codicum MStorum, ſed emendationes, judice *Ceillierio*, maxima ex parte meris nituntur conjecturis, quarum multæ ſint aperte falſæ. Textus multis mendis typographicis ſcatet, multa denique inutilia in illa continentur. *Capite IX* de quibusdam ſcriptoribus Syriacis differitur. Ex his, & quidem diſcipulis *Ephremi*, nominat Autor *Iſaacum* quendam, non confundendum cum *Iſaaco*, Presbytero Antiocheno. Illi *Aſſemannus* tribuit librum *de fide ſanctæ Trinitatis, & incarnatione Domini*. *Balæus* eadem fere ætate, qua *Ephrem*, in flore fuit. *Zenobius Gaziræus*, ab inſula Gazira, in qua natus, appellatus, Diaconus fuit Edeſſenus. *Abſamius*, nepos *Ephremi* ex ſorore, Presbyter eccleſiæ Edeſſenæ, celebris fuit circa A. 400. *Gregorius*, Abbas monaſterii cujusdam in Palæſtina, clarus fuit ſub finem Seculi IV, quem plurimi fecit *Epiphanius*. Palæſtina relicta, in Cyprum demigravit, ac monaſterio cuidam eſt præfectus. *Marabas*, Epiſcopus Tagritanus in Meſopotamia, doctrina & miraculis inclutus habetur. *Caput X* de *Bonifacio* Papa & Confeſſore memorat. In locum *Zoſimi* d. 29 Dec. A. 418 eſt electus, mortuus ſub finem A. 422. *Cap. XI* de *Attico*, Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, agit. Hic, Sebaſte in Arabia oriundus, a pueritia inſtitutis monaſticis fuit adſtrictus, primum implicitus erroribus *Macedonii*, quos tamen poſtea miſſos fecit. *Chryſoſtomo* male cupiit, imo ſunt, qui affirmant, ipſum ſe ducem præbuiſſe illis, qui conſpirationem contra illum iniverant. Epiſcopus Conſtan-

Conſtantinopolitanus eſt conſtitutus A. 406, qua de re graves motus in urbe ſunt excitati. Deceſſit A. 425 d. 10 Octobr. *Cap. XII* de *Theodoro Mopſueſtano* memorat. Antiochiæ, uti creditur, parentibus nobilibus & locupletibus procreatus, liberales artes & Philoſophiam, præceptore *Libanio*, una cum *Chryſoſtomo*, ſtudiorum ſocio, ſedulo tractavit. Circa A. 383 Presbyter Antiochiæ, & A. 392 Epiſcopus Mopſueſtæ, eſt creatus. Profligandis erroribus in Oriente intentus fuit maxime, poſt ipſe multorum errorum circa perſonam Chriſti & labem originariam eſt poſtulatus, mortuus A. 428. *Cap. XIII* res explicat *Syneſii*, Ptolemaidis in Libya Epiſcopi. Cyrenen, metropolin Libyæ, patriam agnovit. Eloquentiæ & Philoſophiæ laude adeo floruit, ut multorum invidiam ſibi conflaverit. Epiſcopi dignitas in ipſum eſt collata A. 410. Mors ejus A. 430 contigiſſe videtur. Scriptis, quæ ætatem tulerunt, pluribus, aliis deperditis, nobilis habetur. *Caput XIV* dicatum eſt *Gaudentio*, Epiſcopo Brixienſi. Multa ſunt, quæ nobis perſuadent, ipſum Brixiæ natum fuiſſe, quem cives, cum in Oriente verſaretur, inſcium licet & invitum concordibus ſuffragiis ſacrorum antiſtitem dixerunt. De anno ejus emortuali nihil certi definiri poteſt, videtur tamen adhuc A. 410 in vivis fuiſſe. *Cap. XV* de *Panodoro* & *Anniano*, monachis Ægyptiis, exponit, quorum uterque ſcriptis nonnullis chronologicis & hiſtoricis celebritatem eſt nactus. *Cap. XVI* de *Bachiario* docet. Fuit Britannus natione, Philoſophus & Mathematicus inſignis, quem nonnulli Epiſcopum faciunt, ſed absque ſolida ratione. *Caput XVII Paulino*, Senatori & Conſuli Romano, poſt Epiſcopo Nolano, inſcriptum eſt. Burdigalæ illuſtri gente fuit prognatus, juvenis præceptorem habuit *Auſonium*, ſub ejusque auſpiciis profecit plurimum. Ad conſularem apicem florente ætate adſcendit, ſed poſt ſe totum ſtudiis ſacris dedit, ac vitæ monaſticæ jugum ſubiit. A. 393 Eccleſiæ Barcinonenſis Presbyter eſt electus, ſed ſequente anno munere ſe ſuo abdicavit, ac, relicta Hiſpania, in Italiam demigravit, Epiſcopus Nolanus deſignatus A. 409, fato functus A. 431. *Art. II IV* agit Autor de ipſius Epiſtolis, Carminibus, itemque ſcriptis perditis ac ſuppoſititiis. *Art. VI* exhibentur judicia de ſcriptis *Paulini*, a præſtantiſſimis quibus-

que viris pronuntiata. *Cap. XVIII Sedulium*, Presbyterum & Poetam Christianum, commemorat. Juvenis operæ multum navavit literis, quæ ab humanitate nomen sunt sortitæ, post se totum ad sacrarum literarum studium transtulit, factus Presbyter, quem nonnulli titulo Episcopi insigniunt. *Cap. XIX* res *Sulpicii Severi* tradit. Ortum traxit ex Aquitania, familia illustri editus, qui præterea per conjugem ingentes acquisiverat opes, quas postea ecclesiæ ita legavit, ut annuos sibi reditus tantum servaret. *Martini Turonensis* sanctitatem adeo demirabatur, ut se ipsi totum regendum committeret, Presbyter nominatus circa A. 413. *Historia ecclesiastica*, *Vita Martini*, ac diversis *Epistolis*, nomen suum ad posteritatem transmisit. *Cap. XX* prosequitur Concilia, hoc Seculo celebrata: *Hipponense* A. 393, *Adrumetinum* A. 394. *Art. II* differit de *Constantinopolitano*, pariter A. 394 instituto; *Art. III* de *Carthaginiensibus*, A. 397 & 398 convocatis. *Cap. XXII* de *Alexandrino*, *Cyprio*, & *Constantinopolitano*, agit, quorum illud A. 399, vel, quod aliis placet, A. 401, in causa *Origenis*, istud A. 399 pariter propter *Origenem*, hoc eodem anno, & eadem de causa, est coactum. *Cap. XXIII* de *Taurinensi* & *Toletano* differit. Tempus, quo prius habitum, non omnino constat, posterius celebratum A. 400, in quo de erroribus *Priscillianistarum*, & disciplinæ ecclesiasticæ instauratione, est actum. *Cap. XXIV Constantinopolitanum* & *Ephesinum* persequitur. Prius convocatum A. 400, in quo *Eusebius*, Valentinopolitanus Episcopus, *Antoninum*, Præsulem Ephesinum, graviorum criminum accusavit, posterius A. 401. Ultimum est *Caput XXV* de *Conciliabulo*, in suburbio *Chalcedonis*, cui nomen a *quercu* erat, coacto A. 403, in quo artibus *Theophili Alexandrini Joannes Chrysostomus* condemnatus, ac munere suo est exutus. Index præcipuarum rerum huic etiam, ut prioribus, *Volumini* subjungitur.

F. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI, ORDInis Prædicatorum, sacræ Indicis Congregationi a Secretis, de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas, & earum Canones, potestate liber. Accedit Dissertatio, qua Ecclesiasticæ Monarchiæ forma explicatur.

Partes II.

Partes II.

Romæ, typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, 1740, 4. P. I Alph. 2 plag. 4, P. II Alph. 2 plag. 2.

Habes hic, Lector, Operis continuationem, quod S. Rev. Autor *J. B. Boſſueto*, Epiſcopo Meldenſi, opponere, ex uſu Eccleſiæ Romanæ exiſtimavit. De Romani Pontificis autoritate in utraque hac *Parte* commentari pergit. Exhibet in hoc Opere *Libros V, VI, & VII*, quibus ea, quæ Meldenſis Epiſcopus *Libro nono* ac *decimo* de Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi, ac de Conciliorum Oecumenicorum poteſtate, ad *Caput ſecundum* Gallicanæ Declarationis expoſuit, ſtatuit examinare & refellere. Opus conſecravit Pontifici Maximo *Benedicto XIV*, ejusque laudes illuſtriſſimas nitide concelebravit, & ſummam ſimul Voluminis indicavit, quam in Præfatione copioſius ediſſeruit ac explanavit. Prædicat merito ampliſſima Præſulis ſummi in literas ac literatos merita ac patrocinia, hiſce potiſſimum uſus verbis: *Quotusquisque eſt hominum eruditorum, qui cum Te aut privatum, aut Præſulem, aut Cardinalem, cognorit, non ſtatim ſenſerit, nihil Tibi aut potius, aut ſanctius, eſſe, quam eos & colere, & venerari, & maximis beneficiis augere, qui in literis multum operæ ſtudiique conſumſerint?* De argumento Operis ſic habe. Anquirunt Galli, an tanta ſit Romani Pontificis, tamque conſtans, in dijudicandis fidei rebus autoritas, ut ipſe nunquam deficere poſſit a veritate; an idem Pontifex poteſtati generalium Conciliorum obnoxius ſit; an eorum legibus ipſe queat conſtringi atque obligari. Galli negando reſpondent ad quæſtionem primam, & ajentem de duabus reliquis quæſtionibus ſententiam propugnant, appellantes potiſſimum Synodum Conſtantienſem, ut opinionis ſuæ præſidium effulgeat & munimentum. Itali e contrario in omnia eunt alia. Noſter de illis ita: *Sed quid ego de hac hominum impiorum colluvie loquor, qui a* Janſenio *ſtare non dubitant? Boſſuetus* ſuccincte: *Nullus hominum, ſtante quidem Conſtantienſi Concilio, eſt in fide falli neſcius. Atqui demonſtravimus, Conſtantienſe Concilium, nullo unquam Eccleſiæ Decreto labefactatum, immo tanta Sedis Apoſtolicæ, tanta Eccleſiæ univerſæ, veneratione ſuſceptum, invicta*

victa autoritate ſtare debere. Ergo certa & invicta autoritate conſtat, unius Eccleſiæ ſive collectæ, ſive diſperſæ, ſed tamen conſentientis, ſententiam eſſe infallibilem. Quid Noſter ad hæc? Admonet ipſe, plerosque & ex Italia, & ex aliis Romano-Catholici orbis partibus, Theologos jam inde a multo tempore diligentem navaſſe operam, ut, quænam eſſet Synodi Conſtantienſis, quantum ad priores Seſſiones attinet, autoritas, quæ vis & qui ſenſus Decretorum, inquirerent, ac in lumine collocare tentarent. Eos, qui ante *Schelſtratenum* floruerunt, meris conjectationibus indulſiſſe, arbitratur, quippe quibus haud alia Synodi acta fuerint ad manus, ac ea, quæ Baſileenſes in compendium, ſeu epitomen, fraude mala contraxiſſent. Addit hoc porro: *Ei, qui Baſileenſi Conciliabulo interfuerunt, amplam fuſamque Actorum Conſtantienſium Collectionem publicæ luci invidentes, ea tantummodo vulgari curarunt, quæ aut ab eorum rationibus haud omnino aliena, aut etiam ſibi aliquo eſſe poſſe præſidio, putaverunt. Sed* Emmanuel Schelſtratus, *vir ſumma fide atque integritate, non ſine numine ac ſingulari providentia, feliciore ſucceſſu in hoc genere argumenti verſatus eſt. Ille, qua erat aſſiduitate ac diligentia, e Vaticanis Codicibus anecdota quædam in lucem protulit, quibus tum omnis Conſtantienſium Decretorum vis everſa atque labefactata eſt, cum eam vel maxime aſſertam & confirmatam ſolenni illa ſua Declaratione Gallicani Epiſcopi voluerunt. Ita factum, ut, quotquot deinceps ſecundam Declarationis Propoſitionem defendere libris editis ſtuduerunt, in id potiſſimum incubuerint, ut Vaticanis Actis fidem omnem atque autoritatem adimerent. Nam, ut* Ludovicum Maimburgium, *Ill.* Boſſuetium, Natalem Alexandrum, *aliosque multos, prætream, quorum in hoc genere argumenti verſata induſtria eſt,* Antonius Arnaldus, *vir acri ferocique ingenio, cum æquo animo ferre non poſſet, ut, quæ minus ipſe probabat, Vaticanorum Codicum autoritate confirmarentur, ad perſcribendam Diſſertationem eam adjecit animum, quæ poſt illius obitum lucem adſpexit, quaque* Schelſtratum *modo contortis argumentationibus, modo atrociſſimis contumeliis, exagitavit. Arnaldus* enim fuit Autor libri illius anonymi, qui A. 1711

in

in lucem editus fuit hoc titulo: *Eclairciſſemens ſur l' autorité des Conciles generaux & des Papes, ou Explication du vrai ſens de trois decrets des Seſſions IV & V du Concile general de Conſtance* &c. *contre la Diſſertation de Mr.* de Schelſtrate - - . Certe *Jacobo Lenfant* ſtatim ſuboluit, *Arnaldum* ſcripti hujus fuiſſe autorem. Vide ejus Præfationem ad Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis *n. XVI.* Cum Rever. *Orſius* Diſſertationem *Arnaldi* per otium legeret, eam tanta vi, tantoque orationis artificio, elaboratam animadvertit, ut animus, initio perculſus, vix reperiret, quæ ſibi eſſet ad ſolide vindicandum ab invidia *Schelſtratum* via munienda. Poſtea autem omnes partes atque ſingula membra conſideravit, rationesque ſtudioſius expendit. Quo facto credidit, eloquentiam, a veritate deſertam, plurimum obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam. Licet vero ipſe ſe *Boſſueto* uni refellendo dedidiſſet, ſtatuit tamen inter hæc, ea quoque *Arnaldi* argumenta diſſolvere, quibus magnum quoddam robur ineſſe, incauti lectores, quæ ipſius ſunt verba, ſuſpicari facile potuiſſent. Illud autem ſibi maxime lætandum exiſtimat, quod *Hermannus von der Hardt*, in conſulendis veteribus monumentis diligens inprimis & accuratus, Acta Conſtantienſia poſt perluſtratos MStos Codices, qui in pluteis Germaniæ Bibliothecarum deliteſcebant, haud exiguo Reip. literariæ bono commodoque vulgaverit. Nam, cum ejus ampliſſimam collectionem Autor ſedulo datoque opera pervolviſſet, & cum Vaticanis illis Fragmentis, a *Schelſtrato* editis, contuliſſet, comperit ipſe, ita omnia inter ſe cohærere atque congruere, ut nihil poſſit videri atque excogitari ſimilius. Quocirca non amplius miratus fuit, quod *Hermannus von der Hardt* ipſe tum Romani Theologi ſtudia vehementer probavit, tum, ſua intereſſe, putavit, Anecdota illa Vaticana ſibi adoptare, atque in Collectionem ſuam recipere, tum iis etiam inſiſtere, ubi ex recens editis monumentis hiſtoriam rerum, in Concilio Conſtantienſi geſtarum, contexit. Nec meliora monumenta, quam quæ *Emanuel Schelſtratus* e Vaticanis, & *Hermannus von der Hardt* e Codicibus Germaniæ, edidit, nanciſci potuit *Jacobus Lenfantius*, qui novam Synodi Conſtantienſis

ſtantienſis hiſtoriam molitus fuit. Hæc monumenta, Autor, ſibi magno uſui fuiſſe, fatetur ingenue, & ea paſſim integra in ſuam hanc lucubrationem transtulit. Id vero *Lenfantio* vertit vitio, quod hic acta illa Vaticana dimiſit intacta, & nihilo minus poſt exactam ſuam hiſtoriam ad Vaticanos & Germanicos Codices, in *Antonii Arnaldi* Diſſertationem bono quodam fato ſe incidiſſe commemoravit, & huic in exitu operis pollicem preſſit. Ex eo accidit, ut *Lenfantio* tribuerit *hæretici hominis ingenium ſubdolum, inconſtans, & varium.* Et quid multa? Noſter in eo eſt, ut fidem & autoritatem decretis Conſtantienſibus adimat, Acta Vaticana vindicet, & oſtendat, *Joannem XXIII*, licet dubium Pontificem, indigne tuliſſe, ac vehementer reluctatum eſſe, quod ejusmodi decreta, quæ Romanæ Eccleſiæ alicui poſſent eſſe incommodo, fuerint ſancita. Addit, purpuratos quoque Patres, qui, diſcedente *Joanne*, Conſtantiæ ſubſtiterant, aut eo fuerant reverſi, decretorum illorum promulgationi omni ope ſummoque ſtudio & conatu interceſſiſſe. Ex Fragmentis *Schelſtratianis*, ac aliis ſcriptoribus, ſuppari ætate conſpicuis, conſtare pronuntiat, *Franciſcum* Cardinalem *Zabarellam*, Epiſcopum Florentinum, totius utique ſacri ſenatus conſilio, cum Nationum decreta Seſſione 4 promulgaret, verba illa Articuli ſecundi: *ad reformationem in capite & in membris*, ſilentio præteriiſſe; ac Seſſione 5 lectum quidem eundem Articulum, iis etiam additis verbis, fuiſſe, ſed rurſus, obſiſtentibus & intercedentibus iisdem Eminentiſſimis Patribus, indigne quippe ferentibus, rem tantam ſine matura deliberatione, non adhibito ſolenni & canonico examine, ac deſpecto Romanæ Eccleſiæ ſenatu, a ſolis quatuor Nationibus, unius *Gerſonis* tumultuaria oratione inflammatis, præter aliorum Conciliorum morem, temere definiri. Addit, eapropter neque *Martini V*, Acta Conſtantienſis Synodi Apoſtolica autoritate confirmantis, judicio Decreta illarum Seſſionum convaluiſſe, cum ſuffragium Pontificiæ confirmationis ad ea ſolum *Martinus* adhibuerit, quæ *conciliariter* geſta fuiſſent ac ſancita; *cujusmodi profecto multis de cauſis haberi non poterant, quæ in duabus illis Seſſionibus decreta fuerant. Quare, quicquid horum attigerint Adverſarii,*

ulcus

Bribery, Extortion, Oppression, Misbehaviour, and Neglect of Duty, by Officers and Ministers of Justice, and all other Persons concerned in the Administration of Justice, and for the more effectual Punishment of the same, and for the Amendment of the Law in the Premises, and for the Ease of Sheriffs, and other Officers, in the Execution of Process of Law, and for the Relief of Bail, and for the Preservation of Records, and for the Regulation of Proceedings in Courts of Justice, and for the Prevention of Vexatious Arrests, and for the Payment of Debts out of the Personal Estates of Persons deceased, and for the Relief of Executors and Administrators, and for the Limitation of Actions and Suits relating to the Premises, and for the Indemnity of Justices of the Peace, Constables, and other Persons acting in the Execution of Process of Law, and for the Relief of Poor Prisoners, and for the Regulation of Prisons, and for the Punishment of Persons convicted of Perjury, and for the Prevention of Abuses by Juries, and for the Better Preservation of the Game, and for the Prevention of Offences against the Laws relating to the Game, and for the Regulation of Certain Proceedings in the Court of Chancery, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Transfer of Stock in the Public Funds, and for the Payment of Money into the Bank, and for the Regulation of Attornies and Solicitors, and for the Abolition of Serjeants Inns, and for the Regulation of Inns of Court and Inns of Chancery, and for the Regulation of Certain Offices and Officers, and for the Abolition of Certain Offices, and for the Regulation of Certain Fees, and for the Abolition of Certain Fees, and for the Abolition of Certain Oaths and Affidavits, and for the Regulation of Certain Oaths and Affidavits, and for the Regulation of Commissioners to take Bail and Affidavits, and for the Regulation of Notaries Public, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Common Pleas at Lancaster, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Common Pleas at Durham, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Pleas of the County Palatine of Chester, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in Wales, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Session in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Justiciary in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Admiralty in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Admiralty in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Chancery in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Common Pleas in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of King's Bench in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County Palatine of Tipperary, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Carmarthen, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Pembroke, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Cardigan, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Brecon, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Glamorgan, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Radnor, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Flint, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Denbigh, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Montgomery, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Merioneth, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Caernarvon, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Anglesey, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Carnarvon, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Merioneth, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Montgomery, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Denbigh, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Flint, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Radnor, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Glamorgan, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Brecon, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Cardigan, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Pembroke, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County of Carmarthen, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in the County Palatine of Tipperary, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of King's Bench in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Common Pleas in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Chancery in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Admiralty in Ireland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Admiralty in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Exchequer in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Justiciary in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Session in Scotland, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Great Sessions in Wales, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Pleas of the County Palatine of Chester, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Common Pleas at Durham, and for the Relief of Suitors of the said Court, and for the Regulation of Proceedings in the Court of Common Pleas at Lancaster

Latinorum & Græcorum Patrum ad tuendam Sedis Apoſtolicæ Monarchiam, ejusque potiſſima jura & inſigniores prærogativas, conſpiratio & unanimis conſenſus acceſſit. Hæc Autor. Ipſe ubique haud ſecus ac in ſubnexa Operi Diſſertatione evincere laborat, tantam eſſe, tamque eximiam, Romani Pontificis autoritatem, ut obnoxius non ſit Canonibus & inſtitutis Conciliorum, tametſi, Canonum cuſtodem ac defenſorem ſe eſſe, jure quodam ſuo glorietur. Perſuadere lectori idem contendit, tum demum ipſa Synodorum œcumenicarum dicta & definita in arcem ſummæ autoritatis invadere, cum Sedis Apoſtolicæ judicio, fallere & falli neſcio, ſolenniter confirmentur. Idem
Pag. 4. pronuntiat, Conſtantienſis Synodi decreta aut ipſa ex ſe merito
Romanis in hoc argumento ſuſpecta eſſe, aut ea ipſis ſuſpecta
22. per Baſileenſem Synodum Gallosque Theologos reddi. Contendit porro, hæc verba: *ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & membris*, a decreto primo Seſſionis quartæ
23. abeſſe debere. Certum eſt, hoc judice, ea verba in pluribus atque optimæ notæ & indubitatæ fidei MStis Codicibus non
33. legi. Addit, ante quartam Seſſionem magna tum generatim de Synodi œcumenicæ ſupra Romanum Pontificem poteſtate, tum ſpeciatim de illis verbis, inter Cardinales atque Nationes diſſenſionem ac diſceptationem exſtitiſſe, immo illa verba a Cardinale Florentino reapſe in publica Seſſione non fuiſſe lecta.
43. Inquirit ſedulo, an ea omiſerit conſentientibus, aut refragantibus, nationibus. *Schelſtrati*, ſimilia monentis, fidem *Boſſuetus*
56. notavit, Autor vero a ſuſpicione liberare contendit. De ſchismate, quod Synodum iſtam præceſſit, aliisque momentis, Autor tam diſerte exponit, ut Galli dubitaturi ſint, an dignior *Boſſueto* adverſarius obtingere potuiſſet.

INSTITUTION D'UN PRINCE, OU TRAITE' DES Qualitez, des Vertus, & des Devoirs d'un Souverain, &c. id eſt,

INSTITUTIO PRINCIPIS, SEU OPUS, QUO præcipiuntur requiſita, virtutes, & officia, Principis.

Tomi

Tomi IV.

Lugduni Batavorum, apud Joannem & Hermannum Verbeek, 1739, 12.

Alph. 4 plag. 4 ½.

Librum ſui generis pulcherrimum latere ſub hoc titulo, inficiari nobis non licet. Autoris nomen in fronte libri eſt omiſſum, ſed, id libro magis prodeſſe, quam ullum inferre detrimentum, putandum eſt. Editor præfixit Operi Præfationem, ac in ea hiſtoriam libri externam enarravit ſuccincte. Hinc intelleximus, Inſtitutiones haſce ex ingenio Abbatis *Dugueti* profectas eſſe. Inchoata fuit libri in formas publicas expreſſio A. 1733 in urbe Sabaudorum Annecio. Autor vero, qui tunc in vivis adhuc erat, interceſſit, quo minus deſtinata perficerentur. Occaſionem ſcripti fuiſſe hanc, accepimus. Dux Sabaudiæ, *Victor Amedeus*, Rex tandem Sardiniæ, inſtauraverat monaſterium in loco Tamiers, pridem exſtinctum & diſſipatum, haud procul Annecio ſitum. Abbatem *de la Trape* oravit, ut hic unum e religioſis Cœnobii ſui mitteret, qui Abbatis munere fungeretur. Miſit hic Duci P. *Arſenium de Paraſa*, fratrem Conſiliarii provincialium procerum Toluſenſis, Toloſæ natum. Dignatus fuit Dux novitium Abbatem gratia ſingulari ac fiducia non minori, ſæpiusque ipſum inviſit, exquirens rationes ſaluberrimas, quibus accommodaret educationem & inſtitutionem filii ſui natu maximi, regno Hiſpaniarum moderando tunc deſtinati. Abbas ille Tamerienſis norat dotes ingenii, quæ in *Dugueto*, amico, ſuo elucebant. Impulit itaque ille hunc, ut librum de requiſitis ac officiis Principis, ad majora tendentis, concinnaret. Noluit autem hic Duci eo nomine innoteſcere, nec alio pacto opus perficiendum ſuſcepit, quam ut *Arſenius* iſte, ſe nomini Autoris parciturum eſſe, ſibi polliceretur. Quid multa? Librum Abbas Duci, literis adjectis, obtulit. Hic eum probavit. Manuſcriptum poſthæc cœpit manibus complurium verſari, exiſtimantium, ineſſe inſtitutionibus hiſce veritates egregias, & præcepta, quæ Epiſcopalem faſtum reſecant & proſternunt. Simplicitas certe cogi-

tuendi ſuos, juſtitiam colendi, multosque reddendi fortunatos, ac mala compeſcendi, quibuscum mortales conflictantur. Ipſius eſt, cogitare, ſe aliis eſſe lucro & emolumento, non ſibi, nec cupiditatibus ſuis licentioſis, indulgere debere. *Capite quinto* oſtenditur, quale judicium de externo potentiæ ſuæ ſplendore ac magnitudine ferat neceſſe ſit, ne finem & uſum ejus perpendere omittat. Veneratio ipſi debetur a ſuis, & ipſe Pag. 51.
magnificentiam præbeat ſpectandam oportet. Ipſe enim Dei vices ſuſtinet, conſervat tranquillitatem & pacem, ac ſuos tuetur. Character ipſius eſt divinus, perſona autem nonnunquam 54.
regno ac imperio eſt indigna. Operam det Princeps, ut faſtigio tanto ſit dignus, ſiquidem perſonæ ſæpius genibus ejus accidunt virtutibus majores, quam ipſe. Efficiat ipſe meritis ſuis, ut, qui ipſum honorant, faciant & æſtiment etiam ſummi. Magnitudo ac magnificentia, niſi rationis uſu dirigantur, 56.
nocent magis, quam proſunt, ſuis. Miniſterio autem eccleſiaſtico Autor denegat ejusmodi ſplendorem, ſiquidem illud non imperet ſenſibus externis, ſed ſpiritualia, ſenſibus ſuperiora, tractet. Præcepta Autoris ſunt conciſe enuntiata, at ſimul clara & luculenta. En hoc: *Au milieu de la pompe & du faſte, le Prince doit s'affermir dans l'amour de la moderation & même de la ſimplicité; s'affliger en ſecret de ce qu'il ne lui eſt pas permis de rejetter un importun appareil, qui le ſuit par tout & qui le gêne; trouver l'état d'une perſonne privée plus heureux en cela que ſien, parce qu'il eſt moins expoſé à l'orgueil; porter, comme Eſther, avec une ſecrette confuſion tout ce qui ne ſert qu'à faire paroître la ſouveraine puiſſance plus redoutable & plus fiere, & retrancher de la magnificence tout ce qui n'eſt pas abſolument néceſſaire pour maintenir l'autorité.* Quantum interſit inter magnitudinis umbram effictam, & inter veram Principis magnitudinem, idem docet accurate. Laudat 63.
Alexandrum Severum, qui non multum inſignibus, aut ad apparatum regium, auri & ſerici deputabat, potiusque dicebat: *Imperium in virtute eſſe, non in decore. Capite ſexto* oſtendit, Principi proprium eſſe debere, homines noſſe & explorare. Quis enim eum gubernabit recte, quem haud novit? 65.

cujus

cujus neceſſitates & propenſiones ignorat? Quomodo autem Princeps merita virorum præſtantiſſimorum dignoſcet a fictis virtutum larvis? Hic ſeſe objicit Principi difficultas fere inextricabilis. Quomodo enim ipſe ſe ex hoc expediet labyrintho? Egregie Noſter: *Raro accidit, ut in aulis virtus reluceat*
Pag. 75. *pura & proprii commodi expers. Si Princeps non niſi aliorum narrationibus fidit, ipſe nunquam non erit pravus judex.* Recenſet Autor hinc nævos, a Principe, ne ſe fallat in dijudicandis hominibus, evitandos. Diffidentia & imprudentia cœca æque ſunt noxiæ. Luminis eſt, diſcernere tenebras, & virtus
78. eſt menſura judicii de virtutibus ac vitiis. Negat, homines ſingulos eſſe æquales reſpectu virtutum ac vitiorum. Judicii enim hujus mater eſt quietis ac otii inertis amor, nec non ex-
83. perientiæ male ſanæ oſtentatio. Tum vero exponit Noſter non ſolum reliqua cognitionis hominum, quæ Principem decet, impedimenta, ſed methodos varias, quibus ad illam cognitionem Principi pervenire licet, exponit. Subjungit fructus, qui ex illa cognitione profluunt, quorum principatum obtinet evi-
112. tatio adulationis ac adulatorum nota. Oſtendit deinde, qua ratione aſſentatores a probis & ſinceris hominibus queant ſecerni. Obſervationes, quas adjicit, duodecim ſunt ſummi pretii ac momenti. Docet porro Principem eas artes, quarum be-
144. neficio adulatorum peſtis vitatur. Amorem veritatis maximum, in Principe elucentem, eſſe adulationis ſecurum antidotum, tradit. Addit impedimenta, quæ Principes irretire
157. ſolent, quo minus ſincero veritatis amore ſint imbuti. Suadet Autor Principi, ut ſuſpiciat homines, qui veritatem ſerio ac citra fucum amant; eorumque notas percenſet. *Capite decimo quinto* monet, quam rari ſint viri, qui digni ſint, qui-
189. bus Princeps ſeſe & arcana ſua accredere valeat. Oſtendit tamen, eos dari; additque rationes, quibus illi poſſint deprehendi ac conſervari. Præcipit *Capite decimo ſexto*, ne Princeps ſit ad temere credendum velox, ac fontem, e quo cre-
211. dulitas ſummatum dimanat, recludit. Remedium optimum eſſe contra delatores arbitratur, ipſos exacte habere compertos, eosque ſucceſſu temporis opportune aliorſum transferre. *Capite*

pite decimo ſeptimo prudentiam conſultatoriam Principem perdocet, hujusque virtutis explanat requiſita. Monet *Capite de-* Pag. 231.
cimo octavo, Principis eſſe, neminem non magnitudinis ſuæ reddere participem, ideoque jubet ipſum ita liberalitati ac munificentiæ ſtudere, ut perpetuo poſſit huic virtuti litare. *Capite decimo nono* diſſerit de fortitudine, excelſitate animi, ac magnanimitate, quæ Principem & ornat, & decet. *Capite vi-* 290.
geſimo Principi ſuadet, ne fidem violet datam, neu jurejurando obſiſtat, quo ſeſe obſtrinxit. Principem cupit eſſe diſſimulationis prudentem, & abdita reticendi peritum, immo affectationis in moribus, ad auguſtam ſimplicitatem compoſitis, fugitantem. *Capite vigeſimo primo* eundem docet artes conciliandi ſibi amorem & venerationem. Jubet ipſum eſſe decori ſer- 321.
vantem, facilem, affabilem, & digne humanum, ſerenum, & perpetuo tranquillum. *Capite vigeſimo ſecundo* perſequitur ſcientias Principe dignas, earumque uſum. Requirit ab eo nobilem puramque elocutionis rationem, nec non exquiſitum omnium rerum guſtum atque ſenſum. Hæc *Tomi primi* eſt ſumma.

Tomo ſecundo præmiſit breviorem introductionem. Quo Tom. II.
facto, indicat modum ſecurum & ſuccinctum docendi Principem officia ſua, & inprimis amorem in eos, quibus relicta eſt gloria ipſi parendi. Exigit a Principe accuratam terra- Pag. 25.
rum ſuarum notitiam viamque, quæ ipſum ad eam perducit. Juſtitiæ adminiſtrandæ artem regulamque ei commendat quam copioſiſſime, ipſumque monet, ne quid committat, quo ju- 64.
ſtitia poſſit violari, ſiquidem rationem reddere debeat juris a judicibus ſuis dicti. Requirit a judicibus habilitatem, integritatem, juſtitiæ ardorem, firmitatem animi a turpi lucro alieni, boni publici & pauperum amorem, fidelitatem erga Prin- 93.
cipem, pietatem in Deum, vacuitatem ab ambitu, & vitam a fama ſiniſtra remotam. Docet Principem, quomodo judices ſint feliciter deligendi. Monet, munia haud eſſe emenda, Principisque eſſe, huic infamiæ obdere repagulum. Addit porro, Principum eſſe, tueri leges vetuſtas, ac novas caute promulgare. Jubet Principem regere ſuos ſapienter & ſecundum leges, ne autoritatem ſupremam cum arbitrio potentiæ confundat. Vir-

Pag. 208. tutes conſiliariorum & uſum exponit. Suadet Principi, ne favorem ſuum uni addicat, neve ſollicitationibus adminiſtrorum aures accommodet, nec fœminas in partem imperii adciſcat. Docet ipſum carere adminiſtro rerum publicarum ſtatusque
235. primario, ſiquidem vita Principis debeat eſſe feria, curisque & laboribus catenatis circumſepta. Tum vero condocefacit Principem officium & modum homines, ſibi ſubjectos, legitime reddendi divites ac omnium rerum copia affluentes. Exponit
289. de commerciis, artibusque manuariis. Suadet Principi, ut e terris ſuis proſcribat uſuras, pugnantes quippe cum legibus Dei, cum Principis emolumento, cum publica ſalute, cum agriculturæ & commerciorum felicitate. Redolent hæc Theologiam monaſticam. Idem edocet Principem feriem virtutum, quæ hominibus ſint inſpirandæ, ac ipſis colendæ, ut publicæ ſaluti ſit locus. In exemplo Principis maximum virtutis ſectandæ ſitum eſſe pondus, prædicat. Oſtendit perſpicue & evidenter, quantas virtus agat radices, ſi Princeps meritis ſtatuat honorem,
372. & crimina pœnis proſequatur; ſi Princeps ſcientias ac artes præſidio ſuo dignetur; ſi ignorantiæ minus faveat, & remedia inertiæ opponat. Ut Princeps populum, ſibi divinitus demandatum, tegere, ac ab inſultibus externi hoſtis defendere,
426. poſſit, ipſius eſt notitiam ac rationem redituum ſuorum habere, & modos colligendi tributa convenientiſſimos obſervare. Id cum tradidiſſet Autor luculentiſſime, Principem edocuit ſine mole tributorum ab integro impoſita ſuos tuendi modulos, ac
493. artem, imponendi eis nova. Tum vero de belli neceſſitate ac jure commentatur. Quid de gloria eorum, qui terris, ſuæ ditioni per bella acquiſitis, dederunt operam, ſit judicandum, ſignificat, docens, quomodo gentes, recens devictæ, ſint tractandæ. Nec omittit attingere illud temporis veſtigium, quo Principem exercitui adverſus hoſtes ducendo præeſſe oporteat, ei-
540. que circumſpectam, ſe recte gerendi, rationem præcipit. Adjungit hiſce diſciplinæ militaris curam, tum erga conterraneos reliquos, tum militum inter ſeſe, a Principe obſervandam. *Capite* poſtremo de indole meritisque, a provinciarum rectore ac præfecto exſpectandis, nec non de propugnaculorum defenſoribus

fenſoribus legatisque, differit. Et hoc curſu, præceptisque enarratis, defunctus, *Tomo ſecundo* imponit finem.

Tomus nunc *tertius* attentionem noſtram commovet & al- Tom. III.
lectat, in quo Ven. Abbas Principem, qua Chriſtianum ac Chriſtianæ cujusdam ſocietatis præſidem, contemplatur, præmonens, vitam Regum hac vita haud circumcludi, nec ullam ſapientiam, pietatis expertem, nomen ſuum tueri poſſe, ſolam vero religionis genuinæ culturam eſſe magnitudinis veræ fundamentum. Prin- Pag. 22.
cipis eſt, inquit, doctrinæ Chriſtianæ præſtantiàm rebus anteponere univerſis, eaque ſolide eſſe imbutum, ne fluctuetur ipſius mens, & ab architectis voluptatum in transverſa rapiatur. Adjicit præterea fundamenta ac notas religionis Chriſtianæ, ejusque veræ pro religionis ſuæ ratione. Evehit pretium religionis Chriſtianæ, ſiquidem, metam ſcopumque ejus eſſe felicitatem, nobis conciliandam, demonſtrat. Status vero no- 55.
ſter ſejungendus eſt a cupiditatibus noſtris, deceptionum magiſtris, & irritamentis malorum. Qui ſe cum ratione ac ſolide amat, is nequaquam cupiditatibus ſuis depravatis ac perniciosis favet, tantum abeſt, ut has ſibi ſuoque ſtatui, ad felicitatem adſpiranti, ſubſtituat. Quo minus hanc frugiferam aureamque veritatem Principi inculcet, ſe prorſus haud ſinit impediri. Docet deinceps, lumine, quod religio Chriſtiana animo infert, perfici vim judicandi, mentem perſpiciendi, ac homines e factis noſcitandi. Egregia ejus eſt doctrina, perſpicue docen- 74.
tis, religionem Chriſtianam ac gubernationem politicam arcte firmiterque invicem eſſe copulatam. Addit conſectaria, quæ ex ſententiis, huic oppoſitis, ſponte ſua emanant. Con- 94.
ſiliis evangelicis ponit pretium pro eccleſiæ ſuæ norma. Tradit, pietatem religioſam eſſe virtutum matrem genuinam, fortitudinis conciliatricem, probitatis magiſtram, & actionum laudabilium promam condam. Adducit poſthæc par hominum 121.
diverſiſſimum in contentionem, infidelem ſcilicet, ſeu irreligioſum, & vere Chriſtianum. Quis inficiabitur, comparationem hanc ſcite fuiſſe inſtitutam, & ſolide perfectam? Monet idem, religioni in acceptis ferendum eſſe, quod Regibus origo tribuatur divina, ac obedientia præſtanda fuerit inde

Pag. 143. a mundi incunabulis; religionem efficere, ut bene precemur Regibus, eisque, qui ſummæ rerum præſunt, ut ſeditiones fugiamus, ut officia Principi fida exhibeamus; Regibusque lite-
153. ras ſacras, ſeu libros utriusque Fœderis, commendat. Differentiam legis veteris novæque exponit ex eccleſiæ ſuæ inſtituto. Præcipit Principi ſuo neceſſitatem, preces ad Deum crebras di-
188. rigendi. Quis vero negat, eum, qui preces ſacras emittit ad univerſæ ſalutis ſtatorem, munere ac dono quodam cœleſti eſſe inſtructum? Cur Principi preces divinas commendet, rationes affert ſelectas, ſolidas, & omni cura perpendendas. Mo-
*212. net idem, animum ad preces rite dicendas præparari per fidem, per ſinceritatem, per ſenſionem humilitatis ac intimæ paupertatis, per perſeverantiam, & continentem ardorem.
231. Quantis regna ſint periculis ac tempeſtatibus obnoxia, copioſe exponit. Tum vero Principibus denuo inſtillat monita de precibus votisque, & perpetuo, & ad ſtatum tempus, cum Deo communicandis. Quid ſit genuina animi demiſſio & ſuperbia, & quantopere hæc animos ineſcet & obtenebret, pulchre oſten-
270. dit. Addit opponitque ſuperbiæ remedium longe efficaciſſimum, Dei ſcilicet amorem, licet, in hac vita ſuperbiam pe-
277. nitus evelli, neget. Principem ſuum deinde docet rationem fugiendi ſuperbiam, & demittendi animum coram Deo, ejusque infinita majeſtate. Suggerit eidem doctrinas ſua laude digniſſimas, e religione Chriſtiana depromtas, nec moratur eos, qui, eximia Chriſtianæ vitæ officia ſolis Monachis virginibusque ſacris relinquenda eſſe, ſibi perſuadent. Enumerat ad-
317. hæc rationes, quæ Principem ad vitam pure caſteque tranſigendam commovere valent. Demonſtrat, quanta ſint præmia, quæ fidem divinam ſequuntur, & quantopere ea & circumſpectio-
461. ni, & prudentiæ, ſit amica. Superſtitioſam futuri curam improbat, Aſtrologiam judiciariam proſcribit, dari pacta hominum,
477. cum cacodæmone clanculum inita, ſibi perſuadet, & ab hoc nonnunquam ſectatoribus ſuis eventus futuros, ab arbitrio mentium pendentes, prædici. In felicitatem Regum & veram, & imaginariam, inquirit, ratus, eam in hac vita eſſe fluxam & inconſtantem, ſiquidem nemo de perſeverantia ſua, virtuti Chriſtianæ

ſtianæ amica, in hac vita poſſit eſſe certus. Poſthæc perdo- Pag. 518.
cet Principem ſuum rationes, quibus homines nævos & vitia
ſua explorant. Docet eum artem expiandi peccata, differen- 533.
tiam peccatorum, pœnitentiam male actorum, atque pruden-
tiam, deligendi ſibi virum, a confeſſionibus ſacris futurum.
Formavit ipſe viri ejusmodi exemplar & ſplendore & perfe-
ctione refertiſſimum. An in terris id inveniri poſſit, vel ſoleat,
dicere omiſit. Addidit tamen notas & ſigna, quibus vir ejus-
modi ſeſe prodat, ac ab eis, qui mundi illecebras pallio ſanctı-
tatis tegunt, facile poſſit ſecerni. An Monachum, an Cleri-
cum, muneri iſti potius admovere debeat, haud prorſus de-
finit. Si tamen utriusque merita ſint æqualia, Clericum eſſe 545.
præferendum, arbitratur. In hoc cardine vertitur *Tomus III.*

Progredi juvat ad *quartum*, eumque poſtremum, in quo Tom. IV.
Autor Principem Chriſtianum, officiis Chriſtiano ſuo populo
præſtandis adſtrictum, conſiderat & perpendit. Inprimis eum Pag. 10.
docet reddere æternum felices bene multos, ſibique ſubjectos,
mortales, idque non ſolum virtutis præſidio ac exemplo ſuæ
pietatis, ſed etiam aliis adminiculis, effectui dare. Monet
idem, Reges, Chriſto aggregatos, agnoviſſe poteſtatem quan-
dam eccleſiaſticam, uni quondam Imperatori Romano ſimul
traditam & inhærentem. Poteſtatem eccleſiaſticam a regali 29.
haud pendere, tradit. Oſtendit limites utriusque poteſtatis
tum e ſacris literis, tum ex conſultis, per manus traditis. Non 45.
inficiatur, opinionem eorum ſacris literis ac traditioni repugna-
re, qui poteſtati eccleſiaſticæ, ejusque poſſeſſoribus, vim ac
poteſtatem *indirectam* in poteſtatem Principum aſſignant. Di-
ſtinguendum, docet, eſſe Regem inter & hominem religioni
Chriſtianæ aggregatum. Rex enim conſiderari poteſt, vel qua 54.
Rex, vel qua fidelis Jeſu aſſectator. Statuit tamen, concor-
diam inter ſacerdotium & imperium eſſe & neceſſariam, & fru- 56.
ctuoſam, eo quod unum alteri præſidia manumque ad uſus
communes amplificandos mutuetur. Luculente demonſtrat,
Epiſcopos primis eccleſiæ Chriſtianæ temporibus electos fuiſſe
per populum, Clericos, & Epiſcopos provinciæ. Adjungit 87.
exempla & Canones, ne quid ſuperſit dubitationis. Viri ca-

thedrales ſenſim poteſtatem creandi Epiſcopos ſibi vindicarunt, ita tamen, ut a Regibus eam electionis permiſſionem ac facultatem expetierint. Evidenter docet, Pontifices Romanos, va-
Pag. 98. ria prætexentes, electioni Epiſcoporum inhiaſſe haud ſecus, ac Reges libertatem electionis propugnaverint. *Ludovici Sancti* pragmaticam ſanctionem commemoratione dignandam eſſe,
104. exiſtimat. Abuſus curiæ Romanæ quamplurimos exortos eſſe ex Paparum Avenionem demigratione, ac ex ſchismate, inter *Gregorii XI* ſucceſſores enato, ſibi perſuadet. Ad eos reprimendos edicta *Caroli VI*, A. 1406 & 1418 in Galliis edita, ſpectaſſe, tradit. Concilio Baſileenſi libertas electionum epiſcopalium denuo fuit firmata, ac ſanctione pragmatica Regis Galliarum communita, & denuo per *Ludovicum XII*, reſtituta
120. vi ſanctionis ejusdem, corroborata. Dolet Noſter, hanc ſanctionem per concordatum, inter *Leonem X* & *Franciſcum I* initum, abolitam eſſe citra libertatem & conſenſionem eccleſiæ Galliarum, ſine tribunalis atque Academiæ Pariſienſis ſuffragiis. Uterque ordinum omnino provocavit ad Concilium univerſale. *Carolus IX* oſtendit tandem, quantopere ruina ſanctionis pragmaticæ proceribus ordinibusque regni ſui ſit faſtidio ac impedimento.
123. Quantis difficultatibus ſpes recuperandi electiones epiſcopales
137. laboret, Autor graphice monſtrat. Suadet tamen, ut ii denominentur, qui omnium maxime id honoris & oneris mereantur. Poſthæc aperte ingenueque confitetur, abuſum jam tum uſui prævaluiſſe. Principem docet deſignare ac nominare prudenter & conſcientiæ congruenter eos, qui meritis & præcipue modeſtia excellunt, in Epiſcopos. Adulatoribus hic indulgendum eſſe, prenſatoribus obtemperandum Principi, modeſtiæ atque humilitati ſimulatæ velificandum, ſolide ne-
175. gat. Indicia meritorum enumerat, ac Patrum ſententias eo fine enarrat. Requirit ad vocationem externam, Epiſcopatui
203. accommodatam, duo momenta: unum, ut quis ad eum ſuſcipiendum adigatur; alterum, ut meritis abundet, ac de voluntate Dei ſit certus. Principem Ven. Abbas docet omnem mu-
227. neris Epiſcopalis indolem & rationem. Notat in Epiſcopis
254. ambitioſum dominandi conatum & ſuperbiam, *in Epiſcopatu fere*

fere inevitabilem, otii ac voluptatis amorem, ac reliquas imbecillitates. Lineas ducit genuini Episcopi, eique præscribit simplicitatem, justamque bonorum ecclesiæ administrationem, quibus ex oblatis per fideles bonis est origo. Episcopum repudiat divitiis imminentem, laudans potius frugalitatem & simplex vitæ genus in Episcopo. Reprehendit epulas ejus sumtuosas, ac luxus studium. Meminit *Pauli Samosateni*, cujus fastum damnarunt proceres Concilii Antiocheni. Substructiones sumtuosas ædificiorum ab Episcopo alienas esse, cupit. Optat, ut ipse pauperum rationem usquequaque habeat, & templa Spiritus Sancti sibi credat potissime demandata. Præterea Noster, insciticm Episcopo esse indignam, arbitratur, definiens scientias, ei futuras & usui, & ornamento. Requirit ab eo peritiam diviniorum literarum, doctrinam per manus traditam, & lectionem Patrum, quam multis effert laudibus. Ferendos, negat, esse Episcopos, qui censuris suis notent Patres. Suadet Autor Principi, ut non nisi Episcopos scientiis refertos nominet, hisque præcipit, ut verba sacra ad populum faciant, ac dotibus homileticis sint instructi ac probe præmuniti, ratus, religionem Christianam prædicatione verbi divini publica esse fundatam, & eadem esse conservandam. Postulat, ut Episcopus dicat ea, quæ veritati divinæ congruunt; ut perspicua ejus sit universis oratio; ut usum respiciat, fructusque pietatis eliciat, Evangelii annuntiatione; ut persuadere auditoribus verba divina cupiat, & omni ope aggrediatur, nec ad illecebras suas respiciat; ut sensione Spiritus Sancti affectus sit, & sensionem illam cum auditoribus communicare possit; ut preces cum illa annuntiatione conjungat; ut vitam integram scelerisque puram degat; ut vitam exigat talem, qualis re ipsa est Evangelii annuntiatio; ut exuat quemcunque nævum, fœcundum quippe eventis sinistris; ut excellat virtutum gemmis; ut suspiciat Patrum monita, Episcopis proposita & inculcata. Principi plus esse autoritatis ad dandos ecclesiæ Episcopos, quam universis Conciliis, contendit. Episcopum cupit esse animo firmum, veritati affixum, obstaculis veritatum superiorem, libertatis in sentiendo tenacem, prudentem simul & necessitatis legi parentem, adulationi inimi-

Pag. 296. 351. 398. 412. 421. 434. 440. 449. 468. 501.

inimicum. Translationes Episcoporum ab ecclesia una ad alteram credit esse injustas & insalubres, ideoque a Principe haud permittendas, ne ambitioni patefaciat fenestram. Huic
Pag. 538. cavendum esse decernit, ne Episcopi sibi petant consilio minus sincero laboris socium, ac dignitatem suam familiæ suæ annectant. Suadet Principi, ne Episcopo permittat licentiam tractandi aliena, & homines obscuros & Episcopi mancipia in laboris societatem adsciscat. Docet Principem leges ecclesiæ, earumque necessariam peritiam, ut hic juribus suis ne se exui
552. patiatur, jubetque, ne ipse permittat Episcopis facultatem resignandi munia sua ante obitum & horam, quæ est linea rerum humanarum postrema. Dantur omnino Episcopi, qui, imbecilliores redditi, metuunt, ne autoritas ipsorum collabatur, vel ipsi officiant saluti suæ sempiternæ. Sunt, qui humilis & demissi animi virtute metuque, muniorum gravissimorum molem circumspecte fugienti, ita commoventur, ut nolint humeros suos tanto oneri, quod Ætna est gravius, supponere. Hos a Principe prætereundos esse, negat Noster, causatus, ni viri ejusmodi deligantur, Episcopatus imperitis, superbis, temerariis, ac vecordibus, delatum iri. Hæc est *Tomi quarti* summa. Fuimus longiores in argumento hujus Operis exponendo, eo quod egregia ei passim inserta sunt capita, nostrisque hominibus passim profutura, qui testes veritatis colligunt, nec, alibi superesse, existimant, viros, qui vitia eorum, quibus datum est operari rei sacræ, candide notant, & viam meliorem pro mensura cognitionis suæ temerarios munerum sacrorum affectatores docent. Operæ profecto pretium fuerit significasse, Opus, tanto cum candore conscriptum, ac liberius expromtum, invenisse Ducem magnum Regemque augustissimum & approbatorem & præconem.

Joh. David Kölers, P. P. Historischer Müntzbelustigung zehender Theil, ꝛc.
hoc est,
JO. DAVIDIS KOELERI, P. P. GOTTING. Deliciarum e Numis historicarum, A. 1738 singulis hebdomadibus

domadibus editarum, Pars decima. Præmissa est octava Continuatio expositionis compendiariæ de plena Thalerorum collectione.

Noribergæ, impensis viduæ Christophori Weigelii, senioris, 1738, 4.

Alph. 3 plag. 4.

Præfationem Cel. Autor orditur a Thaleris Saxonicis progeniei *Ernestinæ*, quorum seriem in Præfatione, *Parti nonæ* præmissa, ad finem haud potuit recensere. Deinde gradum promovet ad enarrandos stirpis *Albertinæ* Unciales, ad Thaleros Ducum Saxo-Lauenburgicorum, Ducum Sabaudiæ, Ducumque Wirtenbergensium. Tum pertractationi Numorum hebdomadariæ sese accinxit. Non est nostrum, de instituto Cel. Autoris quidquam repetere, quod quippe ad amussim primam exactum perstat. Exhibebimus tantum seriem Numorum, quibus exponendis, historiceque illustrandis, ipse in hoc fasce operam impendit. Qui enim studio numario trahuntur, eorum est, *Delicias* ipsas introspicere, quippe quarum epitomen ita longam, & ita congruentem scopo, haud suppeditare possumus, sicut eam Lector secum communicari cupit. Scenam aperit Uncialis rarior Comitis Gronsfeldici, *Justi Maximiliani*, mortui A. 1667, cujus filii improles A. 1719 obierunt. In Du- Pag. 4.
cato idem vocatur *Jodocus Maximilianus*; unde fit verisimile, *Justum*, *Jost*, & *Jodocum*, idem esse nomen. Origines Comitum Gronsfeldensium Autor deducit ex Comitibus Bronchorsti, oppiduli ad Iselam in Comitatu Zutphanienſi. Deinde 9.
exhibetur icon Thaleri antiquissimi Brunsuicensis ad A. 1498, referentis in adversa leonem arrectum, in aversa S. *Autorem*, Archiepiscopum Trevirensem, Brunsuici patronum, cujus vitam & fata Brunsuicensia Cel. *Kælerus* adjungit. Tum sese oculis spectantium offert Numisma mnemonicum provinciæ Selandiæ, repræsentans universalem fœderatorum Belgii Ordinum conventum, A. 1651 Hagæ celebratum. Excipit illud Numisma, conservans memoriam expugnatorum jussu *Ludovici XIV* 25.

Joannem Miltonum, amiſſi Paradiſi ſcriptórem poetam, Numus viceſimus illuſtrat, mortuum A. 1674, 10 Nov. natum annos 66. Adjecit Autor fata autoris atque poematis, variasque in illud cenſuras. Pag. 153.

Vocat lectorem alio numus Neapolitanus, juſſu *Caroli II* A. 1684 percuſſus. 161.

Hunc excipit rarior Thalerus, Campiduni cuſus, ac jurium urbis expoſitio. 169.

Groningam A. 1672 obſeſſam ſignificat Numus quadratus.

Præclarus eſt Metallio unilateralis, A. 1585 factus, qui offert *Wilhelmum V*, Ducem Bajoariæ, ejusque uxorem, *Renatam*, Lotharingiæ ex Ducibus procreatam. 185.

Ducem Bellicum Groninganum, *Carolum Rabenhaupt*, Numus, A. 1672 cuſus, illuſtrat.

Rarior eſt Bracteatus bilateralis, A. 1181 circiter cuſus, cujus adverſa *Bernhardum* Ducem, ſiniſtra virum gladiatum, præfert, cui adjecta perigraphe: CALBA CIVITAS. 201. TAB. II Fig. 3.

Addit Autor hiſtoriam urbis Calbæ, monetque, tractum Vitebergæ ad Albim Ducatus Saxoniæ olim haud fuiſſe partem, ſed hæredium potius Comitum Anhaltinorum, & *Bernhardum* Ducem ad Viſurgim in pago Augariæ, ab Hannovera Bremam uſque, veniſſe in partem terræ ducalis, *Henrico Leoni* ademtæ, ſed eum hanc illico amiſiſſe. Pag. 208.

Ad Archiepiſcopi Magdeburgenſis *Wicmanni* Bracteatum, egregie factum, monet inter alia, ipſum bis unicum intra annum numos cudi juſſiſſe. Id vero ita interpretatur, quaſi alii Archiepiſcopi ſemel duntaxat intra regiminis ſui tempus numos feriundos curaverint. 210.

At pace Cel. Autoris hoc eſto dictum, ſcilicet ſingulis annis ſemel numos veteres olim permutatos eſſe numis recens percuſſis in loco, quem vocabant cambium. *Wicmannus* vero bis annis ſingulis numos veteres permutavit recens percuſſis. Diplomata & chartæ medii ævi hanc expoſitionem confirmant. Confer Conſultiſſimi *C. U. Grupii* Epiſtolam in *Parte XI Deliciarum* ad Thalerum Hannoveranum.

Genus ejus dedit Cel. *Harenbergius* in *Hiſtoria Eccleſiæ Gandersheimenſis*, inter Comites Seburgenſes. Erravit autem is in eo, quod Seburgenſes Comites non in Mansfeldico tractu, ſed ad Herciniam in Sehuſaburgo, ſe deprehendiſſe exiſtimavit.

Promiſit Cl. *Samuel Waltherus* apud *Lentzium pag. 32*, viram *Wichmanni* numis illuſtratam a ſe editum iri, Procul dubio is ex

Cel. *Kœleri* hac biographia multum proficiet. *Wichmanni* Numo bracteato succedit Thalerus postremi Ducis Juliaci, Cliviæ, ac Montium, *Joannis Wilhelmi*, ad A 1608. Hunc sequitur icon Numi sepulcralis, quo Principis Anhaltino-Servestani *Joannis*
Pag. 233. mors ad A. 1667 significatur. Numisma illud excipit *Christiani*, primi Comitis Rantzovienſis, ad A. 1657 Numus, nec non *Wilhelmi II*, Principis Arausicani, Thalerus ad A. 1649. Rarus sane in hisce terris est Sinensis numus cupreus, *Tongsſien*
249. dictus, Imperatoris nostræ ætatis, quem vocant *Yong tching*, ex P. *du Halde* depromtus, Pekini cusus, dimidio lothoni æqualis. Jucunda est, quam Cel. Autor numo huic adjecit, de re numaria Tzinensium commentatio. Thalerus, Campiduni, urgente necessitate, A. 1672 cusus, notitia eruditorum satis est
265. dignus. Subjunxit ei Autor icona Thaleri, quo *Georgius*, Dux Wirtenbergicus, A. 1686 colloquii religiosi, Monte Bellicardo instituti, memoriam consecravit. De D. *Jacobo Andreæ* addidit Autor nonnihil, unde patescit, illum artis syllogisticæ
273. fuisse imperitum. Sed convertimus nos ad rariorem Thalerum *Christophori*, Comitis Manderscheidensis, Abbatis Stablensis ac Prumiensis, ad A 1570 cusum, ac expositiones de Abbatiæ Stabulensis ac Malmedensis juribus controversiisque. Hisce succedit Thalerus ultimi Ducis Saxo-Lauenburgici, cui est pe-
281. rigraphe: *Thu recht, ſcheu niemand.* Hunc sequitur Turcicus Ducatus, jussu *Mahomedis IV* A. 1687 depositi, cusus A. 1680. Illustravit illum Cel. Autor recensione status publici Turcorum civilis & militaris. Tum exhibuit icona Numismatis, quo *Ludovicus XIV* memoriam fœderis, cum Helvetiis A.
297. 1663 renovati, consecravit. Numismate proximo memoria celeberrimi *Petri Baylii* consecratur. Numo quadrato designatur obsidio, ab Osnabrugensibus A. 1633 tolerata. Raritate con-
313. spicuus est Suecicus Thalerus dimidius, A. 1545, regnante *Gustavo Wasa*, percussus. Præstantia & magnitudine excellit Nu-
329. mus, quo *Ernestus Augustus* arreptam A. 1662 possessionem
TAB. II Episcopatus Osnabrugensis amplificavit & insignivit. Princi-
Fig. 4. patum obtinet Thalerus Olsnensis, a Duce Wirtenbergico, *Sylvio Friderico*, curatus feriri. Pulchritudine eminet Ducatus *Joannis*

Digitized by Google

nis Antonii, Epiſcopi Principis Aichſtetenſis, A. 1738 factus, gemina præditus poſtica. Excipit eum Thalerus *Chriſtiani Ulrici*, Ducis Wirtenbergici & Olsnenſis, Bernſtadienſis progeniei conditoris, ac Numiſma, quo *Gregorius XIII*, Papa Romanus, Collegium Jeſuiticum, Romæ A. 1582 fundatum, conſecravit. Mirum ſane, *Sixtum V* fictionibus adeo ſeſe oblectaſſe, ut A. 1589 numum percuti curaverit, quo quinque vulnerum ſtigmata, *Franciſco* impreſſa, & indubie ementita, repræſentantur. Sed, Roma relicta, in Germaniam revertimur, intuentes Thalerum Capituli Baſilicæ Lubecenſis, vacante Epiſcopatu A. 1727 cuſum, & admirantes bigám Thalerorum *Caroli Auguſti*, Comitis Hohenlohenſis ac Gleichenſis, quorum alter A. 1738 cuſus eſt, & memoriam patris, quo ille fuerat gaviſus, refert. Numus, qui hiſce ſuccedit, memoriam ſervat *Petri Coddæi*, Archiepiſcopi Sebaſteni, per fœderatum Belgium vicarii Pontificialis, a Pontifice preſſi, a Batavis defenſi, A. 1705 percuſſus. Sequitur hunc Bracteatus primi moduli, exhibens Marchionem Miſnenſium, *Ottonem Divitem*. Memoratu dignum, *Ottoni* inſignia leonis nondum fuiſſe. Optat Autor, ut Diplomata & ſigilla ævi medii per Germanos copioſe edantur. Differit poſthæc de Numo, quo renovatio antiquiſſimi templi, quod S. *Gumperto* ſacrum eſt Onolsbaci, A. 1738 ad poſteros fuit transmiſſa. Thalerus, quem Capitulares baſilicæ Hildeneſemenſis A. 1724, vacante ſede Epiſcopali, juſſerunt cudi, occaſionem Cel. Autori ſuppeditavit expromendi anecdota nonnulla, alibi vix obvia, ex ſcriptis *Sonnemanni*. Supplementi loco adjectæ fuerunt icones tres. Prima exhibet Thalerum Comitum *de Reuſſe* trinitarium; ſecunda repræſentat Thalerum urbis Campiduni ad A. 1655; tertia Numum, in *Petri Coddæi* memoriam inter Batavos cuſum, a ſuperiori diverſum. Dedimus Lectori conſpectum apparatus ferculorum ſelectiſſimorum, ne is ignoret, quid in hac *Parte* fuerit præſtitum. Gratulamur Cel. Autori tantas divitias, & Lectori amœnitates, hinc profluentes, perquam innoxias, ſignificantes & augurantes, Opus hoc ætatem eſſe laturum, & Hiſtoriæ inprimis Europææ monumentum fore ſempiternum.

Pag. 345. 353. 369. 377. 393. 401. 409. 425.

RIFLESSIONI DISAPPASSIONATE DI FEDERICO VALIGNANI Marcheſe DI CEPAGATI ſopra il libro intitolato Lettere Giudaiche, &c.

hoc eſt,

MARCHIONIS DE CEPAGATI JUDICIA, IRÆ ſtudiique vacua, in librum Gallice ſcriptum, ac Epiſtolarum Judaicarum titulo inſcriptum.

Lucæ, opera & impenſis Simonis Occhi, mercatoris librarii Veneti, 1741, 8.

Plag. 20.

Librum hunc *Eliſabethæ Farneſiæ*, Hiſpaniarum Reginæ, conſecratum eſſe, ante omnia videtur ſignificandum. Satiricos labores ſemper turbaſſe rem & inſtituta mortalium, Ill. Autor in Præfatione lectorem monet. Tractatio ipſa Epiſtolis conſtat XXV, quibus Epiſtolæ Judaicæ oppugnantur. *Epiſtolæ primæ* argumentum eſt procœmiale, *Jacobo Brittoni*, Ebræo,
Pag. 14. inſcriptum. Indicat in ea Autor, ſe regni Neapolitani eſſe clientem fiduciarium, ſeu vaſallum, ſupremique tribunalis aſſeſſorem, hæredum maſculorum expertem, excepta unica ſobole, ex ſtemmate ad latus ſubnata. Addit, ſe ſtudio veritatis ad hoc
13. opuſculum conſcribendum adductum fuiſſe. *Epiſtola ſecunda* ſignificat, ineſſe Epiſtolis Judaicis dubia, atheis grata & tritiſſi-
19. ma. Dari autem leges divinas, Autor demonſtrat. *Epiſtola tertia* ipſe ſtultam Deiſmi malitiam, ac mentium, quæ ſe *fortes*
26. vocant, infirmitatem, repræſentat & horret. Literis, quæ illas excipiunt, exhibet dolorem ſuum de fæce Deiſmi, ac pe-
41. riculo, quod exinde immineat juventuti. *Epiſtolæ quintæ* argumentum in eo verſatur, ut Autor doceat, cultum Deo haud poſſe ſine cerimoniis prædefinitis exhiberi præſtarique. *Epi-*
48. *ſtola ſexta* miraculorum veritatem demonſtrat. *Epiſtola ſeptima*, injuſtas exprobrationes intentari Pontificiis ſuperſtitionum obtentu, it comprobatum, ſimulque prudentiam eccleſiæ ſuæ
59. dilaudat. *Epiſtola octava* contendit, opus eſſe ſplendore quo-
68. dam externo in eccleſia ad vulgus regendum. *Epiſtola nona* profitetur,

profitetur, imagines esse invitamenta ad cultum Dei perquam decora. *Decima* propugnat reliquias & usum ligni sanctissimæ crucis. *Undecima* monet, ritus nationum per singula momenta, quibus inter eos intercedit habitudo quædam, esse examinandos. *Duodecima*, tolerantiam abusuum quorundam esse necessariam, monet. Neapolitanos esse natura, ad docilitatem aptos & quieti amicos, *decima tertia* ostendit. *Decima quarta* vindicat Hispanos, eorumque intrepidam constantissimamque virtutem, ac eruditos eorum prædicat. *Decima quinta* monstrat, Lusitanorum indolem in Epistolis Judaicis temeraria censura fuisse reprehensam. *Decima sexta* contendit, Gallos nimis judicio critico ibi esse subjectos, Anglos autem nimium laudatos. *Decima septima* monstrat, Italis nondum deesse in præsens gloriam armorum atque literarum. *Duodevigesima* de delectu Philosophiæ est inscripta. Exprobrat inibi Autori Epistolarum Judaicarum ipse universalem & Scepticismum & Scopticismum. *Newtonum* laudat, nec tamen inficiatur, ejus attractionem, viresque centrifugas & centripetas, cum qualitatibus occultis *Aristotelicorum* in comparationem posse adduci. *Undevicesima* statui Monachorum vindicando est destinata, cui magna perfectio tribuitur. *Vicesima* exornat elogiis vitam *Ignatii Lojolæ*, ejusque vitam, & civilem, & sacerdotalem, fuisse labis expertem, persuadere nobis conatur. *Vicesima prima* docet, Jesuitas esse vitæ ad ordinem conformatæ, & exemplis optimis refertæ, amatores. *Epistola* sequens exponit copiose, quantum Principibus populisque prosint Jesuitæ. *Vicesimæ tertiæ* summa in eo consistit, ne dubites, sanam esse Jesuitarum doctrinam. *Vicesima quarta* denuo eorum conditorem laudibus prosequitur, ac, eruditionem Jesuitarum esse prædicabilem, it demonstratum. *Literis* postremis diluuntur ea, quæ in Jesuitis sibi credidit carpenda & vituperanda Judaicarum Epistolarum Autor. Hisce Ill. Antagonista tandem *Epistolam* subjunxit apologeticam, resque illum suas sibi habere jussit. Didicimus ex hoc ipso scripto, Judaicas Epistolas in Italorum quoque venisse manus, eorumque nonnullis, ni probatas, quodammodo tamen placuisse. Laborat scilicet

Pag. 81.
98.
109.
125.
134.
148.
174.
178.
203.
220.
283.

ætas noſtra libellis nugivendulis, qui, ut lectoribus ſe approbent, nec religioni, nec rectis moribus, locum relinquunt.

TRAITE', OU REFLEXIONS, SUR LES PLAYES &c.

hoc eſt,

TRACTATIO, SIVE COGITATIONES, DE CURatione vulnerum ſclopetariorum, per HENRICUM FRANCISCUM LE DRANIUM, Chirurgum Sancti Coſmi, &c.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1741, 12 maj. Plag. 8.

Obſervationum chirurgicarum *duos* jam *Tomos* edidit ſolertiſſimus Autor, qui inter præſtantiſſimos & principes Galliarum Chirurgos non extremum ſuo jure meritoque locum tenet. Quos ut ſuo loco in his Annalibus noſtris laudavimus; ita gratum nobis foret acceptumque, ſi *tertiæ* etiam *Partis* acceſſionem nunc annuntiare liceret, in cujus aliquam ſpem nos olim ille quodammodo erigebat. Enimvero, poſtquam is in Academiam Chirurgiæ practicæ, a Rege conſtitutam, receptus fuit, & ex eo tempore novas ſuas in re chirurgica obſervationes conjunctim cum ſociorum ſuorum obſervationibus publicare animum induxit, laudabili conſilio operam ſuam & ſtudium ad vulnera ſclopetaria accuratius pertractanda convertit, in quibus recte cognoſcendis curandisque tum ab ineunte ætate inſtitutus fuit, tum obſervationes ſuas cogitationesque experimentis confirmare, & ſcientiam ſuam his augere, ſtuduit. Quam in rem ante hos decem circiter annos nova ipſi obtigit occaſio, poſtquam Galliarum Rex ipſi officium Chirurgi conſultoris in exercitu ſuo demandavit. Quanquam etiam jam rariorum de hoc vulnerum genere ſingulares exſtant libri, ut *Maggii*, *Ambroſii Parei*, *Mangetti*, & aliorum, præclare admodum ſcripti, & egregiis præceptionibus abundantes; ab illorum tamen temporibus tam egregiis Chirurgia aucta fuit incrementis, ut eorum non ubique tuto inſiſtere veſtigiis liceat, atque nunc plura alia ſubſidia commode ſimilem in uſum vocentur. Tanta vero etiam horum

horum vulnerum obſervatur eſſe diverſitas, ut vix duo perfecte ſibi ſimilia quisquam oculis uſurpaſſe videatur. Quæ etiam res haud dubie ſimul in cauſa eſt, quare nondum perfectum quoddam iis de vulneribus opus in lucem prodierit. Sed tamen & illud certum eſt, præter tantum iſtud diſcrimen inſignem quoque in iisdem notari ſimilitudinem, ut pro ſanandis iis certæ determinatæque tradi præceptiones queant, non in ſimilibus tantummodo quibuslibet exemplis adhibendæ, ſed tum quoque locum habituræ, ubi primo conſpectu ingens diſcrimen obſervatur. Quæ præceptiones cum longa & multiplici experientia niti debeant; utinam accuratas atque exactas ejuſmodi vulnerum bene curatorum non minus, quam ſymptomatum, inde oriundorum, diverſæque eorum medicationis, ſive rectæ, ſive perverſæ, hiſtorias conditas haberemus atque conſignatas! Ita enim, quemadmodum felix eventus ea, quæ ſanitatis cauſa agere oportet, confirmaturus, ſic infelix, quæ vitare, & qua circumſpectione uti, deceat, indicaturus eſſet. Multum profecto ea ex cauſa doctiſſimo Autori debemus, qui præſtantiſſimas pro curandis hujusmodi vulneribus regulas expromſit, easque tum variis aliorum methodis, tum propria experientia, nixas. Quæ ipſius eſt modeſtia, longe hunc libellum a perfectione abeſſe fatetur, certo tamen confidit, fore, ut, ſi quæ fuerint futuri temporis obſervationes, eæ medicationem, quam & ipſe iniit, & hic commendavit, non convellant, ſed novis veluti fulcimentis confirment. *Quinque* autem *Partibus* totum hoc conſtat opuſculum, cujus *tres priores* vulnera ſclopetaria generatim perſequuntur, & varii generis turbas, quæ exinde tum in parte læſa, tum in univerſa corporis humani machina, oriuntur, neque minus communes eas tollendi & avertendi regulas, exponunt. Symptomata iſta trium eſſe generum obſervantur. Vel enim mox a ſclopeto explosо intra 24 horas, vel poſt aliquot dies, intra duarum tamen hebdomadum intervallum, vel circumacto demum aliquo tempore, non quidem omnia in quibuslibet vulneribus, ut plurimum tamen aliqua, evenire ſolent, & vel totum corpus, vel partem proxime affectam, vel totum membrum, infeſtant. *Quarta*

Pars ſigillatim cujusvis partis vulnera, quæ pro illius conditione & ſtructura admodum diſtinguuntur, exponit, & regulas generales cuilibet accommodat. *Quinta* denique ſyllogen aphoriſmorum, ex praxi repetitorum, exhibet, qui breviori commentario perſpicuitatis cauſa illuſtrantur. Jam vero ſumma cujusvis partis capita velut in tabula quadam diligentius repræſentabimus. Quæ igitur vulneribus ſclopetariis generatim deſtinatur *prima Pars*, ſymptomata, quæ mox ab inflicto vulnere univerſam œconomiam animalem pervadunt, exponit, & de totius corporis impotentia ac gravitate, nec minus refrigeratione, de animi deliquiis, convulſionibus, coloris mutatione, diſquirit. Hinc ea, quæ illico in parte læſa animadvertuntur, contuſionem ſine vulnere, cruſtam, contuſionem oſſis, vulnus cum fractura oſſis conjunctum, peregrinorum corporum diverſitatem, & primam hæmorrhagiam, explicat. Hinc enarrandis ſymptomatibus, in membro læſo excitatis, ecchymoſi, tumorique, inſiſtit, & de operationibus, quas diverſi caſus, ſive in contuſione, ſive in vulnere, eveniant, expoſcunt, atque mox de contuſione, nunc majori, nunc leviori, de contuſione cum fractura oſſis, de contuſione articuli ſine oſſis fractura, de vulnere ſclopetario, in ipſum os penetrante, de vulnere externæ ſuperficiei, de membro prorſus ablato, de vulnere, membrum profundius ſubeunte, de vulnere, carnes tantum exterius lacerante, de corpore peregrino, in vulnere abſcondito, de oſſe percuſſo, de inciſione recte efficienda, de hæmorrhagia coercenda, de prima deligatione, de ſymptomatibus avertendis, vel leniendis, de regimine, de venæſectione, de vomitu, de purgatione, de continuatione deligationum, copioſius exponit. *Altera Pars* alterum genus ſymptomatum, quæ intra quatuordecim priores dies vulneribus ſclopetariis ſupervenire conſueverunt, explanat, ſive ea vulnera in partibus carnoſis, ſive tendineis, exiſtant, ſive cum oſſium quoque fracturis conjungantur, ac præterea de materiæ purulentæ receſſione, oſſis contuſione, & hæmorrhagiis, quæ ad hoc ſymptomatum genus pertinent, exponit *Pars tertia* tertium ſymptomatum genus, quæ curationis tempore vulnera ſclopetaria ſubſequuntur, atque

Digitized by Google

que in his abſceſſus quosdam, vigilias, diarrhœam, tenesmum, icterum, virus occultum, marasmum, fiſtulas, & atrophiam, ediſſerit. *Pars quarta* ad cujuslibet ſigillatim partis vulnera progreditur, atque hinc vulnera capitis muſculi temporalis, vulnera cum fractura ſinuum frontalium & orbitæ oculi complicata, maxillarum, linguæ, colli, claviculæ ſcapulæ, pectoris, pulmonum, mediaſtini, cordis, diaphragmatis, ſterni, ſpinæ dorſi, abdominis, pelvis & oſſium innominatorum, genitalium, articulorum humeri, cubiti, carpi, metacarpi digitorum, femoris, tibiæ, tarſi, metatarſi, & digitorum pedis, evolvit. *Pars* denique *quinta* aphoriſmos, ex diligentiori experientia natos, expromit, qui de neceſſitate inciſionum in ejusmodi vulneribus, de ſubſtantia partium conſervanda, de tempore deligationis, de frequentiori vulneris per inſtrumentum, vel digitum, exploratione, de ſanguine congrumato, identidem in vulnere, quando deligationes repetuntur, reperto, de vermibus, in iisdem ſubinde contentis, de palpitatione vulneris aliquando percepta, de receſſione materiæ purulentæ, de tempore operationum ſuſcipiendarum, de inquietudine, ſiti ardentiſſima & non exſtinguenda, pulſu convulſivo & tremulo, tanquam ſignis futuræ mortis, agit, rationemque, qua juniores Chirurgi ad vulnera ſclopetaria recte curanda idonei evadant, ad extremum inculcat.

M. PORCII CATONIS LIBER DE RE RUSTICA, quem, quantum fieri potuit, accurate ex optimis editionibus recenſuit, & brevi Indice, difficilia inexercitatis explicante, inſtruxit, JO. CHRISTOPH. HAYNISCH.

Schleizæ, apud Ad. Frid. Reiſmannum, 1743, 8.

Plag. 8.

Doctiſſimus hujus libri Editor, cujus immaturum obitum ex merito lugent manſuetiores Muſæ, quemque poſt fata quoque virum eruditum, ſedulumque ſtudioſæ juventutis rectorem, veneramur, non unam habuit cauſam, iſtum

cur librum publicaret, recitationibusque privatis explicandum proponeret. Jucundus est ille libellus ob latinitatem antiquam, utilis ob res, ab Autore traditas, easdemque nominibus, non ubivis occurrentibus, appellatas. Præterea non cuilibet parabilis erat adolescentum, propterea quod a *Popma*, & *Comelino*, & aliis, curatæ editiones non amplius prostabant venales, illa autem Cel. *Gesneri* & grandior erat, & carius pauperioribus vendebatur. Hinc nemo, non nisi actum egisse, nomenque suum addere saltem voluisse Cl. Editorem, æquus rerum judex arbitrabitur; præsertim cum non cœco impetu secutus unam fuerit editionem, sed, cum non videret, quo modo ex confusis & corruptis locis sese extricaret, *Popmæ* ac *Gesneri* editiones conjunxerit, nec *Pontederæ* monita plane neglexerit. Nihilo tamen minus ingenue profitetur, quanquam & suas ipsius emendationes adjecerit, quædam nihilo minus dubia & obscura supereſſe, quæ solvere ipse nequiverit, sed in suspenso reliquerit. Nimirum, cum *Gesnero* faciens, deperdita esse quædam *Catonis* judicat, quædam, incuria & insciția librariorum, miserum in modum depravata. Ceterum insignem Autori lucem affundit Index atque explicatio eorum, quæ fortasse lectorem inexercitatum remorari possent; ubi plurimas res illustrat, definit, nec raro ipsis Germanorum vocabulis exponit. E. g. *Amylum*, vel *amulum*, est vel puls, vel farina, quæ sine mola fit; Medicis hodie est *weise Starcke*. *Balteus* est cingulum, vel margo, secundum *Turnebum*, vel potius annulus ferreus, aut fictilis, intra quem placenta extensa & formata. *Carpinus* atra est arbor in Italia, durioris ligni, ulmo similis, cujus fructus multus in racemum, lupuli instar, dispositus, in montosis locis frequens est, *Pontedera* teste; alii legunt *sapino*. *Daps profanata erit*, i. e. consecrata erit, scilicet Jovi dapali, pro salute boum & aliorum jumentorum. *Hemina* est mensura liquidorum, dimidia scilicet pars sextarii & duodecima congii; est etiam pondus medicum antiquum libra Rom. sed hæc alias paulo major. *Politio* est species contractus, quo ager colendus locatur, pactione certæ partis frugum. *Ne villa fundum quærat, neve fundus villam*, id est, ne villa ædificata sit adeo magna,

magna, ut complectatur maximam partem fundi, nec adeo parva, ut fundi villa non appareat; & quæ ſunt hujus generis alia. De Autore id tantum notatur, eum fuiſſe clarum ami ſui jurisconſultum, oratorem, conditorem hiſtoriarum, philoſophum, & aliquoties Romanorum Conſulem, imperatorem, & Cenſorem, mortuum A. U. 604; quæ omnia ex *Cicerone*, *Livio*, *Plinio*, *Plutarcho*, *Valerio Maximo*, atque aliis, addiſci poſſint. De noſtro vero Editore, ut ad eum, veluti per orbem, redeamus, diſcimus ex ipſa Dedicatione, quod & ſummi quidam viri, atque inter eos illuſtriſſimus aulæ Dresdenſis adminiſter, *Fridericus Auguſtus de Brandenſtein*, idoneum ac dignum judicarint, cui ſpes ſuas crederent. Et ſane ipſius monumento inſcribere poſſumus antiquum illud: χρήσιμα πολλὰ ἔπεσι. Χάρις μεγάλη αὐτῷ.

HERMIPPUS REDIVIVUS, SIVE EXERCITATIO phyſico-medica curioſa de Methodo rara ad 115 annos prorogandæ ſenectutis per anhelitum puellarum, &c. Autore JOANNE HENRICO COHAUSEN, Med. Doct.

Francofurti ad Mœnum, apud Joannem Benjam. Andreæ & Henr. Hort, 1742, 8.

Plag. 6.

Neque ætate, nec perſona, Tua indignum putavit Cl. Autor, ludicrum hoc ſcribendi argumentum perſequi, & varia doctrina, multisque ornamentis, illuſtrare. Ipſemet enim libellum hunc non pro conſilio medico, a ſene profecto, ſed ingenii tantum juvenilis exercitatione, fortaſſis ultima, venditat, ut ejus exemplo cognoſcatur, non eſſe quidquam adeo abſonum, aut in antiquitate fictum, quod idonea explicatione ſub ſpecie veritatis non ludere, aut ſub ſpe longioris vitæ ad imitationem allicere, non queat. Dedit ipſi operæ hujus ſuſcipiendæ occaſionem inſcriptio, *Hermippi* cujusdam memoriæ poſita, marmorique inſculpta, a *Gomoro* Romæ forte fortuna detecta, a *Thoma* autem *Reinēſio* in Syntagmate Inſcriptionum antiquarum ſervata, atque

denuo a *Joanne Kayſero* in Parnaſſo Clivienſi repetita. Ea ita ſe habet:

AESCVLAPIO ET SANITATI
L. CLODIVS HERMIPPVS
QVI VIXIT ANNOS CXV DIES V
PVELLARVM ANHELITV
QVOD ETIAM POST MORTEM
EIVS
NON PARVM MIRANTVR PHYSICI
IAM POSTERI SIC VITAM DVCITE.

Quam ſive veram, ſive fictam & ſuppoſititiam, quis habeat, perinde eſt Cl. Autori, qui eandem nihilo ſecius fundamenti loco ponendam putavit libello, ſenibus canitie atque prudentia venerandis, aliisque longævitatis candidatis, inſcripto. *Partis* itaque *I Cap. 1* ſenſum hujus monumenti literalem illuſtrat, & ſingula fere ejus verba explicat, ſimulque ſimilem Inſcriptionem, a *Dalechampio* atque *Cujacio* allatam, qua L. *Clodius Hirpanus* quidam annos 155, dies 5, vel ſecundum *Cujacium* annos 115, dies 5, puerorum halitu recreatus, refectusque, vixiſſe perhibetur, repetit, eamque ut incompletam, ſuſpectam, & ad genuinæ modum effictam, eſſe oſtendat, omni opera ſtudioque
Pag. 2. laborat. *Cap. 2* probatum it, effluvia, quæ cum halitu e puellarum corpore emittuntur, balſamica eſſe, agilia, maxime activa & elaſtica, quæ, a ſene inſpirata, torpidum ejus lentumque valeant excitare ſanguinem, novum ipſi conciliare elaſticæ virtutis vigorem, ſanguinisque circuitum, in quo omnis vitæ ratio conſiſtit, conſervare, juvare, & augere, ut proinde nec ſuccorum ſtagnationes, nec morbi, ex illis oriundi, nec mors
3. præmatura, illis metum incutiant. Quodſi etiam nonnulli ſine cibo potuque, ſola aeris inſpiratione, diu vixiſſe traduntur, & languidos odorum ex plantis ſuavitate recreari admodum, & ſæpius revocari ad vitam, videmus; quidni iis puellarum anhelitus longe antecellat, cum magna eſſe halitus humani potentia in ſyn-
5. copticis ad vitam revocandis experientia teſtetur? Ex principiis *Plotini* Platonicis ita virtus anhelitus puellaris commode explicatur: Vapor, ſeu ſpiritus, in ſanguine puellæ genitus, cum anhelitu

anhelitu emiſſus, per inſpirationem *Hermippi* ſenis ſanguini copulatur, ut ſpiritui facile jungi ſpiritus ſolet, continuo petit præcordia, & in ejus defertur ſanguinem, ut dici queat, puellæ ſpiritum habitare in corde *Hermippi*. Qui quoniam vegetus eſt & vividus, alacrisque juventutis, *Hermippi* cruor eo vegetatur, animatur, & quaſi rejuveneſcit, ut *Hermippus* non tantum ſuam, ſed & aliam, & duplicem veluti, vitam vivat, adeoque vitæ duplicatæ annos attingat. Veri autem ſimile eſt, *Hermippum* in orphanotrophio Romano puellari, ſeu Gymnaſio quodam virgineo, officio Præſidis, ſeu Præfecti & Inſtitutoris, functum, magnam ætatis ſuæ partem in contubernio & ſub anhelitu puellarum traduxiſſe, ut hoc ipſum ejus vitæ genus multum ad longiorem ejus vitam contuliſſe videatur, qua ludimagiſtros & præceptores omni ævo uſos eſſe conſtat. Puellæ autem iſtæ puſillæ, innocentes, caſtæ, & ſanæ, fuerunt, ut exemplo *Abiſagis* Sunamitidis, *Davidi*, Iſraelitarum Regi, adjunctæ, arguitur. Quamvis vero & *Salomoni* tot ex integra puel- Pag. 8.
larum legione ſingulis horis Nympharum fuerint adſpirationes; ille tamen magis, quam brutus tot Reginarum amplexus, tot pellicum, & gente, & gentilitate, ac magis complexione & valetudine, diverſarum, irrationalis concubitus, ſummam in ſanguine dyſcraſiam, in ſolidis atoniam, in ſpiritibus, libidinum œſtro concitatis, ataxiam, excitavit, ut ad longævitatem pervenire non potuerit, ſi vel maxime caſtarum & innocentium puellarum halitu frui licuerit. Quæ libido etiam multo magis in culpa eſt, cur Turcarum Imperatores, licet tot formoſarum mulierum in Gynæceo ſuo fruantur anhelitu, minime tamen evadant longævi. Quoniam ſuperſunt nonnulla, quæ ad longiorem *Hermippi* vitam tribuiſſe aliquid videntur, licet in ſuperiori Inſcriptione non memorata, ipſo tamen anhelitu non minora, fortaſſis etiam efficaciora; *Parte* etiam *II* demonſtrare laborat, qua ratione P. II
per inſenſibilem tranſpirationem ex puellarum corporibus vita Cap. 1.
ſenum producatur. Exhalationes enim puellarum ſalubres, humidæ, & unctuoſæ, id eſt, ex aqua & oleo conſtantes, tum diuturna conſuetudine, tum nocturno accubitu in eodem lecto, poros & vaſa, quæ vocant, abſorbentia ſubeunt corporis ſenilis,

nilis, hocque variis modis recreant. Quo fine non puſillas tantum, ſed maturiores etiam, puellas adhibere congruit, teneræ ætatis, molles, & ſucci plenas, in quibus calor nativus vegetior, ab animi motibus ſumma quies, veneris paſſiva impotentia, ſalubris & moderata victus ratio, atque ſic perſpiratio libera, facilis, ſana, & optima, eſt; quemadmodum ſæpius miſerrima juvenum in ſocietate vetularum conjugali redditur conditio, quibus iſtarum anhelitus, & exſpirationum noxa, in eos plerumque redundans, juventæ vigorem exhaurit, vitamque ante diem eripit, ut exinde contraria ratione beneficium vitæ longioris, ex puellis in ſenes profectum, amplius confirmetur.

Pag. 4. Mariti vero etiam ſenes uxorum juvenum ſanarum & bene moratarum contubernio ad longævitatem pervenire queunt, nec

5. ſemper innuptæ requiruntur. Imo eædem & lacte opem ferre ſenibus maritis; & nutricis atque medici partes agentes, ut hic memorabili exemplo comprobatur, marito ſeni ægrotanti

6. ſanitatem & vigorem reſtituere poſſunt. Verum haud dubie *Hermippus* fuiſſe Philoſophus adeptus videtur, atque ex anhelitu puellarum, ſingulari modo per tubulos collecto & concentrato, magnam illam medicinam & arcanum animale exemplo nonnullorum Spagyricorum, qui in ejusmodi halitu ſibi non, quod pueri in faba, inveniſſe videntur, confecit, ejusque uſu tot vitæ annos explevit, dignus propterea, qui ſapientum ordini adſcribatur. Atque ita ſummam libri indicavimus, ut, ſi quibus placet, ac forte etiam congruit, veneres illas & oblectamenta, quæ Autor liberali manu exhibet, propius in ipſo libro conſectentur.

VITA JO. GUILIELMI HOFFMANNI, J. U. Doctoris, Potentiſſimi ac Sereniſſimi Regis Poloniarum & Electoris Saxoniæ a Conſiliis Aulæ & Juſtitiæ, ac Hiſtoriarum Profeſſoris in Academia Vitebergenſi Celeberrimi, quam, una cum ejusdem Panegyricis & Orationibus, præmiſſa Commentatione de JCtorum & Politicorum in Scripturam ſacram meritis critico-exegeticis,

ticis, recenſuit GOTTLOB FRIDERICUS GUDIUS, A. M. V. D. M. Laubæ Luſatorum.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtianum Langenhemium, 1742, 4. Alph. 1 plag. 9, Tab. æn. 1.

Ven. Autor, ſummo affinitatis vinculo junctus cum B. *Hoffmanno*, cujus ſororem in matrimonium duxit, ut hujus neceſſitudinis officio fungeretur, aliis rebus muneris ſui graviſſimis poſthabitis, animum appulit ad vitam Viri excellentiſſimi conſcribendam. Sunt omnino ejusmodi conatus vehementer laudandi, cum aliis de cauſis, tum quod oſtendunt, ad imitandum propoſitam, viam & rationem, qua ſummi viri, eruditionis ſtadia emenſi, inoffenſo pede ad ejus honorisque faſtigium pervenerunt. Cothurni quidem ejusmodi ſunt paucis apti, atque peccatur magis, non idoneum ſibi, quam neminem, imitando. Interim, qui ſubacti ſunt ingenii, qui omnes docti eſſe debent, facile earum rerum, quarum imitatione exprimendarum ipſis data eſt facultas, rationem & præſtantiam intelligunt. Inprimis doctores in ſcholis Gymnaſiisque inde multa poterunt in rem convertere ſuam. Præfatus eſt Ven. Autor huic vitæ Commentatione aliqua admodum erudita, qua Jurisconſultorum & Politicorum in Scripturam ſacram merita recenſet. Jam A. 1728 juſſerat hanc in nomine *Hoffmanni*, decurſo ſcholaſtico curriculo ſe ad adyta lucis in Viadrina Academia conferentis, apparere, ut molliſſima ratione juvenis, ad ſumma graſſantis, aurem velleret; quem etiam deinceps, Vitebergæ Hiſtoriam eccleſiaſticam docentem, teſtatur, potuiſſe vel æquare, vel ſuperare, ſi diutius vixiſſet, ejusmodi JCtorum honorem. De hac igitur pauca dicamus. Ven. Autor primum inveſtigat originem proverbii Germanici, Jurisconſultos non eſſe germanos Chriſtianos; qua occaſione multorum hujus loci hominum perverſiſſimam vitam digna Theologo ratione notat, atque his prudentiorem opponit, Themidis ſacra tuentium, ordinem. Multi quidem, quos in cenſum defert, in eodem fere elaborarunt argumento; ſed habuit tamen, quæ colligeret, omiſſa ab aliis ſpicilegia. Jurisconſultorum nimirum alii, ut *Mornæus*, Pag. 6-10. 12. 12-17. 18. 19.

ut *Grotius*, ut *Frevandus*, ut *Huberus*, *Coccejus*, &c. divinam
Pag. 20. Scripturæ ſacræ autoritatem tuiti ſunt. Alii Commentarios
22. compoſuerunt in eandem, ut *Hegendorſinus*, *Maſius*, *Ferrandus*, *Mercerus*, *Gentilis*, *Heresbachius*, *Grotius*. Alii peculiaribus obſervationibus unam alteramve Codicis particulam il-
22-28. luſtrarunt, ut *de Padro*, *zu Vach*, *Knatchbullius*, *Leighius*, *Deuſingius*, *Stryckius*, *Neuburius*, *Godofredus*, *Barbeyracius*,
28-33. *Claſenius*, *Merillus*, *Spanhemius*, &c. Alii denique varia, quæ dicuntur, ſubſidia hermenevtica ſuppeditarunt, ut meliores Codicis ſacri editiones, Lexica, antiquitates, reliqua, quorum etiam exempli loco quosdam excitabimus, ut *Kuſterus*, *van Maſtricht*, *Velſerus*, *Widmanſtadius*, *Reuchlinus*, *Ferrandus*, *Happelius*, *Zanolinus*, *Molinæus*, *Schottelius*, *Bertramus*, *Cu-*
33 ſeq. *næus*, *Seldenus*, &c. Deinceps binas dijudicat quæſtiones,
34-36. utrum Jureconſultis licitum ſit, nec ne, primum Scripturam ſacram interpretari, deinde ſacras explicare literas; qua data occaſione, rationem monſtrat, qua verſari in Codice ſacro debeat Jurisconſultus.

Verum, quod ipſe *Hoffmannus*, cujus cauſa hæc a Cl. Autore ſunt præmiſſa, nos ad ſe rapit, hæc omnia, eleganter diſputata, malumus legi integra apud Autorem, quam hic mutilata. Diviſa autem eſt omnis de vita *Hoffmanniana* diſputatio in *tria Capita*, quorum *primum* agit de natalibus, educatione, ſtudiis, moribus, & morte *Hoffmanni*; *alterum* de muneribus & dignitatibus in *Hoffmannum* collatis; *tertium* denique, quod ampliſſimum eſt, de ſcriptis, ab *Hoffmanno* editis & affectatis, annexis judiciis, quæ de editis tulerunt eruditi. Atque hoc ultimum *Caput* in *tres* eſt deſcriptum *Sectiones*, quarum *prima* exhibet libros, ab *Hoffmanno* vel Francofurti, vel Vitebergæ, cum orbe literato communicatos; *altera* vero libros, ab aliis confectos, ſiſtit, ſed quos in lucem protraxit Noſter; *ultima* denique elegantiſſimarum Orationum & Poematum ſyllogen exhibet.

1-4. Eſt vero hic *Joannes Guilielmus Hoffmannus* elatus, cum nonus & viceſimus ejus dies natalis eſſet, non magnum adeo emenſus vitæ ſpatium, doctrinæ vero & honoris longe majus.

Viſus

Viſus eſt nemini ſecundus, ſuperior plurimis, atque ætate etiam multis provectioribus æquiparandus. Erat, quod de *Scipione* teſtatur *Livius*, non veris tantum virtutibus mirabilis, ſed arte quoque quadam ab juventa in oſtentationem earum compoſitus. Poterat, atque illud, quod mireris, ſine invidia, elegantem doctrinæ ſuæ habitum præ ſe ferre in colloquiis conviviisque, atque homines in ſui amorem admirationemque rapere. Longiori omnino vita dignus erat vir, qui, vix virilem ingreſſus vitam, operibus, omnem ætatem ferentibus, inclaruit. Ipſe quidem aggreſſus eſt vitæ ſuæ commentarios adornare, quos tamen inchoatos modo reliquit. Natus vero eſt in ampliſſima & elegantiſſima Luſatiæ ſuperioris urbe Zittavia, bonorum ingeniorum omni ævo divite. Factum vero illud A. 1710, decimo tertio Calendarum Decembris. Patrem habuit *Godofredum Hoffmannum*, qui, in mortui *Chriſt. Weiſii* locum ſuffectus, Gymnaſio præerat, incomparabilis doctor, ac juventutis, cujus ſemper magnum fingebat omnium ordinum numerum, formator. Matre uſus eſt omnibus virtutibus cumulatiſſima, *Schænfelderia*, quæ filium hunc ſuum, nondum bimulum, patre orbum, incredibili cura & ſtudio educandum curavit. Rudimenta ſcientiarum ipſi tradidit *Altmannus*, A. M. qui ſæpe teſtatus eſt, ſibi in diſciplinam traditum puerum, cui, ut *Attico* quondam, præter docilitatem ingenii, ſumma ſuavitas oris ac vocis eſſet, ut non ſolum celeriter arriperet, quæ traderentur, ſed etiam excellenter pronuntiaret. Decimum tertium ætatis ſuæ annum ingreſſus, patrium frequentavit Gymnaſium, atque excellentem dedit *God. Polyc. Mullero* operam, qui juvenum fingendorum, ad ſummaque excitandorum, ſcientiſſimus doctor, atque hac in arte fere *Roſcius* noſtræ ætatis, erat, ut omnes teſtantur, qui quondam in ejus fuerunt diſciplina. Præter hujus autem inſignis doctoris tria potiſſimum erant, quæ ingenium excellens ad ſummum eruditionis faſtigium agebant; maternæ preces & admonitiones, quæ, ut *Gracchis* quondam, ſic *Hoffmanno*, magnos addebant ſtimulos, inprimis illuſtris fratris, in ſumma poſiti dignitate, indeſinenter ante oculos poſita

Pag. 5. 6. 7. 8.

Pag. 9. ſita imago; deinde *Gottlieb Stollii* Hiſtoria literaria, mature ipſi ad verſandum data, quæ ſummorum virorum incredibiles in æquirenda eruditione conſumtos labores exponebat ipſi. Satis erat ardentis ſpiritus juveni, hoc ſcire. Nihil monitore
10. ipſi opus. Idem ſtadium decurrere ſtudebat. Tertium denique reliquorum Gymnaſii civium, ad eandem laudem adſpirantium, inprimis *Jo. Georgii Walthери*, qui nunc Sereniſſimi Ducis Weiſſenfelſenſis Conſiliarii, atque in Academico Weiſſenfelſæ Gymnaſio Prof. Hiſtoriarum, literarum humaniorum, moralis Philoſophiæ, Poeſeos, ac Rectoris adjuncti, perſonam ſuſtinet, conatus. Idem Ven. Autor in erudita Commentatione de cauſis neglectæ linguæ Græcæ, Laubæ A. 1732 typis deſcripta, atque huic *Walthero* inſcripta, cum præficeretur Lyceo Torgavienſi, repetit ex avtographo *Hoffmanniano*; nimirum *Hoffmanno* ſuo cum *Walthero* perpetuam fuiſſe ſtudiorum æmulationem, inprimis hiſtoriarum, atque eloquentiæ. Atque hæc res omnino ingentis ſolet eſſe utilitatis. Non tantum *Pythagoræ*, ſed noſtro etiam, ævo æmulantium ſtudia juvenum cœtus magnos producunt ſæpe viros, quorum in numero etiam noſter eſt *Hoffmannus*, licet ejus ætas non comparetur cum doctrina, habendus. Multum etiam ſe profeſſus eſt ſemper debere Græco cuidam homini, qui *Jonas* dicebatur, atque Græcarum erat doctiſſimus rerum. Hic tunc temporis Zittaviæ, *Mulleri* adjutus opera, commorans, nonnullis Gymnaſii civibus Græcas tradebat literas. Qui cum ſecum ferret multos Grammaticos Græcos, non editos; Noſter *Lesbonactis* librum
11. *περὶ σχημάτων* eleganter deſcripſit. Inprimis utriusque ſapientiæ, & divinæ & humanæ, præcepta avidiſſime didicit, Hiſtoriæ antiquæ magnam dedit operam, uſusque eſt incredibili
12. induſtria in conſequenda Oratoriæ & Poeſeos facultate. Primum ipſi animus erat incumbere in ſtudia theologica. Sed, cum A. 1727 eſſet cum fratre ſuo, Antecelore in Academia Viadrina & Conſiliario Regis Boruſſiæ intimo, Viro longe doctiſſimo, collocutus, repudiavit, quod prius intenderat, conſilium, atque ad Jurisprudentiam humanioribus literis ornandam ſe contulit. Anno ætatis ſuæ viceſimo octavo Franco-
13. furti

furti ad Oderam rerum ſuarum ſedem poſuit, atque humaniſſime amantiſſimeque acceptus a fratre ſuo, manſit in ejus contubernio ad usque hujus mortem, ſummisque, ac plus, quam fraternis, auctus ab eo beneficiis eſt. Hujus & beati *Heineccii* ductu inſignem conſecutus eſt Romanorum rituum, hiſtoriæ utriusque, & literariæ rei, cognitionem; quo etiam factum, ut Pag. 14.
jam vix egreſſus viceſimum ætatis ſuæ annum, honoribus Magiſtri auctus, ſimul Philoſophiam publice tradendi, & ſequenti anno, Jura docendi, poteſtatem acciperet. Brevi vero ab eo effectum & ſcholis publicis privatisque, & libellis cum orbe literato communicatis, ut in omnium ore verſaretur, æſtimareturque magni. Fuit ipſi perpetuum, quod dicunt, com- 15.
mercium literarium cum *Heineccio*, *Wolfiis*, Hamburgenſibus, 16.
Weſſelingio, *Wielingio*, *Uhlio*, *Everhardo Ottone*, *Menckeniis*, *Mylio*, *Jenichio*, *Moſero*, *Basbuyſen*, aliisque. Laboribus eruditis omnis generis perferendis tenerum ejus corpuſculum, magni animi habitaculum, vix videbatur idoneum eſſe; 17.
proinde etiam ſuccubuit die 12 Novembris A. 1739, ipſoque eſt die natali elatus. Laudavit eum oratione panegyrica amicus integerrimus, *Jo. Chriſtophorus Pesterus*, J. U. D. atque nunc Profeſſor Juris publicus in Academia Viadrina. Ven. Autor magnificis effert laudibus *Hoffmanni* inprimis pietatem 18.
adverſus Deum, ac, ſe vidiſſe, ait, ſæpe apud eum in itinere *Paſcalii* librum, qui inſcribitur: *Penſées ſur la Religion*, a multisque ejus intimis compertum habere, *Hoffmannum* ſingulis diebus aliquid temporis ſacri Codicis lectioni dediſſe. Ab 19.
ineunte vero ætate maximum ad ſcelera horrorem in ſe ſenſiſſe, ſæpeque magnis animi doloribus cruciatum, per quos a vitiis fuiſſet retentus & avocatus. Præſertim mortis meditationi, ut alterum *Platonem*, medio in literarum curſu conſtitutum, ſæpius vacaſſe. Triſtioris fuiſſe ingenii, nativam tamen triſti- 20.
tiam ita moderari ſolitum, ut in convictu moleſtus & gravis eſſet nemini. Et adoleſcentibus, & ſenibus, fuiſſe jucundum, ut difficile eſſet judicatu, utri ætati eſſet aptiſſimus. Claudit 21.
hoc *primum Caput* hiſce Diſtichis:

Exculti votis Te prœmaturius orbis
Oræ cœleſtes aſſeruere ſibi.
Triſte Tui deſiderium, Phœbi quod alumnas
Sollicitas urget, ſecula nulla ſilent.
Te, qui majorum docuiſti facta, nepotes,
Venturæ genti ſera propago dabit.

Pag. 22. *Altero Capite* munera & honores, *Hoffmanno* delatos, recenſet. Primum Gryphiswaldica Academia *Hoffmannum* ſibi vindicare voluit A. 1734, atque ipſum commendavit Sueciæ Regi, qui, etiamſi primum non annueret, tamen deinde A. 1738 in Upſalenſi Academia ipſi Hiſtoriam docendi munus demandare vo-
23. luit. Quo tempore etiam Syndici munus, quod ipſi offerebatur in urbe quadam ſuperioris Luſatiæ, quod totum ſe Academiæ dicaſſet, accipere noluit. Cum autem, *Gottlieb Krauſio*, Hiſtoriarum Profeſſore, mortuo, ad munus hoc tuendum in Academiam Vitebergenſem evocaretur, maluit redire in patriam, quam in Academia Viadrina munus docendi Jura, quod
24. ipſi deferebatur a Rege Boruſſiæ, obire. Tandem, ſed ægre, impetrata a Rege venia, redeundi in patriam, venit Vitebergam A. 1737 menſe Majo, ſalutatis ante Dresdenſis aulæ magnatibus, quibus talem ſe exhibuit, qualem favore ſuo ad extremum uſque vitæ ſpatium dignum exiſtimarent. Incredibilem etiam in modum ſibi Collegarum ſuorum animos devinxit, ut, a quo unquam læſus fuiſſet, ſe neſcire, morti vicinus libere ſit profeſſus. Magna ſemper audientium corona gaviſus eſt.
25. Teſte *Houchero*, nullas auſcultationum tabulas propoſuit, quin ad eos magni fierent concurſus; nihil de ullo commentatus eſt genere, quin mentes audientium attentas teneret, atque defixas. Semper ingenio erat, teſte Illuſtri *Bergero*, promtus, differendo uber, ſelectione rerum ſolers, explanando concinnus,
26. pari doctrinæ & ſtili cultu. Idcirco in transferenda Bibliotheca ſumtus facti ei ſunt redditi, annuumque ſtipendium trecentis imperialibus auctum. Frequentes quoque ad eum miſſæ literæ a Viris Perilluſtribus *de Loſſ*, *de Zech*, *de Holtzendorf*, ut *Heidenreichii*, *Læſcheri*, *Marpergeri*, ſummorum Virorum, epiſtolas, humanitatis plenas, taceamus. Multæ quoque rurſus Academiæ contenderunt ab eo, ut in ipſis rerum figeret

ſuarum

ſuarum domicilium, ut Julia, ut Gœttingenſis, ut denique Ultrajectina, quæ eum voluit in locum *Everhardi Ottonis* ſufficere; cujus etiam per curatores miſſæ ad eum literæ ſunt a Ven. Autore inſertæ. Parumque aberat, quin ceteris omnibus Academiis Belgicam præferret, niſi interpoſita Regis Poloniarum Potentiſſimi autoritas conſilium mutaſſet ejus. Sed, cum in eo eſſet, ut Profeſſoris Juris munus adiret in Vitebergenſi, ſubita morte intra famuli ſui complexus exſpiravit. *Capite tertio* ſecundum annorum ſeriem ejus afferuntur libri, quos intra novem annorum ſpatium omnes conſcripſit. Francofurti cum orbe erudito communicavit Diſſertationem genealogico-hiſtoricam *de Stemmate Babenbergo Auſtriaco*; Publicæ lætitiæ monumentum, quod, cum Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps & Dominus *Franciſcus Stephanus* Lotharingiæ auſpicatiſſimo tranſitu Academiam Viadrinam menſe Martio A. 1732 illuſtraret, erectum eſt; Diſſ. de Juribus emigrantium propter religionem; ad legem Juliam de adulteriis coercendis librum ſingularem, in quo multa Juris & veterum Autorum loca explicantur ac illuſtrantur, eodem anno; tum ſingularia capita, ex hiſtoria Triumviratus ad illuſtrandum jus Romanum publicum & privatum petita, A. 1733; Programma de Dialectica veterum Jureconſultorum, quo ſtatis diebus Diſputationes publicas de Jure controverſo indixit, A. 1734; Meletemata Academica ad Pandectas, A. 1735, qui liber vehementer arriſit Batavis, ut ejus recudendi inirent conſilium; ſelectarum, quæ ad uſum fori ſpectant, Obſervationum ſyllogen, A. 1735, quæ ſeptem conſtat Diſſertationibus. Eodum anno quoque typis deſcriptum φιλαδελφίας monumentum fratris germani, *Chriſtiani Godofredi Hoffmanni*. A. 1736 divulgatæ primum de legitimis impedimentis ex Jure Germanico, de obſervantia gentium circa præliminaria pacis, de jure publico, quod in Romano imperio interregni magni temporibus obtinuit, & reliquæ Diſſertationes, quæ typis expreſſæ hoc nomine: Quinarius Diſſertationum ad materias ſelectas. Vitembergæ vero multa quoque publicata ſunt ab eo ſcripta, ut primum Programma de lubrico artis diplomaticæ; deinde Diſſertatio de fœderibus, quæ Imperatores Romani cum Francis

Pag. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39-41. 42. 43-50.

ante tempora *Chlodovæi* fecerunt. Confutavit hac novum ſyſtema Cel. Abbatis *du Bos*, qui in Originibus Francorum in Galliis peculiarem adornaverat ſententiam; ſed, admonitus a præſtantiſſimo Abbate, quædam in ea retractavit. Totam rem controverſam ſuppeditat Ven. Autor. Anno ſequenti conſcripſit Obſervationum Juris Germanici Libros duos, quos ludendo magis, quam laborando, compoſuit, & duas Diſſertationes, alPag. 51. teram, qua comprobat, *Q. Septimii Florentis Tertulliani*, quæ ſu52. perſunt, omnia in Montaniſmo ſcripta videri; alteram vero de ruina ſuperſtitionis paganæ, variis obſervationibus ex hiſtoriis 54. eccleſiæ Seculi IV & V illuſtrata. Eodem quoque anno Panegyricus dictus eſt in auſpicatiſſimum conjugium Potentiſſimi Regis utriusque Siciliæ *Caroli*, & Sereniſſimæ Principis *Mariæ* 55. 56. *Amaliæ*. Proximus annus, qui ejus ultimus eſt, vidit Diſſertationes de Decanis & Decaniſſis, de parte hiſtoriarum Europæ poſtrema, de poſitionibus ex Hiſtoria Germanica, & tandem ad Concordatum *Henrici IV* & *Caliſti II* de inveſtituris Epiſcopo57. rum & Abbatum. Progreditur Ven. Autor ad Claſſem alteram 59. ſcriptorum, ab aliis confectorum. Adducit ejus Syllogen Documentorum veterum, Halæ impreſſam, *Ægidii Menagii* Amœ60. nitates, ſubſidia, *Actis Eruditorum Novis* præſtita. In Claſſe ter61. tia reperiuntur libri, ab *Hoffmanno* inchoati. Sic *Jo. Georg. Leiſſeri* Jus georgicum; porro Conſtitutionem de expeditione Romana, quam *Marcus Velſerus*, omnium primus, typis deſcribi curavit, notis illuſtrare ſuſcepit. Ven. Autor hoc monumentum rurſus æri inciſum exhibet, & notas, in ſchedis *Hoff*62. 63. *manni* repertas, addit. Hanc vitæ *Hoffmannianæ* accuratam 67. deſcriptionem ſequuntur Orationes omnes ejus integræ & Poe80. mata, ut in Lotharingiæ Principem, fratrem germanum ſuum, 81-97. cum Programmate Univerſitatis Viadrinæ; de ſtudii hiſtorici 113. impedimentis, quæ inprimis nobile tractat argumentum, huic137-154. que ſatisfacit; in connubium *Caroli* & *Amaliæ*; & in obitum 157-170. *Georgii Friderici Schræeri*; ac tandem *Hector*, Tragœdia, juve172-188. nili opera conſcripta. Addit huic vel amoris, vel pietatis, monumento Ven. Autor elegantiſſimam Odam, in qua mœſtiſſimam *Hoffmanni* matrem ſapienter & pie conſolatur.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCXLV.

ΦΙΛΩΝΟΣ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΑΠΑΝΤΑ, *PHIlonis Judæi Opera, quæ reperiri potuerunt, omnia. Textum cum MStis contulit, quamplurima etiam e Codicibus Vaticano, Mediceo, & Bodlejano, ſcriptoribus item vetuſtis, nec non Catenis Græcis ineditis, adjecit, interpretationem emendavit, univerſa notis & obſervationibus illuſtravit, THOMAS MANGEY, S. T. P. Canonicus Dunelmenſis.*

Volumina II.

Londini, apud Guil. Innys & Car. Bathurſt, 1742, fol.

Vol. I Alph. 8 plag. 7, Vol. II Alph. 7 plag. 15.

Dudum eſt, cum docti viri hoc in optatis habuere, ut *Philonem* aliquis & accuratiori verſione inſtruendum, & magis, quam adhuc factum erat, emendandum, animadverſionibusque illuſtrandum, ſuſciperet, qui ſatis ei rei idoneam & doctrinam, & criticam facultatem, haberet. Quare, cum ſpes, quam erudito orbi fecerat *Ericus Benzelius*, Vir Reverendus, aut ad irritum venit, aut nimis in longum trahitur, præclare fecit *Thomas Mangey*, Vir Clariſſ. multis ad eam rem rite perficiendam adjumentis inſtructus, cum animum ad *Philonem* ſua doctrina ingenioque perpoliendum edendumque adjunxit, eo eventu, ut jam *Philonem* multo, quam fuit, integriorem ornatioremque habeamus. Quod ut intelligatur, quædam de

hac *Philonis* editione, more inſtitutoque noſtro, dicemus. Id antequam faciamus, Præfationis videtur ratio reddenda, cujus maxima pars in *Philonis* vita, religione, placitisque, elegantiſſime, ex ipſius maxime ſcriptis, exponendis conſumitur.

Philo igitur ſacerdotali genere, ſed ita ſplendido, natus fuit, ut, *Euſebio II, 4*, autore, nullo τῶν ἐπ' Αλεξανδρείας ἐν τέλει διαφανῶν inferior fuerit. Sed τὸς ἐν τέλει διαφανεῖς Vir Cl. male interpretatur *magiſtratus Alexandriæ maxime illuſtres*, qui *principes dignitate*, aut *maxime illuſtres dignitate & conſpicui*, dicendi erant; ut *Philo* ipſe *adv. Flacc. pag. 991* exules, quos ante ἐν τέλει vocarat, mox ἐπιφανεςάτες appellat. Sed genus ejus maxime illuſtratur fratre *Alexandro Alabarcha*, cujus filius, *Tib. Alexander*, *Berenicen*, *Agrippæ* filiam, uxorem habuit, *Cuſpio Fado* ſucceſſor datus. Fuit autem *Philo* in re lauta & copioſa. Natus porro videtur A. U. C. 723, quæ eſt etiam *Basnagii* ſententia. Nam ipſe ſe A. U. 793, qui eſt *Caji* quartus, *ſenem* vocat, quod nomen, ex *Pirke Avoth Cap. 5* conſtat, apud Judæos non niſi ſeptuagenarios uſurpaſſe. Seniorem putare, legatio ad *Cajum* ſuſcepta non permittit. Ita ætate *Philonis* conſtituta, concidunt, quæ de fide Chriſtiana, vel recepta ab ipſo, vel repudiata, veteres quidam tradidere, recentioresque defendunt, itemque de Therapevtis, Chriſtianis, ejusque Romæ habitis ſermonibus cum D. *Petro*, qui tum, cum *Philo* Romæ erat, Hieroſolymis fuit, ibique ad mortem uſque *Herodis Agrippæ* permanſit. Judæus igitur manſit, ejus religionis per omnes libros magnus admirator, qui templo Hieroſolymitano, ejusque reditibus, æternitatem ſpondet, uti circumciſioni, aliisque Judaicis ritibus; qui Meſſiæ jam nati nuſpiam mentionem facit, ſed temporalem, merumque hominem, ſuis non uno loco promittit, &, licet plurimas divinitatis notas *Verbo* tribuat, ejus tamen perſonam eandem cum Meſſia fore, nuſpiam docet. Neque vero pro Schiſmatico cum *Bernh. Lamio* habendus eſt, (quod jam rejecit *Tillemontius*,) cum ipſe commemoret, ſe per Aſcalonæ urbis fines iter feciſſe ad precandum & ſacrificandum in templo patrio. Sectæ haud dubie fuit Phariſaicæ, admirator magis

gis Eſſenorum, quam imitator, Sadducæa autem a ſententiis plane abhorrens per omnes libros; quippe multa de natura angelorum, de reſurrectione mortuorum, quam παλιγγενεσίαν etiam vocat, de æternis præmiis & pœnis, de gratia divina, libertate non ſublata, habet. In Phariſaiſmi notis etiam allegorica ſacras literas interpretandi ratio videtur ponenda, dudum ante *Philonem* ab *Ariſtobulo*, *Eleazaro*, Pontifice, *Philone* ſeniore, omninoque Eſſenis, ut ipſe *Philo* autor eſt, tractata & culta. In quo tamen moderationem *Philonis* prædicat Vir Cl. qui paucas longius petitas allegorias habeat illa *Paulina Gal. IV, 25*, quæ tamen verba ille (poſt *Bentlejum*) pro gloſſa librarii habet, ſaltem explicari commode poſſe negat. Præfert quidem *Philo* allegoricum ſenſum literali, ſed ita, ut non auferat hiſtoriæ veritatem, de qua re inſignis locus eſt *de Migrat. Abraham. pag. 450.* Philoſophandi genere ſequitur ille quidem maxime *Platonem*, ſed habet quædam etiam e Pythagoricis, Stoicis, Pyrrhoniisque adeo, fontibus ducta, ut in Ecleſticis numerandus videatur, qui, autore *Potamone*, Alexandriæ ſub *Auguſto* floruere: quod hoc magis fit probabile, quod nullæ tum illuſtres *Platonicæ* ſcholæ vel Athenis, vel Alexandriæ, quod ſciamus, fuere, ne *Senecæ* quidem ætate (*Nat. Q. VII, 32,*) Antiſtitem Academicis habentibus. Sed maxime digna ſunt cognitu, quæ *Philo* de *Verbo*, περὶ τοῦ λόγου ſenſit, nihil illa diſcrepantia ab iis, quæ ſcriptores gentis ejus ante tradiderant, & Evangelia confirmant. Magnum enim eſt contra Judæos recentiores & Unitarios præjudicium, ſi *Philo* haud paucis annis ante D. *Joannis Pauli*que ſcripta eadem fere de hoc myſterio ſenſit. Cum enim neque a Judaica diſciplina defecerit, neque ad Chriſtianam tranſierit; teſtimonium ejus inter utramque Eccleſiam magnum pondus habeat, neceſſe eſt. De *Verbo* autem ſic ſtatuit *Philo*, ut primo *perſonam vere ſubſiſtentem & agentem*, &, ut *Ignatius* loquitur, θεοπρεπῆ faciat. Nam *de Opif. M. pag. 5* eum appellat ἀρχέτυπον παράδειγμα, ἰδέαν τῶν ἰδεῶν. Docet autem *Didymus* apud *Euſeb. P. E. XI, 23*, εἶναι τὴν ἰδέαν ἀΐδιον θεοίαν. Sane λόγος in univerſum apud veteres de ſubſtantia intellectuali dici-

tur, & *Philo* angelos Dei λόγες ejus vocat. Porro λόγον illum æternum *Philo* vocat *Dei filium primogenitum*, *Dei imaginem*, *Angelorum primum*, *mundi conditorem*, &c. quæ non nisi de substantia dici possunt. Eundem λόγον dicit visibili specie Patriarchis apparuisse, & omnes ἐπιφανείας, in Scripturis memoratas, a *Verbo*, vel filio, factas esse. Secundo huic λόγῳ *omnes divinitatis notas tribuit*; in quo genere inprimis memorabilis est locus in *libro de Profugis*: ὁ δὲ αὐτὸς ἱκέτης μέν ἐστι τῷ ὄντι κηραίνοντος ἀεὶ πρὸς ἄφθαρτον, πρεσβευτὴς δὲ τῷ ἡγεμόνος πρὸς τὸ ὑπήκοον — ὅτε ἀγένητος, ὡς ὁ θεὸς, ἂν, ὅτε γένητος, ὡς ἡμεῖς: quæ vel sola sufficiunt ad intelligendum, *Joannem* non nova, sed dudum inter Judæos recepta, docuisse, cum scriberet initium Evangelii sui. Id tamen interest inter Apostolum & *Philonem*, quod hic doctrinam de *Verbo* sub allegoriarum involucris profert, ille, in usum imperitæ multitudinis scribens, verbis simplicibus & apertis. Neque tamen negandum est, *Philonem*, Allegoricorum more, qui non semper sibi constant, in nonnullis divinitatem λόγῳ nimis deprimere videri; quæ tamen ipsa sanum & orthodoxum sensum capere possunt. Quodsi erravit, mirum non sit in Judæo; mirum potius, qui tantum viderit. Ceterum nil præsidii sententiæ suæ Ariani e *Philone* sperent. Jam illa placita de *Verbo Philo* haud dubie hausit ex interioribus gentis suæ literis, duces nactus *Davidem*, *Salomonem*, *Siracidem*, Autorem Sapientiæ, & alios. Mysterium quippe Trinitatis ab initio mundi promulgari cœpit, sed gradatim, non statim summam perspicuitatem ferente imbecillitate humana, ut *Basilius*, *Theodoretus*, *Isidorus*, & alii, recte monent. Itaque, quo serius quisque scripsit, hoc clarius de eo mysterio exposuit. *Siracides* quidem *Cap. LI v. 14* ita clare, ut *Grotius*, Socinianis plus nimio favens, eo se redactum viderit, ut spuria pronuntiaret verba: Κύριον πατέρα τῷ κυρίῳ μου. Similia porro *Philonianis* tradidit *Aristobulus* ducentis fere annis ante, ut patet ex ejus fragmentis apud *Eusebium P. E. VII, 1, XIII, 12.* Sed jam dudum ante *Aristobulum* λόγῳ personalitatem agnovere Græci sacrorum librorum interpretes, quod intelligitur ex locis inprimis iis,

ris, ubi paraphraſticas expoſitiones, a textu literali diſcedentes, afferunt, ut *Pſ. CIX*, πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησα σε, *Eſ. IX*, 6, καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτῦ μεγάλης βυλῆς ἄγγελος. Poſt verſionis igitur hujus & *Apocryphorum* editionem, non mirum eſt, opinionem de verbo ἐνυποςάτῳ univerſaliter apud Judæos obtinuiſſe; unde etiam *Orphicorum* ſcriptor, haud dubie Judæus, & Chriſtianiſmo forte antiquior, ſimilia *Philonianis* de *Verbo* protulit. In Novi Fœderis autem libris ſæpius, quam vulgo videtur, λόγον ἐνυπόςατον memorari putat Vir Clariſſ. v. g. *Luc. I, 2, Jo. V, 38, Act. XX, 32, Jac. I, 18, Tit. I, 3, 1 Petr. I, 23*, &c. Neque alia, quam *Philo*, tradunt *Onkeloſus* & *Jonathan* in ſuis Targumim, qui eodem fere, quo *Philo*, tempore vixere, de λόγῳ, *Memra* vocant, de quo *Rittangelius* ad *Jetſira*, & *Allixius de Eccl. Jud. judicio contra Unitarios*, copioſe dixere; utinam non etiam ex libro *Sohar*, opere ſpurio, nec Seculo VII antiquiori! Quodſi *Philo* e *Platone* hauſit de *Verbo* placita, unde illos Paraphraſtas dicemus hauſiſſe? Nam de *Platone* hic nulla eſſe ſuſpicio poteſt. Ex quo intelligitur, illam de *Verbo* ſententiam indigenam apud Judæos & quaſi αὐτόχθονα fuiſſe. Quod Judæi poſteriores eandem ſententiam tenuiſſe non videntur, multæ ejus rei cauſæ eſſe poſſunt. *Maimonides* quidem *More Nevoch. P. I Cap. 71* docet, multas egregias ſcientias Judæorum, partim longitudine temporis, partim infidelium populorum in Judæos dominatione, partim quod non cuivis conceſſa eſſent, periiſſe, & in oblivionem deveniſſe. Adeo igitur non probabile eſt, iſta e *Platone* ſumta, ut *Plato* potius e ſacris literis hauſerit, quod veterum plurimi tradidere. Sane per ætatem *Plato* videtur verſionem Græcam ſacrorum librorum legiſſe. *Ariſtobulus* quidem verſionem, ea, quæ ſub *Ptolemæo* confecta dicitur, antiquiorem, jamque *Platoni*, cum in Ægypto eſſet, lectam, tradit apud *Euſeb. P. E. IX, 6*. Quodſi *Philo*, quæ de *Verbo* habet Novi Fœderis ſcriptoribus conſentanea, non debet *Platoni*; multo minus debere putandus eſt, quæ de Spiritu Sancto ſcripſit ejusmodi, *de Mundi opif pag. 32, de Special. Legibus pag. 343, de Mandato decimo pag. 356*. Etſi autem Deum ſummum, Verbum æter-

num, & Spiritum divinum, ſapientiæ largitorem, ſigillatim confitetur *Philo*; non tamen tres perſonas ſub una conjungit idea, nec de earum unitate & æqualitate ſimul ita loquitur, ut inde ſacroſancti myſterii plena ſpecies effingi poſſit, adeoque nec formaliter Trinitatis myſterium tenuiſſe & tradidiſſe videtur. Ceterum *Philo* fuit longe inſtructiſſimus ab omni genere liberalis doctrinæ, niſi quod Ebraicas literas omnino ignoravit, ut recte viderunt *Joſ. Scaliger* & *Huetius*, id quod vel ex etymologiis inficetis elucet, e Græco fonte ductis, omninoque ab Ebraica ratione abhorrentibus. In morum præceptis nil ſanctius *Philone* ac verius: Decalogi interpres ſeverus & perſpicuus, quo etiam veteres Eccleſiæ Patres, etiam ubi non nominant, uſi videntur. Mira vero ſenſuum conſonantia inter ipſum & Novi Fœderis ſcriptores, *Joannem*, *Jacobum*, *Lucam*, *Paulum*, vel autorem *Epiſtolæ ad Ebræos*. Cumque, per temporum rationes, *Philonis* libros perlegiſſe poſſint, perlegiſſe Vir Clariſſ. non dubitat. Quicquid ſit, quædam adeo ſunt eadem, ut ſaltem ex iisdem fontibus hauſta ſint; cujus generis exempla & in Præfatione Vir Clariſſ. protulit, & in notis paſſim annotavit.

De *libris* editis *Philonis* & *Fabricius*, quantum ſatis erat, dixit, & *Mangæus* ad ſingulorum Caput. Sed hæc editio habet quædam, ante vel omnino non edita, vel ſaltem non in corpore librorum *Philonis*. Nam primum hic editur liber *de poſteritate Caini Vol. I pag. 226* e Cod. Vaticano; deinde *octavus*, *nonus*, & *decimus* Liber *in Decalogi mandata*, liber porro *de Juſtitia*; quod utrumque opus Vir Clariſſ. ſua manu deſcripſit e Cod. MSto perantiquo, quem *Jo. Seldenus* Bibl. Bodlej. donavit, *Vol. II pag. 335-374*. Congeſta porro ſunt *Fragmenta Quæſtionum in Geneſin & Exodum* e *Jo. Damaſceno* & Codice inedito alterius *Joannis*, *Vol. II pag. 646*. Denique capita integra *Philonis* una cum aureo *de Providentia* libello ex *Euſebii Præp. Evang.* adjunxit, adjectis inſuper ſententiis ex *Antonio*, fragmentisque aliis non contemnendis, & jam primum editis tum e Cod. Barocciano *n. 143* in Bibl. Bodlej. tum e *Catena* inedita Cod. Reg. *n. 1825* Bibl. Reg. Pariſ.

Si nihil aliud præcipui haberet hæc editio, præter hæc aucta-

auctaria, chartæque & typorum nitorem, ſatis commendationis haberet. Sed alia quoque commemoranda habemus. In contextu ubique ſecutus eſt *Mangæus* editionem Pariſ. anni 1640, quoad contextum, non abhorrentem ab editione *Adr. Turnebi*, niſi quod addita eſt verſio *Gelenii*, cum tribus Tractatibus, ab *Hæſchelio* ex unico Codice Auguſtano editis. Textum nuſpiam ex conjectura, aut unius MSti, niſi Medicei, omnium optimi, fide, mutat, ex quo etiam hiatus in textu bene multos ſupplevit. *Interpretatio Latina* eſt illa quidem *Geleniana*, ſed multis in locis correcta & ſuppleta, majori, ut ait, labore, quam ſi omnino novam feciſſet. *Libri de Vita Moſis* autem habent accuratam *Adr. Turnebi* verſionem. *Hæſcheliani* libelli *Fed. Morellum* interpretem habuere; ſed ea verſio eſt tam puerilis & barbara, ut eam pæne totam *Mangæus* immutarit. Qui autem nunc primum prodeunt libri, converſi ſunt a *Benzelio* & *Mangæo*. Ordo librorum plane alius eſt a vulgato, qui dudum a doctis improbatus fuit. Ad cujusque libri initium ratio redditur loci, cuique libro aſſignati, ubi etiam, quæ ad hiſtoriam cujusque libri pertinent, breviter traduntur. Fatendum eſt, ordinem hunc eſſe magis naturalem, & menti *Philonis* accommodatiorem, ex cujus quippe ipſius monitis inprimis hanc mutationem inſtituit. Diverſus tamen eſt & ab eo, quem *Fabricius* ὁ πάνυ excogitavit in *Bibl. Gr.* Eum, nos haud alienum putavimus, huc transferre, profuturum fortaſſe vel ſic iis, qui hac tam cara editione uti non poſſunt: *Vol. I* 1) *de Mundi opificio*; 2) *Sacrarum Literarum allegoriæ Lib. I, II, III*; 3) *de Cherubim & flammeo gladio*; 4) *de ſacrificiis Abelis & Caini*; 5) *de eo, quod deterius potiori inſidietur*; 6) *de poſteritate Caini*; 7) *de Gigantibus*; 8) *quod Deus ſit immutabilis*; 9) *de agricultura*; 10) *de plantatione Noe*; 11) *de ebrietate*; 12) *quod reſipuit Noe*; 13) *de confuſione linguarum*; 14) *de migratione Abrahami*; 15) *quis rerum divinarum hæres*; 16) *de congreſſu quærendæ eruditionis gratia*; 17) *de profugis*; 18) *de nominum mutatione*; 19) *a Deo mitti ſomnia Liber I, II*; *Vol. II* 20) *de vita Abrahami*; 21) *de vita viri politici, ſeu Joſephi*; 22) *de vita Moſis Liber I, II, III*; 23) *de Decalogo*; 24) *de*

24) *de circumciſione*; 25) *de monarchia Lib. I, II*; 26) *de præmiis ſacerdotum*; 27) *de animalibus ſacrificio idoneis*; 28) *de ſacrificantibus*; 29) *de mercede meretricis*; 30) *de ſpecialibus legibus*; 31) *de ſeptenario*; 32) *de ſpecialibus legibus ad 6, 7, præceptum*; 33) *de ſpecialibus legibus ad 8, 9, 10*; 34) *de juſtitia*; 35) *de conſtitutione Principum*; 36) *de fortitudine*; 37) *de humanitate*; 38) *de pœnitentia*; 39) *de præmiis & pœnis*; 40) *de execrationibus*; 41) *de nobilitate*; 42) *quod omnis probus liber*; 43) *de vita contemplativa*; 44) *de mundi incorruptibilitate*; 45) *adverſus Flaccum*; 46) *Legatio ad Cajum*; 47) *de mundo*; 48) *Fragmenta*. In capite *libri adv. Flaccum* refellitur *Valeſius* ὁ πάνυ, qui ad *Euſeb. H. E. II, 5, 6*, multis hoc egit, ut hunc librum *Legationi* poſtponendum vinceret, eumque eſſe ipſam illam *Palinodiam in Cajum*, cujus mentio fit in Legatione extrema. Nam iſta omnia, quæ *Valeſius* diſputat, convincuntur una temporum ratione, cum ſatis conſtet, *Flaccum* jam relegatum fuiſſe in inſulam Andrum anno *Caji* ſecundo, (vid. ad *Or. Flacc. pag. 525 not. l* & *pag. 540 not. c*,) Legationem autem ad quartum annum pertinere. Illud vero recte concludit *Mangæus* ex initio illius libri, ſimilem librum a *Philone* in *Sejanum* ſcriptum fuiſſe, eumque intercidiſſe. *De Mundo* librum, monet, non eſſe proprie *Philonis*, ſed collectionem eorum, quæ *Philo* ſparſim de mundo creato, ſed non interituro, dixit; inprimis maxima pars deſumta eſt e libro de incorruptibilitate mundi, cujus collatione etiam *Mangæus* plurima menda ſuſtulit, quæ Græce doctiſſimum *Guil. Budæum* fugerant, qui iſtum libellum Latina verſione donavit, a *Mangæo* ſervata. Quid *Budæus* in textu emendando præſtiterit, intelligitur ex epiſtola *Budæi* de ea re, ex avtographo nunc primum edita.

In emendando contextu uſus eſt Vir Clariſſ. 1) Codice Vaticano *n. 1521*, qui largam meſſem variarum & meliorum lectionum ſuppeditavit; 2) tribus Codicibus e Bibl. regia Pariſ. *n. 1895, 2250, 2251*, qui egregiæ notæ videtur; 3) collatione Codicis *Coiſliniani n. 43*, accepta a *Thoma Carte*, Viro Cl. a quo etiam acceſſit excerpta e *Joanne* Monacho & Catena inedita; 4) collatione

tione Codicis Auguſtani, cujus opera *Hæſchelius* uſus erat in tribus *Philonis* libellis edendis, quam debet Cl. *Wolfio*, Hamburgenſi; 5) quatuor Codicibus Anglicanis, quos ipſe contulit; 6) collatione Codicis Medicei, omnium præſtantiſſimi. Sed, quia eam collationem accepit, cum jam magna pars Operis prelum ſubiiſſet, petitas ex ea emendationes demum in addendis & corrigendis poſuit; 7) *Philone* edito, cujus margo ab *Erico Benzelio*, Viro Clariſſ. Variis Lectionibus Codicis Auguſtani & Seldeniani repletus erat, tum obſervationibus in *Philonem*, ex quibus quæ huic editioni inſeruit, nomine *Benzelii* notata ſunt; 8) Commentario de libris *Philonis*, quem *Eduardus*, Epiſcopus hodie Dunelmenſis, ſcripſit, e quo multum ſe profeciſſe fatetur. Adjutus eſt etiam conſiliis & conjecturis *Marklandi* & *Tayloris*, Virorum Græce doctiſſimorum.

Jam Notæ, in univerſum quidem, ſunt tales, ut neque multitudine ſupervacua, aut verboſitate, librum onerent, neque nimia aut ſiccitate lectores fatigent, aut raritate deſtituant. Pleræque in conſtituenda textus lectione verſantur, quod genus maxime deſideratur a doctiſſimis, eæque etiam moderatione quadam commendantur; qua ſervata, tamen multa loca e MStis feliciter ſunt reſtituta. In conjecturis tamen, Britannico more, juſto audacior *Mangæus* reperitur. Neque tamen res negliguntur, ſed, quæ aliquid obſcuritatis habere apud lectores non doctiſſimos videantur, ea eleganter plerumque, ſed breviter tamen, ſine omni oſtentatione, explicantur & illuſtrantur. In quo tamen fatendum, interdum de rebus hodie ſatis notis & vulgatis animadverſiones proponi. Sæpe etiam *Philonianæ* loquendi formæ & ſententiæ cum ſtilo Novi Teſtamenti comparantur. Quo loco ſubit mirari, qui factum ſit, ut, cum tot viri docti in ſtilo Novi Teſt. illuſtrando laborarint, in eoque modo *Xenophonte*, modo *Polybio*, modo aliis, uſi ſint, interdum parum feliciter, nemo inſtituerit eum cum *Philone* comparare, qui ceteris ſcriptoribus Græcis omnibus eſt accommodatior, quemque maxime legere debebant, qui Novi Fœderis libros interpretari inſtituunt. Sed ad eam comparationem plurimum profuturum erat, ſi doctiſſimo *Mangæo* placuiſſet,

indicem verborum Græcum adjicere, quales hodie ita mos eſt accedere, ut lectores in novis editionibus tanquam debitos requirant. Nam ita multi potuiſſent formas dicendi in Novo Teſt. *e Philone* illuſtrare, etiam, ut in aliis Autoribus fit, non lecto *Philone*. Sed, niſi labor moleſtus Virum doctiſſimum deterruit, forſan voluit ignavum, pecus fucos, a præſepibus his arcere. Nunc, cum de Notis univerſe diximus, ex iis etiam quædam libata Lectoribus proponemus. Sed, quoniam maxime apud omne genus doctorum hominum in pretio eſſe debent *Oratio in Flaccum* & *Legatio ad Cajum*, ad hos libellos quæ dicta ſunt, maxime excutiemus, non neglectis tamen iis, qui ſunt *de Eſſæis & Therapevtis*.

Jam primum, ut ad textum Græcum redeamus, fatemur quidem, ut antea diximus, multa e Codicibus MStis eſſe feliciter reſtituta, in eoque conſtituendo laudabilem moderationem adhibitam eſſe; ſed vehementer tamen deſideramus omnis varietatis, in Codicibus MStis obſervatæ, enarrationem, quæ vel plura loca reſtituendi facultatem, vel certe conjecturis locum, erat datura. Nihil Cl. *Mangeo* detractum volumus; ſed omnes tamen vident, non eſſe hoc vel exſpectandum, vel poſtulandum, ut unus omnia videat, nihil in tanto opere aliis poſt ſe reperiendum relinquat. Itaque recte hoc inſtituerunt a jam ſatis longo tempore doctiſſimi in hoc genere homines, ut omnem varietatem lectionis cum fide repræſentari curent; quam conſuetudinem, non erat, quare Vir Doctiſſ. relinqueret, præſertim in eo Autore, qui adhuc parum a viris doctis tractatus eſſet. Ceterum vellemus, textum paulo correctiorem a mendis typographorum eſſe. Sæpe interpunctiones male turbatæ, ut *Tom. II pag. 568 lin. 26*, ſæpe verba corrupta, ut *ibid. pag. 588 lin. 26 ſeq.* tribus verſibus bis peccatum. Sed tamen, quicquid in eo genere peccatum eſt, id, quoad nos obſervavimus, raro eſt ejusmodi, ut lector Græce mediocriter doctus turbari poſſit. Quod autem ad verſionem Latinam attinet, ante vidimus, quid in ea Vir Clariſſ. præſtare ſuſceperit. Neque in eo ſua eum laude fraudare animus eſt; qui etiam libenter, quæ in ea peccata

cata ſunt, condonamus, non ignari, quam difficile ſit, in hoc genere nihil omnino peccare. Illud autem nullo modo probari poteſt, quod Vir doctus interpretationem perſæpe ad conjecturas ſuas, de lectione textus, potius accommodavit, quam ad lectionem vulgatam. Quodſi id in iis tantum locis feciſſet, ubi manifeſte vulgata eſt corrupta, neque ullus ſenſus ullo modo ex ea erui poteſt, de eaque te monuiſſet in notis, eſſet fortaſſe, ut ea res ferri poſſet; nunc id fecit, ubi nulla emendandi cauſa erat, ipſæque adeo conjecturæ inanes, ſi excuſſeris, reperiuntur. Id ne temere dixiſſe videamur, age, exempla ex multis quædam in medium proferemus, ex paucis omnes paginis, in quas primum incidimus. *Vol. II pag. 550. Legat. ad Cajum* pro ἡγεμονίας legendum ſuſpicatur συγγενείας, ſola conjectura aliqua inductus; ecce, in verſione ſunt *cognati*, cum tamen illa conjectura inaniſſima ſit. Nam quinam ſunt illi, quos *Caligula* ſuſtulit, quod verebatur, ne ad eos ἐθελοκακοῦντες καὶ ἐν ὑποψίαις ὄντες inclinarent? Nempe nepos *Tiberii*, qui unus a *Philone* commemoratur ſublatus. Atqui hic erat, ut *Philo* ait, a *Tiberio* κοινωνὸς ἀπολειφθεὶς τῆς ἀρχῆς καὶ διάδοχος *pag. 549*, eique dicit *pag. 550* init. ἡγεμονίαν a *Cajo* ablatam, ἣν ἔσχεν ἤδη, unde eum etiam συνάρχοντα vocat. Manifeſtum igitur eſt, recte legi vulgo: μηδενὸς ἔτι λειπομένου τῆς ἡγεμονίας, & ſenſum eſſe, *nullo reliquo, ad quem imperium pertineret. Pag. 554* init. dicit *Cajus*, quemadmodum ad liberos propagentur reliquæ ὁμοιότητες σώματος καὶ ψυχῆς, ſic etiam τὴν πρὸς ἡγεμονίαν ἐμφέρειαν, id eſt, ὁμοιότητα. Quis hic aliquid deſideret? At *Mangæus*: Melius forſan εὐφυΐαν, quod minus ante ſuperioribus reſpondet, idque in interpretatione exprimit *habilitatem ad imperium. Pag. 555* occurrunt λείψανα ψυχικῶν πνευμάτων in moribundo: *reliquiæ animalis ſpiritus*. Nihil hic dubium eſſe credas. At *Mangæus* conjicit: συγγενικῶν. Itaque interpretatio habet *cognatum ſpiritum. Pag. 557*, cum *Philo* dixiſſet, *Cajum* inſignia plurium Deorum aſſumſiſſe, ſubjicit: καίτοι τί παραπήμων ἔδοι σοι, οἷς ἔθος ἀρκεῖσθαι τὰ τῶν ἀρημένων ἀφιδρύματα; ἐχρῆν γὰρ ζηλῶν τὰς ἐκείνων ἀρε-

τάς. Non credidiſſemus, hic aliquem mediocriter Græca ſcientem hærere, & aliquid corruptelæ ſuſpicari, poſſe. At Noſter audacter emendat: ἀσκεῖσθαι, vel ἐνσκευάζεσθαι, *ornari*, idque in Latina verſione ponit; cum multo elegantius ſit ἀρκεῖσθαι: quo indicatur, inanima ſimulacra his inſignibus contenta eſſe, cum nihil virtutis illorum inſit; ipſum autem virtutes potius æmulari oportere. *Pag.* 562 ὑφ' ἧς ἡμεῖς οἱ πρότερον ἀτυχεῖς ἐπορθήμεθα, *quæ nos, jam antea ſatis miſeros, perdidit.* Noſter vero putat, legendum eſſe ἐυτυχεῖς, idque in verſione poſuit. Talia innumerabilia deprehendere licet. Sed, in verſione etiam interdum peccatum eſſe, vel negligentia, vel Græci ſermonis ignorantia, his exemplis intelligetur. *Pag.* 543 extr. manca eſt interpretatio. Omittuntur enim omnino hæc verba: καὶ σὺν ἀπραγμοσύνῃ καὶ ἐυσταθείᾳ ζῆν δυναμένων; ὃς ἄτοπον εἶναι τρυφᾶν. *Pag.* 543 in verſione omiſſa ſunt verba: ἀι, χρόνῳ δέον ἁμαυρῶσθαι, παρήγοντο μᾶλλον. *Pag.* 544 extr. τοιαῦτα καὶ Φλάκκος ἔπαθε, *hæc ſunt, quæ Flaccus pertulit*, omiſſo τῷ καὶ, quod refertur ad librum eum, qui de *Sejano* fuit, in quo ejus injurias in Judæos, ejusque exitum, explicarat. *Pag.* 550 *lin.* 5 in verſione omiſit: ἀδεὲς ἔτι πεφρεντικώς. *Pag.* 579 extr. ἔπειται πρόσοδοι καὶ δεήσεις, οἵας ὁ καιρὸς ὑπέβαλε, *ſecutæ ſunt* compellationes *& preces, quales dictavit occaſio.* Male. Πρόσοδοι non ſunt *compellationes:* quid enim hic *compellationes?* ſed *ſupplicationes*, de quibus πρόσοδοι in utramque partem dicuntur. Sic habet *Demoſthenes de Corona Cap.* 27 πρόσοδός καὶ θυσίας, *ſupplicationes* & *victimas;* ubi tamen de ſupplicatione, quæ & *gratulatio* dicitur; hic autem eſt de ea, quæ & *obſecratio.* Gloſſæ Vet. πρόσοδοι, *ſupplicium.* Neſcimus etiam, quid ſibi velint *ſigillariorum præſtigiæ*, quibus verbis interpretatur *pag.* 446 τὰ ἐν θαύμασι. An *ſigillarii* ſunt forte θαυματοποιοὶ? Sed quis hoc verbo ita uſus eſt? Dein τὰ ἐν θαύμασί ſunt mirabiles, ſed falſæ, narratiunculæ. Sed eodem loco ἀμφιθαλεῖς male vertuntur: *bene nati & patricii.* Conjecturæ de emendando contextu ſunt prope infinitæ; ſed in his paucæ, noſtro judicio, quæ inſignem ſpeciem habeant.

Atque

Atque adeo ſunt, in quibus graviter grammaticæ leges violantur. *Pag. 561 Philo* ait: ὡς, εἰ σύμπας ἄργυρος καὶ χρυσὸς συνεχυθείη, πολλῷ καταδεέστερος ἂν εὑρεθῆναι. Hic legendum cenſet *Mangæus* καταδεέστερον, cum longe elegantior ſit nominativus infinitivo junctus, quia hoc adjectivum ad nominativos ἄργυρος καὶ χρυσὸς refertur. Piget, in re tironibus nota & trita hodie, exempla proferre. Multo autem pejus eſt, quod *pag. 575* pro ἀναξαθέντες reponi vult ἀνισωθέντος, quod paulo ante ſit ἰσῶσι. Qui in recenſendis priſcis libris verſantur, cum in verbo aliquo hæſerunt, fere a dubitatione liberantur, & a corrigendi conſilio abſtrahuntur, ubi id ſæpe eodem ſenſu ac modo pluribus in locis reperiunt, conſtanterque a Codicibus & editionibus repræſentari vident. At *Mangæus* contra, iis rebus nihil motus, omnibus locis mutat. Itaque ſæpiſſime pro γενεὰς reponit συγγενείας, pro διαγνὲς, διαναγνὲς, pro ἐπιβλὰς, ἐπιβολὰς, pro βέλημα, βέλευμα, pro ὀργὴ, ὁρμὴ, &c. Jam, ſi omnes conjecturas inanes referre & refellere vellemus, quæ ad illos ſupra dictos libellos quatuor reperimus, dicendi finem non reperiremus. Paucis exemplis hoc magis Lectores erunt contenti, cum quædam jam paulo ante, cum de interpretatione diceremus, allata ſint. In libro *adv. Flacc. pag. 520*: Διονύσιοι δημοκόποι, λάμπωνες, γραμματοκύφωνες, Ισίδωροι ξασιάρχαι &c. Pro Διονύσιοι reponendum conjicit Διονυσιοκόλακας, ex *Athenæo* notos. Quare? Scilicet, quia ſequitur δημοκόποι. An vero non videbat, hic nomen proprium cum attributo requiri, ut in ſequentibus λάμπωνες & Ισίδωροι cum ſuis attributis ponuntur? *Ibidem*: ὀφείλων ἀπώσασθαι ὡς νεωτεροποιὲς καὶ κοινὲς πολεμίους. Sana & clara omnia. At Noſter legerat bis apud *Philonem* κοινὴν λυμεῶνα. Quid ergo? Legi jubet: κοινὲς λυμεῶνας. Hoc eſt ſapere. *Pag. 529*: Ιουδαῖοι μαστιγέμενοι, κρεμάμενοι, τροχιζόμενοι καταδικαζόμενοι, διὰ μέσης τῆς ὀρχήσεως ἀπαγόμενοι τὴν ἐπὶ θανάτου. Hic offenditur Vir Doctiſſ. verbo καταδικαζόμενοι. Nempe ordo rerum non ſinit, ut poſt ſupplicium verba demum καταδικάζεσθαι dicantur. Hoc eſt argutari. Non ita ſubtiliter ordinis ſunt ſtudioſi ſcriptores. Deinde

Deinde, quæ præcedunt, non capitis pœnæ, ſed caſtigationes, ſunt; nam, ad ſupplicium adductos eſſe, poſt demum dicit. *Pag. 541 Philo*, de Præfecto Ægypti loquens, Ægyptum vocat εὐδαιμονεςάτην χώραν, id eſt, locupletiſſimam. Id non placet *Mangæo*, ſed magis probat lectionem Codicis Medicei & Vaticani ἡγεμονεςάτης, hoc eſt, in qua quis late imperet, propter provinciæ magnitudinem. Verum non vidit, eam lectionem ortam e præcedenti verbo ἡγεμών, errante librarii oculo. Nam hic ſuperlativus primo non de regione, ſed de imperante, adhiberi poſſet; deinde ne quidem eſt uſitatus. Εὐδαιμονέςατος autem ita late dicitur, ut omnia bona & opportunitates provinciæ complectatur. *Pag. 543* ὀργαὶ χρόνῳ παρήγοντο, non abſurde, ſed tamen non neceſſario, mutari vult in παρεθήγοντο: nam & illud ſignificare poteſt *intendebantur*. Illud autem temerarium & inane, quod in verbis γαίος εἰς ἔννοιαν ἦλθε τῶν ἐν τέλει Φυγάδων, conjicit μνήμην. *Pag. 547 Legat. ad Cajum* præter neceſſitatem ἠγάθησαν mutari vult in ἠγαλλιάθησαν. *Pag. 549*: τῷ συγκληρονόμων καὶ κοινωνῶν δικαίῳ ἐπεβάλευσεν. Hic legi vult: συγκληρονόμῳ καὶ κοίνωνῷ δικαίων. Nam & *Philo* paulo ante habet: τὰ πρὸς τὸν κοινωνὸν δίκαια. Sed τὰ δίκαια π. τ. κ. ſunt *officia in collegam imperii*, quæ huc non quadrant. Legendum potius videtur: τῷ συγκληρονομεῖν καὶ κοινωνεῖν δικαίῳ ἐπεβάλευσεν, *inſidiatus eſt ei, qui cohæres & particeps imperii eſſe debebat*. Fefellit Virum doctum modus loquendi, obvius tamen & in vulgaribus Lexicis notatus. *Pag. 551 Tiberio* tribuitur ἄλεκτος ἐπὶ τῷ ὑιωνῷ Φόβος. Codex Vaticanus & Collegii Novi habent ἀλλόκοτος. Hæc varietas orta erat e præcedente: ἀλλόκοτα. Sed hinc arripit Vir Clariſſ. occaſionem emendandi, & legi vult ἄλεκτον Φόβον. Atqui *Philo* non tam videtur dicere voluiſſe, *Tiberium* in *magno timore* fuiſſe, ſed in *perpetuo*, eumque tandem exemtum eſſe a *Macrone*. *Ibid.* ἐν τοῖς εἰς Γαΐον ἐπαίνοις, εἰ δεῖ καλεῖν ἀξίας ἐπαίνε τὰς ἀπολογίας &c. *Mangæus* legendum cenſet καλεῖν ἄξιον ἐπαίνες τὰς α. Sed hæc emendatio eſt imperfecta. Nam quid fiet τῷ δεῖ, quod in hac lectione ſtare non poteſt, in qua intelligitur ἐςί. Erit igitur

igitur legendum ἐι δὴ κ. Sed vulgatam forte quidam ſic capient, ut ἀξίας ἐπαίνυ ſit *dignas laudis nomine.* Certe triplex illa in paucis verbis mutatio ſine ullo indicio MStorum Codicum dura eſt. *Pag. 556*: Δεσμὸς ὅικων ὀθνείων αἱ ἐπιγαμίαι, τὴν ἀλλοτριότητα εἰς οἰκειότητα συνάγων, ἔ λυθέντος, λέλυται καὶ τὰ τῆς κοινωνίας. Ita editiones & ſcripti omnes. Noſter autem apud *Antonium Meliſſ. Serm. 64* reperit μετάγουσαι pro συνάγων, ut referatur ad ἐπιγαμίαι, idque ita probavit, ut in contextum contra fidem in Præfatione datam receperit. Male. Nam melius eſt συνάγων, referrique debet ad δέσμος, quod eſt verbum principale: idque etiam ex eo patet, quod ſequitur ἔ λυθ. Satis autem conſtat, ſcriptores in laudandis aliorum locis e memoria ſcribere, & verba ſimilia permutare. *Ibid. Philo* ait, interfectis *Druſo*, *Macrone*, & *M. Silano*, *Cajum* exiſtimaſſe, cum potentiſſimos ſuperaviſſet, καταπληκτικώτατον θεὸς ἐνεργάθαι τοῖς ἄλλοις ἅπασι. *Mangæus* ad h. l. *pro* ἐνεργάσασθαι, *melius*, *opinor*, ἐνεργάσεθαι. Immo vero pejus. Primo ἐνεργάσασθαι non eſt in textu, ſed ἐνεργάσθαι. Utrumque autem melius eſt eo, quod ipſi placet. Sermo enim eſt de factis, non de futuris. *Pag. 558 Druſus*, *Tiberii* nepos, vocatur *Caji* ἀδελφός. Hic reponi e Codice Auguſtano vult ἀνεψιός Sic enim idem paulo ante vocatur. Sed Auguſtani Codicis lectio eſt gloſſa lectionis veræ. Nam & ἀνεψιοὶ ἀδελφοὶ, ut conſobrini & patrueles, apud Latinos, fratres; quod etiam tironibus hodie notum. In eo autem loco etiam majorem vim habet, & invidioſius eſt, objicere fratris, quam patruelis, cædem. *Pag. 562* narrat, *Cajum*, ſe pro Deo haberi, voluiſſe, & addit: ὅπερ ἀσεβημάτων ἔκρινεν εἶναι χαλεπώτατον. Illud ἔκρινεν ſane ſtare non poteſt, nullum ſubjectum habens, ad quod referatur. *Mangæus* igitur legendum putat: κρίνω, non male, qua ſenſum, ſed non eſt hic uſitatus loquendi modus. Uſitatius erit ἔσπευν. *Pag. 570* extr. Heliconem *Philo* inducit ſecum ſtatuentem jocis aculeos quosdam immiſcere, ὡς μὴ γέλωτα κινεῖν μόνον ἀλλὰ καὶ πικρίαν ἐκ τῦ κακχυπόνυ. *Mangæus* vult κακόνυ: quod nihili eſt ad vulgatum. Quid enim eſt *odium movere e malevolentia*, quod etiam in verſione Latina apparet.

Nos

Nos non intelligimus. Sed ἐκ τῆ καχυπόνε eſt, *malis ſuſpicionibus injiciendis.* Verbum autem καχυπόνες, quare ſuſpectum ſit, non apparet, quod nihil analogiæ repugnans habet. *Pag. 576* προμαθὼν δὲ ακριβῶς τὰ μέλλοντα ὡς ἤδη παρόντα καὶ τὰ γενησόμενα, ὡς χειριώμενα. MSti: ἐ. χειρὶ ἐσόμενα. Inde *Mangæus, forſan*, ait, ἐν ἀκαρεῖ ἐσόμενα. Male. Primo ſcire velimus, an omnes Codices habeant ἐν χειρὶ ἐσόμενα? Quod ſi eſt, & Vir Doctiſſ. improbat lectionem vulgatam, cur non recepit? Si quidam tantum, ut nobis videtur, cur non nominavit? Manifeſta illa MStorum lectio eſt gloſſa lectionis vulgatæ χειριώμενα, vel χειρώμενα, quæ multo melior eſt conjectura propoſita. *Certa* etiam Latinis dicuntur eſſe ſic, ut ea, *quæ manibus tenentur.* Ceterum negandum non eſt, quasdam etiam, ſed eas perpaucas, ſatis probabiles eſſe, ut cum *adv. Flacc. pag. 521* νᾶυς ευτρεπεῖς πρὸς ἀναφυγὴν legit pro ἐυπρεπεῖς, *pag. 524 not. a* ὃ πατρίδας pro πατρίδας, *pag. 534* & *539* πύξιν pro πίξιν, adjuvantibus Codicibus MStis, *pag. 545 Legat. ad Cajum* τὰ παρόντα θεραπεύειν απροσεράτους τῶν μελλόντων ἔχοντας, pro βεαβεύειν, & in verbis, ἀισθήτει πεπλανημένη χρωμένες πρὸ διανοίας ἀφανῆς, pro ἀφανὲς, ἀπλανὲς, *pag. 547* in verbis ἄργυρον καὶ χρυσὸν, τὸν μὲν ὡς ὕλην, τὸν τὲ ὡς νόμισμα, τόν τε ὡς προκόσμημα δι ἐκπωμάτων καὶ τινῶν ἑτέρων, pro πρεβόσκημα, quo verbo *Philo* aliquoties utitur: item quod *pag. 469* in libro *Quod omnis probus liber* pro λαχάνων reponit λαγάνων, & *pag. 446* οἰκότριψι pro παιδότριψι, &c.

Jam, quod ad ceteras Notas attinet, quæ ad illuſtrandum *Philonem* pertinent, in his pleraque non nimis exquiſita ſunt, quædam etiam repugnantia & falſa. Suſpectum etiam nobis eſt, quod *Suetonium* modo ſecundum Libros laudat, modo ſecundum nomina Imperatorum. Sic eundem locum *Vol. II pag. 568* laudat *Tiber. 36 pag. 569, Lib. III Cap. 36 pag. 518, Lib. II Cap. 32 pag. 568 Aug. 53.* Quis eſt porro *Philo de Legat. X, 14*, quem laudat *pag. 565? Pag. 527 not. x* citat notam ad *pag. 907*, ſed ibi quoque nos amandat ad *pag. 907. Pag. 520 not. r* in *Sapient. Sal. XVI, 6*, reponi vult σύμβολον.

Atqui

Atqui id jam ibi in bonis editionibus, ut *Boſiana*, exhibetur. Jam notæ de *collegiis Romæ prohibitis pag. 518*, *de εὐεργέτης cognomine pag. 549*, de aſſeſſoribus Magiſtrorum provinciarum *pag. 582*, de apoſtolis *pag. 588*, de auro Judaico *pag. 578*, & utraque nota exſcripta eſt e *Gothofredi* ad *Cod. Theod. XVI, 8*, & aliæ his ſimiles, hodie ſupervacuæ in talibus editionibus. Falſum porro eſt, quod *pag. 544* ἀνάλυσιν explicat *reditum*, etiam *2 Tim. IV, 10*, & aliis locis, cum ſimpliciter iter abeuntis e loco ſignificet, ut demonſtrat *Bos* ad *l. c.* Item, quod *pag. 572* negat, πρὸ ὀλίγου ſignificare poſſe *ante biennium*. Cum *Philo*, quadraginta annos *pag. 575* ἀπείρους χρόνους contraria ratione dicat, notumque ſit, etiam apud Latinos *nuper*, *modo*, de multorum annorum tempore dici, neque iſta eſſe ad vivum reſecanda. Nec ferendum, quod *pag. 592*, ubi *Philo Liviæ* ſub *Juliæ* nomine mentionem facit, ſcribit: *Videtur Juliam pro Livia ponere, ut Suet. Calig. Cap. 23, licet ex cognomento Julia eſſet appellata.* Hæc non niſi imperitiſſimo hiſtoriæ Auguſtæ, & rudi a lectione *Suetonii* & *Taciti*, excidere poſſe putes. Occurrit etiam aliquoties in notis *ſuicidium*, non *cædes ſuis*, ſed *ſui ipſius*, ne quis erret. Reperias etiam *didrachmata pag. 578*. Repugnantia porro *de Proſeuchis Vol. II pag. 168 & 565* traduntur. Nam priori loco oſtendere inſtituit, proſeuchas proprie a Synagogis differre, ſic, ut hæ intra muros, illæ extra muros, ad mare fluviumve, ſint, in quo etiam utitur noto *Epiphanii* loco. Sed hæc refelluntur loco poſteriori, & ipſe ille *Epiphanii* locus. Neque erat, cur *pag. 568* hæreret in loco, ubi *Auguſtus* dicitur de nunquam *Dominum Deumve* dici paſſum eſſe; quod *Suetonius* aliique tradunt, eum honores divinos templorum & victimarum accepiſſe. Nam aliud eſt, honores eos recipere, quibus heroes etiam affecti & illuſtres viri, aliud nomen Dei. Aliquoties etiam tentat loca Novi Teſt. e quibus referre lubet unum *Act. II, 9*. Eo loco, cum aliis profanorum ſcriptorum, utitur ad illuſtrandum id, quod *Philo Legat. ad Cajum pag. 587* dicit, Judæos maximam terrarum partem habitare. Ibi inter populos ab Hieroſolymis remotos memorantur οἱ κατοικοῦντες Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκ-

παδον. quod non ſine ratione dubium videtur. *Auguſtinus* quidem, ut notum eſt, legebat ἀγμενίαν: *Mangæus* autem, ſi Codices addicerent, legere mallet χιλιάδων, cujus mentio etiam *Act. VI, 19*, & apud *Philonem l. c.* Eſt etiam, ubi aut non ſatis verſatum in recentiorum Criticorum libris, aut non ſatis diligentem in locis difficilibus illuſtrandis, reperias. In *Legat. ad Cajum Philo* dicit, *Pilatum* Hieroſolymis poſuiſſe in Prætorio, hoc eſt, *Herodis* regia, auratos clypeos, ſed ſine ſpecie, tantum cum titulo, in quo & dedicantis, & ejus, cui dedicati eſſent, nomen ſcriptum legeretur. Huic videtur repugnare *Joſephus*, qui imagines fuiſſe poſitas, dicit. Hos ſic conciliare ſtudet, ut, utrumque de diverſa re & diverſis temporibus loqui, dicat. Ignorabat autem ea, quæ de hac re *Weſſelingius*, Vir Clariſſ. *Obſ. I, 17, pag. 64 ſeq.* diſputat, haud dubie probabiliora iis, qui clypeorum veterum rationem perſpectam habent, in hanc ſententiam, ut in illis *Pilati* clypeis *Cæſaris* imagines fuerint, ſed res callide & oratorie a *Philone* extenuetur. Porro *in Flaccum* dicitur *Auguſtus* Judæis in Ægypto inſtituiſſe Senatum μετὰ τὴν τοῦ γενάρχου τελευτήν. Ea verba in *Gelenii* verſione plane omiſſa ſunt. *Mangæus* vertit: *poſt obitum generis ſui principis*, intelligens *Julium Cæſarem*. Sane *Heſychius* & Gloſſæ γενάρχην interpretantur *patrem*. Eo ſenſu eſt etiam alibi apud *Philonem*. Sed quis inde ſenſus? Sane *Auguſtus* omnia poſt *Cæſaris* mortem fecit. Frigidiſſimum eſſet, de re duodecim amplius annis poſt ejus mortem facta dicere, eam poſt *Cæſaris* mortem inſtitutam. Neceſſe eſt igitur, γενάρχης *h. l.* alium ſenſum habeat. Atqui idem ille *Weſſelingius* in Diſſ. *de Archontibus Judæorum*, quam *Mangæus* in Præfatione laudat, oſtendit, de *Ethnarcha* ſermonem eſſe, & *Philonem* cum *Joſepho* conciliat. Quomodo ergo iſtud non vidit, aut non retulit? Sed finis tandem faciendus eſt. Et ſatis arbitramur ex his, quæ diximus, de Opere toto ſtatui poſſe.

CALLIMACHI HYMNI ET EPIGRAMmata, quibus acceſſerunt THEOGNIDIS Carmina, nec non Epigrammata CLXXVI ex Anthologia Græca, quorum

quorum magna pars non ante ſeparatim excuſa eſt. His adjuncta eſt GALENI Suaſoria ad artes. Notas addidit, atque omnia emendate imprimenda curavit, Editor.

Londini, impenſis Guil. Thurlburne, 1741, 8.

Plag. 19.

Hi libelli junctim editi ſunt in uſum juventutis *Φιλέλληνος*. Itaque de iis, nihil eſſet, quod diceremus; niſi Editor in *Callimachum* notas addidiſſet, de quibus ipſe non contemtim ſentit. *Notæ meæ*, inquit, *cum voluptate & fructu, ni fallor, legentur. Sunt enim pleraque in eis intacta & nova, &, niſi nimis blandi ſunt amici, vera.* Callimachum *ipſum ſæpe illuſtravi, emendavi etiam aliquoties non infeliciter.* Quod ad emendationes attinet, ea ab ingenio Viri Clariſſ. profectæ ſunt. Nam, Codicem *Callimachi* MStum nunquam ſe vidiſſe, fatetur. Veteres autem editiones, commodante *Richardo Mead*, Viro Clariſſ. ſe conſuluiſſe dicit. Verſionem Latinam, quæ in *Graviana* eſt, non mutavit. Cujus rei tamen ipſum poſtea pœnituit, cum tot tantosque errores in ea admiſſos vidiſſet. Ergo ante non inſpexerat. Ceterum, in notis ſe eam ſæpe correxiſſe, dicit, &, totam emendaturum in ſecunda editione, promittit.

Jam de interpretatione Latina fatemur, eam paſſim ab ipſo feliciter emendatam eſſe, ſed plerumque tamen ita emendarant jam alii. Quod autem ad notas attinet, primo miramur, quare Vir doctus non uſus ſit iis, quæ alii paſſim, inprimisque *Arnaldus*, Vir Clariſſ. ad *Callimachum* illuſtrandum emendandumque ſcripſere, in quibus ſane non pauca ſunt probanda; deinde, quæ ille primus videtur attuliſſe, ea neque adeo multa ſunt, neque, maximam quidem partem, ſatis recta. Nam, ſi quis Scholia Græca, & ſuperiorum interpretum obſervationes, legerit, pleraque inveniet ſibi jam nota; nova autem qui diligenter excuſſerit, pauciſſimis profecto, aut omnino nullis, calculum ſuum adjiciet. Denique, ſi qui ſatis verſatus erit in *Calli-*

nucho, quædam etiam ab eo intacta, neque satis aut illustrata, aut constituta, reperiet.

In *Hym. in Jovem v. 35* ἐὰ μὲν τότε μαιώσαντο, recte monet, μὲν ad *Rheam* pertinere, non ad *Jovem*, ad quem Latina versio refert, atque adeo esse vertendum: *quæ ipsam tunc parturientem curabant.* Sed hoc jam *Stephanus* vidit, qui interpretatus est, *quæ ipsi obstetricabantur. V. 47*, κείμενον, dicit, vertendum *sopivit*, non *circumtulit*. Recte. Sed idem *Stephanus* monuit, & sic est, uti prius illud, in versione Latina, quæ est in *Stephaniana* aliisque. Atque in eo etiam *Grævio* iniquior est. Dicit: *etiam Grævius, quod miror*, circumtulit. Atqui non illa *Grævii* versio est, sed non emendata a *Grævio*, qui versionem Latinam inemendatam, ut ipse hic Editor, reliquit. *V. 65* ψευδοίμην &c. sic interpretatur: *Si mentiri velim, ea mendacia dicam, quæ sint verisimilia, & quæ auditorem inducant ad credendum.* Plane sic etiam *Stephanus* exposuit. Talia sunt in ceteris etiam Hymnis permulta. Sed veniamus jam ad ea, quæ, quoad scimus, nova sunt, quæ scire, maxime interest doctorum hominum. *Hym. in A. v. 22 seq.* de Niobeo saxo *Callimachus*:

Καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται δάκρυα πέτρος,
Ὅσσις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται,
Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς εἰζυρόν τι χανούσης.

Hic intolerabile videtur Viro docto, poni tribus versibus πέτρος, λίθος, μάρμαρον. Ferret tamen, si modo esset μαρμάρῳ χανόντος, aut μαρμάρῳ χανούσης, a recto μάρμαρος, subintellecto λίθος genere fœminino; unde etiam conjicit, *Callimachum* scripsisse διερῇ λίθος potius, quam διερὸς λίθος, ut est apud *Æschylum*, ταφίη λίθος, melius, quam τάφιος λίθος, quæ similiter desinunt. Ad hæc pauca accipiat. Primo, quod ad διερὸς λίθος attinet, etsi ὁμοιοτέλευτα sunt, tamen propterea non statim debent esse suspecta, cum omnes Codices & editiones in ea lectione consentiant, inprimis hoc loco, ubi, si scribas διερῇ, tamen ὁμοιοτέλευτα oriuntur, præcedente Φρυγίῃ. Deinde, πέτρον, λίθον, μάρμαρον, tribus continentibus versibus dici, nihil habet, quod offendere possit

poſſit paulo verſatiorem in legendis ſcriptoribus antiquis, qui talia non raro habent. Sufficit, tria diverſa verba eſſe de eadem re poſita; quod ipſum quoque interdum negligitur. Quod autem tolerabilem locum putat fore, ſi pro μάρμαρον legatur μαρμάρῳ: ſane modus conſtructionis placeret, modo illud ἐίζυρόν τι χανεῖν marmori ſatis conveniret. Ponitur autem μάρμαρον per ἐπαναίληψιν ἐπὶ τῆς ἐξηγήσεως. Senſus eſt: illud, inquam, marmor, in quod mulier miſerabiliter ejulans eſt converſa. Porro ad *v. 31* inquit: Dicat, ſi quis vult, quid ſit: ἀὸ' ὁ χορὸς μετὰ Φοίβον ἐφ' ἓν μόνον ἦμαρ ἀείσετε, & amici conjecturam profert μετὰ Φοῖβον ἀείξετε. Eam ille quidem audacem vocat, ſed verba tamen vitiata judicat. Vix credas verum eſſe, quod in Præfatione dixit, ſe veteres editiones contuliſſe. Reperiſſet enim, a quibusdam, nominatim editione *Vaſcoſani* & Baſileenſi *Friſchlini* abeſſe illud moleſtum μετὰ, & ejus loco articulum τὸν: qua lectione probata, nihil conjectura opus eſt. *Verſus 53* incipit ab ὄτις. Primam, inquit ille, corripit, ut jam ex *Homero* vidimus. Nihil opus erat ex *Homero* diſcere. Ipſa litera ſatis indicat. Quid ergo? Legendum: ὄτιες. An parebimus ædilitiæ edictioni? Non, opinamur. Si Vir doctus in Poetis & verſibus eorum ad numeros revocandis ſatis verſatus eſſet, non ita edixiſſet, aut, ſi legiſſet v. g. quæ civis ipſius quondam, *Clarkius*, ſcripſit ad *Il. ά. 398 ί. 404*, &c. Ceterum hanc emendationem occupavit *R. Bentlejus*. Apud ipſum *Callimachum Hym. in Cer. v. 32* in medio verſu (τριοπίδαιον) tribrachys eſt pro dactylo, nedum ab initio verſus; cujus rei exempla multa apud *Homerum*. In eodem Hymno traditur *Apollo Battum*, cum populo ſuo novas ſedes quærentem, ſub ſpecie corvi duxiſſe, & additur: δεξιὸς ὀικιστὴς καὶ ὤμοσε &c. Hic primo legit δεξιὸς οἰκιστῆς· quaſi non etiam populo fauſtum auſpicium præbuerit. Quid autem impedit, quo minus corvus ille *coloniæ dux* dicatur, cum etiam apud *Curtium IV, 7*, corvus *dux itineris* dicatur. Dein negat, καὶ produci poſſe, quia ſequatur vocalis & addit τ'. Addere etiam poterat, e *Bentlejo* ad *h. l.* cui utramque conjecturam ſublegit, & eſt extra cæſuram, nam in cæſura nil novi, aut

miri, quæ etiam breves natura ſua ſyllabas producit. Vid. v. c. *Homer. Il. ó, 9, 10, 25, 26,* & locis infinitis aliis. Sed hujus quoque rei exempla apud *Homerum* eſſe ſcimus, *ibid. 23. Verſ. 73* legit ἄϛυ Κυρήνης pro ἄϛυ Κυρήνη. Atqui hoc eſt in editione *Vulcanii*, ut e nota in *Græviana* perſpicere potuiſſet, in qua ipſa forte eſt operarum vitium, & aliis, etiam *Lipſienſi*, nuper ab homine imperitiſſimo Græcæ linguæ curata. *V. 104* in *Græviana* eſt: τόδ' ἐξ ὅτι κεῖθεν ἀείδη. Servandum cenſet jota ſubſcriptum. Rara obſervatio. Vertendum: *jam nunc ſic uſurparis*, nempe ἀοσσητῆϛ. Iterum ignoravit, editiones antiquas habere ἀείδες: idque ſecutos Interpretes, vertiſſe: *canit*, & retuliſſe ad *populum*, qui ſenſus fortaſſe melior eſt. Eodem modo conjecturas ad alios Hymnos convellere poſſemus, ſi omnia perſequi vellemus. Nonnulla tamen addimus, ut primum in oculos incurrent, prætermiſſis omnibus, quæ *Bentlejo* ſublegit. In *Hym. in Cer. v. 130* pro τελεσφορίας legendum conjicit τὰϛ τελεσφορέας, ut ſint initiatæ, a τελεσφορής. Sed hoc verbum eſt contra analogiam. Deberet eſſe τελεσφερὴϛ, quod verbum tamen in uſu non eſt; τελεσφορεὺϛ autem habemus, a quo τελεσφορέας in accuſativo eſt. *Ibid. v. 57* non concoquit: νέμεσις δ' ἐγρέψατο Φωκάν. Neque ei ſatisfacit *Spanhemius*, qui, γρέφεσθαι eſſe Atticis, dixit, *accuſare*. Hoc ſane nec nobis ſatisfacit. Neque tamen propterea ſtatim ad mutandum verbum provolare debemus. Nobis quidem locus hic elegantiſſimus videtur, & Nemeſis ſcribere vocem, quæ puniri debet. Legat Vir doctus, quæ *Almeloveenius* in *Amœnitatibus* de libris Deorum, inprimis Jovis, ſcripſit; non hærebit, opinor, amplius in illa loquendi forma. *V. 20* pro πρᾶτα ſcribendum judicat πρᾰ́τα. Recte. Sed an non viderat, vitium iſtud eſſe operarum, cum interpretes Latini πρᾰ́τα expreſſerint. Ipſe autem modeſtus Criticus, qui conjecturas non ſtatim, ut *Bentlejus*, textui infert, reliquit in textu πρᾶτα. *Hym. in L. P. verſ. ultimo*, pro ἵππυϛ legi vult ἵπποιϛ. Non abſurde pro ratione Græcæ linguæ. Sed quamnam ob cauſam? Si *Callimachus* Accuſativum ponere voluiſſet, ſcripſiſſet ἵππωϛ. Ergo, ubi hoc edixit, nunc etiam *v. 75* mutabimus μεῖον &

Digitized by Google

v. 108 μόνον in μᾶνον, quia *v.* 48 eſt μάνα, & *v.* 62 ἵππες mutabimus etiam in ἵππως, ad quem locum ille nihil monuit. Et, quia *v.* 48 eſt Δαναῶ pro Δαναᾶ, etiam *v.* 140 ſcribemus Ἰναχίω, *v.* 87 τῶ, &c. His exemplis declaratum eſſe arbitramur, quam vere judicarint Editoris amici, qui, non modo novâ, ſed etiam vera, ab ipſo prolata eſſe, dixerunt. Non profecto rite præparatus ad emendandum & conſtituendum *Callimachum* venit. Meminiſſe debebat, non hoc eſſe bonum Criticum agere, ſi, ut quodque non videmur nobis intelligere, ſtatim rejiciamus, & de nova lectione, Codicibus MStis & vetuſtis editionibus inconſultis, cogitemus. Invaleſcit quotidie magis hic pruritus emendandi, etiam ſana loca, in Britannia, poſteaquam ſemel veluti ſignum a *R. Bentlejo*, Viro Cel. datum eſt. Cujus rei fructus nullus alius eſt, niſi ut alii habeant, quod confutent, & in quo tempus perdant.

JOANNES BRUNATIUS DE RE NUMMARIA Patavinorum.

Venetiis, typis Jo. Bapt. Paſquali, 1744, 8.

Plag. 12, Tabb. æn. 3.

Haud inutilis eſt labor, inprimisque magnum Patavinis ornamentum adjicit, quem nuper Clariſſ. *Brunatius* ſuſcepit, id agens, ut impeditam, ac tot retro ſeculorum memoria obſcuratam, de pecunia Patavina quæſtionem explicaret, adjutusque genuinis atque optimis ſingularum ætatum documentis, tam publicis, quam privatis, pleniorem ejus rei hiſtoriam, quæ non ſolum ſuæ genti, ſed aliarum etiam nationum eruditis, prodeſſet, elaboraret. Ut autem accuratius conſtet Lectori, quanto ſtudio, quanta etiam doctrina, ſcriptus ſit hic liber, jam ſtrictim potiora capita attingemus, ut ex decerptis particulis, quid de toto judicandum ſit, appareat.

In ipſa Præfatione libri, qui *M. Foſcareno*, Equiti, Procuratori Divi *Marci*, inſcribitur, & *XV Capitibus* conſtat, cauſam ſcribendi Cl. *Brunatius* aperit, docens lectorem, ſibi, diu verſanti in Patavinis, proximarumque urbium, tabulariis, nihil crebrius, perveſtiganti

ſtiganti chartas antiquas, in manus incurriſſe, iis monumentis, quæ pecuniariam rem continerent. Simul inſtituti rationem exponit, cujus hinc difficultatem, hinc commodum, oſtendit. Totum ordinem ita diſponit, ut primo de numis in urbem receptis, deinde de numis in ipſa urbe ſignatis, dicat. *Caput* igitur *primum* exponit uſum *pecuniæ Venetæ* apud Pa-
Pag. 1. tavinos Seculo X & XI. Hic illud monetur, multo antiquiorem mentionem eſſe numorum, quos aliis ex locis Patavini acceperint, quam eorum, quos ipſi conflarint. Idque declara-
3. tur exemplo pecuniæ Venetæ, ex charta Seculi XI archetypa,
4. itemque ex literis *Henrici IV* Regis ejusdem Seculi, quarum
5-7. hic ſententia excutitur. *Caput ſecundum* agit de *Veronenſi pecunia*, & hujus uſu apud Patavinos Seculo XI. Hoc ad pro-
8. bandum, producitur Diploma Imperatoris *Henrici* ad Epiſcopum *Bernardum*, ſcriptum A. 1049, quod, a *Sigonio*, *Ugellio*, *Urſato*, *Muratorio*, aliis, allatum, hic rurſus apparet, colla-
9. tis duabus membranis Canonicis. Vindicatur idem a dubiis *Muratorii*. Præterea, ut indicium numorum Veronenſium
13. hoc Seculo faciat, provocat ad avtographa tabularii Vicentini, ad quod liberum ſibi acceſſum feciſſe *Joannis Checotii* humanitatem, fatetur. In *tertio Capite* id agit Cl. *Brunatius*, ut de *pecunia Lucenſi*, *Byzantia*, *Marabotina*, Seculo XI & XII
15. Patavii uſurpata, diſſerat. Lucenſem cum una tantum ſyngra-
17. pha ex Archivo Mutinenſi commemoret; hujus uſum, credit Noſter, parcius fuiſſe Patavii receptum. Semel etiam tantum occurrere numos Byzantios, idem monet, uſus teſtimonio alicujus chartæ Canonicorum. *Caput quartum* de *numis Veronen-*
24. *ſibus* ac *Venetis*, ab A. 1080 ad A. 1128, exponit. Frequentior uſus pecuniæ Veronenſis apud Patavinos his temporibus. Veneti numi primum fuerunt argentei, ideoque in antiqua charta *Albuli* dicuntur, id eſt argentei. Veronenſes quarta parte ponderis Venetos ſuperabant. *Quintum Caput* de eisdem *Numis*, ab A. 1128 ad A. 1173, & rurſus ab 1173 ad 1221, diſ-
31. ſerit. Altera ætas harum pecuniarum ab A. 1128 uſque ad A. 1173 decurrit, quo ſpatio Veronenſis pecuniæ ubique obtinuit, Veneta autem nullum uſum habuit. Notatur hic *Covacius*,

qui

qui contrarium ſtatuerat. Tertia ætas eſt ab A. 1173 ad 1221, ubi redit moneta Venetorum. Variæ viciſſitudines pecuniarum, Venetæ & Veronenſis, his Seculis obſervantur, quarum de uſu, pondere, vi, varia adduntur ex tabulariis. Pondus habebant, partim Librarum, partim Solidorum, partim Denariorum. Vis in eo conſiſtebat, ut recitandæ Miſſæ ſtipendium Solidus unus eſſet, ut arborem, vel vitem, frugiferam 20 ſolidis æſtimarent, ut equum militarem 25 libris, bovem, tauro vitulove ſociam, 13 libris & 5 ſolidis, aprum 26 ſolidis, emerent. *Caput ſextum* enarrat *varias pecunias, Seculo XIII Patavium accitas.* Hic memoratur Codex Statutorum, e tabulariis Patavinis, membranaceus, & pretio, & mole, grandis, quadringentorum & quadraginta circiter annorum. Ex hoc autem Codice probatur, *Groſſos Venetos*, & *Veronenſes*, & *Tridentinos*, hoc Seculo in uſu fuiſſe apud Patavinos, etiam *Denarios parvos*, tam Veronenſes, quam Venetos, item *Tarinos* aureos, & *Sterlinos* argenteos. Præterea *Imperiales, Aquilinos*, ab Aquilæ ſigno impreſſo dictos, *Florenos*, *Turonenſes*, *Januinos*, *Rogatos*, *Aſtenſes*, *Ducatos*, alios numos, omnes hoc Seculo. Explicatur per occaſionem, quid ſit *Feudum Canevæ*, ſeu *Canipæ*, & vindicatur *Cangius* ab objectionibus *Muratorii.* Curam *Canipæ Cuniparium* dixerunt. *Canipa* autem, cella condendis vinariis, & arca recipiendis pecuniis, & aliarum denique plurium rerum congeries. Has qui ſervarent, *Caniparii* nominati ſunt, quorum etiam jujurandum hic apponitur ex Statutorum Volumine. Adduntur, ex parva pecunia hujus Seculi, *Pizoli* & *Bagatini*, quorum duodecim pondus ſolidi habuerunt, ex argentoque fuerunt. Hactenus de pecunia, quam aliunde accepit civitas Patavina, Cl. Autoris expoſuit diligentia. Nunc *Capite ſeptimo* idem in *Numos Patavinæ monetæ* ſtudioſius inquirit. Oſtendit ex probatis illius ævi monumentis, Seculo XIII monetam Patavinam rebus, tam publicis, quam privatis, tam ſacris, quam profanis, jam adhibitam. De falſariis hoc obſervat, juraſſe Officiales Prætoris, nolle ſe uti falſa penſa, falſa moneta, falſa menſura, & quæ ſunt reliqua, ex Codice Statutorum. Addit etiam Decretum duarum

Pag. 32. 33. 35. 39. 43. 44. 46. 47. 48. 51. 54. 55. 56. 62. 63. 65.

civitatium, Patavinæ & Tarviſianæ, de falſa moneta. Profert plura alia Decreta publica contra falſarios & falſam pecu-
Pag. 71. niam. Claudit denique totum *Caput*, facta commemoratione numi ærei, quem refert ad poſtremos annos ſtantis reipublicæ Patavinæ, videlicet ab A. 1256, quo pulſus ſit *Ezelinus*, uſque ad A. 1318. Numus ipſe, cujus icon offertur, habet hanc vocem PADVA. in averſa CIVITAS, & eſt deſumtus e Muſeo *Honorii Arigoni*, doctiſſimi Veneti, cui ut in eo, quem rei numiſmaticæ magno commodo ſuſcepit, labore cuncta ex ſententia feliciterque cedant, nos quidem vehementer optamus. *Caput octavum* de *Numo*, *PADVA REGIA CIVITAS inſcripto*,
72. agit. Numus argenteus, qui aquilam oſtendit, in averſa crucem, & parvum clypeum, falciola trajectum, refert. Primus eſt ejus editor *Jacobus Zarabella* in *Aula Heroum*, ubi tamen deſideratur elegantia typi. Idem *Jacobus* atque *Urſatus* eundem numum male ad Epiſcopum *Bernardum* referunt, cujus utriusque argumenta hic refelluntur copioſe per totum *Caput*.
82. Extenditur hæc tractatio uſque in *Caput nonum*, ubi, rudioris fabricæ literarumque ductuum indicio, Cl. Autor probat, vel in fine Seculi XIII, vel initio XIV, numum eſſe percuſſum.
85. Scutum, zona trajectum, Ducum Auſtriacorum inſigne fuiſſe,
89. demonſtrat. Notat præterea ex hiſtoria illorum temporum,
92. Auſtriacos Duces Patavium tenuiſſe A. 1319. Quibus poſitis, tandem concludit, numi epocham eſſe inter A. 1319 & 1328 collocandam, ſub Auſtriaco Duce, *Federico*, Rege Romanorum tertio. *Caput decimum* de *inſignibus Carrarienſium* commemorat. Fuit apud Papafavios gaza Carrarienſium illuſtris, Gemmis, Tabulis, Membranis, Torevmatis, Codicibus, Lapidibus, Numis, æreis, argenteis, aureis, refulgens, quam ſecum habuit aliquis ex hac gente, *Albertinus*, nuper mortuus. Hujus Noſter laudat humanitatem in ſe effuſam, quæ nihil ex his opibus,
93. ſuum in uſum vertendis, negaverit. Accepit ab eodem membranam, trecentorum ferme annorum, eamque veluti clavem numorum Carrarienſium, propterea, quod ſtemmata complectitur hujus Patavinæ gentis, quæ pluribus perſequitur, ex eo-
103. dem Codice, Autor Clariſſimus. *Caput undecimum* agit de *Numis*

Digitized by Google

mis Marſilii, Ubertini, Jacobini, Franciſci ſenioris, qui numi & afferuntur, & explicantur. *Capite duodecimo*, quod de *Ducatis* exponit, producitur *num. 14* nummus aureus Patavinus, qui Ducati pondus habet. *Caput decimum tertium* agit de iis numis, qui *Carrareſii* appellantur, quorum ab altera parte currus, cum titulo, *Franciſcus de Chararia*, ab altera *Sanctus Daniel.* Cujus generis plures numi hic in tabulis afferuntur, additis etiam variis conjecturis, haud inſcitis. *Quarto decimo Capite*, ad *locum Præfectosque monetæ* Cl. Autor progreſſus, plures, teſtatur, ædes adhuc Patavii monſtrari, in quibus olim pecuniam eſſe cuſam, fama teneat. Et de his quidem ædibus monetariis hic pluribus exponitur, ex monumentis idiographis. Subtexitur ſcita commentatio de *Franciſci II* quodam numiſmate. *Caput decimum quintum*, idque extremum, conſtat totum *ſyngrapha*, ſatis longa, cujus ex ſententia declaratur, *Franciſcum II* A. 1398 monetam publicam locaſſe. Poſtremo loco adjicitur *Annotatio de annulo Marſilii de Carrararia*, cum ipſa icone expreſſa. Annulus hic, *Sanutorum* cimelium apud Venetos, quem inde Noſter impetravit per *Aloyſium Zenum*, eſt ex auro, & habet gemmæ loco diſcum aureum, in duas partes ſpectandum, ita, ut ab una parte ſit currus, ab altera galea, ſubjecto clypeo parvo. In caſſide rota cernitur, & alia præterea, quæ produnt ornatum viri militaris, & accuratius deſcribuntur hoc loco. Tandem ex annuli materia, mole, arte, loco ipſo, quo repertus eſt, probatur, eum omnino ad hunc *Marſilium* pertinere.

Pag. 114. 128. 137. 144. 150. 165. 166. 167.

Poteſt ex his, quæ attigimus, forſan haud obſcure intelligi, quam ſit laborioſe ſcriptus *Brunatianus* iſte liber, & quantam ab omnibus Patavinis gratiam ineat Autor Clariſſimus, quod partem hiſtoriæ nationis ſuæ, valde impeditam, tam ſtudioſe induſtrieque evolvere atque excutere voluerit. Utitur optimis ad probanda ſingula adminiculis, ſumtis ex Cœnobiorum tot chartis vetuſtis, quarum eſt melior pars ex tabulariis Canonicorum depromta. Quæ quidem omnia cum tanta fide adducit, nihil ut dicat, quod non ex iisdem probet continuo, iisque non fortaſſe deſcriptis, ſed authenticis & idiographis

ipſis, ut præterea integras ſæpe chartas, ubi res poſtulat, interponat, nonnunquam decerptis inde particulis ſit contentus, cum inſigni harum mole laboret. Numos, in tabulis propoſitos, incidit in æs *Petrus* Monachus, cujus in hac arte ſolertia jam probata eſt. Ceterum non dubitamus, quin eruditi viri in varietate rerum, hic propoſitarum, (nam de ſtilo jam nihil dicimus,) reperturi ſint, quæ ex ſua re putent eſſe.

D. N. JUSTINIANI PERPETUI AUGUſti Inſtitutionum, ſive elementorum, per Tribunianum, Virum magnificum, Magiſtrum & Exquæſtore S. Palatii, & Theophilum & Dorotheum, Viros illuſtres & Anteceſſores, Libri IV, emendatiſſimi, ex editione JACOBI CUJACII. In eosdem JANI A COSTA, JCti & Anteceſſoris clariſſimi, Commentarius. Accedunt huic editioni annotationes & notæ THEOD. MARCILII, JCti, & M. ANT. MURETI, JCti, ut & M. TATII ALPINI Diſſertatio de furto per lancem & licium concepto. Adjecti quoque ſunt varii Indices, curante JOANNE VANDE WATER, JCto. Editio altera & emendatior.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmans, 1744, 4 maj. Alph. 3 plag. 21.

Magnam ante hos quinque & viginti annos ab omnibus elegantioris Jurisprudentiæ ſtudioſis gratiam *Jo. vande Water*, Ultrajectinæ curiæ Actuarius graviſſimus, iniit, cum egregium *Jani a Coſta* in Inſtitutiones *Juſtinianeas* Commentarium, *Marcilii* & *Mureti* notis ſtipatum, & erudita Præfatione auctum, publici juris faceret. Utiliſſimum Opus non potuit non emtores plurimos invenire, atque hinc, exacto Seculi quadrante, rariſſimum evaſit. Movit hoc *Jo Conr. Ruckerum*, Virum Clariſſ. Academiæ Leidenſis Anteceſſorem, ut de nova editione cogitaret. Nactus eſt autem *A. Havercampi* beneficio primam Commentariorum *Jani a Coſta* editionem, quæ Pariſiis anno ſuperioris

perioris Seculi quinquageſimo nono, cura *Germani Nyvard*, prodiit, eaque in conſilium advocata, plurima reſtituit exinde & emendavit; elegantiſſimam inprimis ejusdem JCti ad *l. 69 π. pro Socio* recitationem ſolennem, cum ea, quæ ſubjuncta Commentario ad Decretales prodiit, collatam, a mendis innumeris, quæ in priorem Belgicam editionem irrepſerant, purgavit. Non minorem curam adhibuit bibliopola, ut ſplendori externo conſuleret, & adſpectu ſtatim Jurisprudentiæ cultores delectaret, quos, auguramur, ex Cel. *Ruckeri* poſita in his Juris ſcientiæ elementis induſtria maximos eſſe fructus percepturos.

JUS NATURÆ, METHODO SCIENTIfica pertractatum. Pars quarta, de actibus, ad aliorum utilitatem tendentibus, in ſpecie, ubi agitur de donationibus, & de contractibus, tam beneficis, quam oneroſis præcipuis. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Pot. Boruſſorum Regis Conſiliario intimo, Fridericianæ Cancellario & Seniore, Juris Naturæ & Gentium atque Matheſeos Profeſſore honorario, Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ, Londinenſis, ac Boruſſicæ, Membro.

Halæ Magdeburgicæ, in officina libraria Rengeriana, 1744, 4. Alph. 5 plag. 14.

Vidimus nuper, Ill. Autorem in *Parte tertia* docuiſſe, quomodo jura ab uno in alterum transferantur, ac homines ad dandum & faciendum ſeſe ſibi invicem perfecte obligent, & de præſtationibus, ſive gratuitis, ſive mutuis, inter ſe conveniant, ut perfecte debeantur. In *Parte* igitur *quarta* in ſpecie inquirit in ea, quæ dari ac fieri poſſunt, & ad quæ danda & facienda ex mutua conventione homines ſeſe ſibi invicem obligent. Actus omnes aliis utiles in dando & faciendo conſiſtunt, & vel Cap. 1.
benefici ſunt, ex quibus unus tantummodo utilitatem percipit, vel permutatorii, quibus pars utraque ad aliquid dandum, vel faciendum, adſtringitur, ſeu res & facta invicem permutantur.

tur. Quemadmodum vero illi vel mere benefici ſunt, quibus nimirum nulla adhæret obligatio perfecta, vel benefici obligatorii, quibus mutua adhæret obligatio perfecta; ita permutatorii, aut diremtorii, ſunt, qui ſeparatam utriusque partis reſpiciunt utilitatem, præſtationibus peculiaribus obtinendam, vel communicatorii, in quibus per præſtationes communes intenditur quædam utilitas communis. In actibus diremtoriis, vel do, ut des, vel do, ut facias, vel facio, ut des, vel facio, ut facias, dari autem poſſunt res tam corporales, quam incorporales, uſus rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus, & pecuniæ, & in communicatoriis vel facta, vel res, ſive pecunia, vel hinc res, inde facta, communicantur; actus autem benefici obligatorii aut diſponunt de re ſine alienatione, aut de facto. Ex hac actuum humanorum differentia, tanquam fonte, manant omnes contractus, tam benefici, quam oneroſi. Quoniam vero actus mere benefici in præſens abſolvuntur, aut in futurum prominent; ideo in beneficia & promiſſiones liberales dividuntur. De his dictum abunde eſt *Parte tertia*; de illis itaque hic tantummodo verba facit Ill. Autor. Naturalem itaque obligationem ad beneficia aliis exhibenda, & officia beneficiariorum, expendit, ubi & de animo grato & ingratitudine agitur. Enimvero dationes gratuitæ ſpeciali nomine donationes appellari ſolent, &, ſi fiant ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem, eleemoſynæ nomine veniunt. Quamobrem Noſter prolixe agit de donationibus ac eleemoſynis, ac ideo etiam de liberalitate ac illiberalitate, de miſericordia & immiſericordia.

Cap. 2. Quoniam vero nemo tenetur alteri gratis dare, vel facere, ſi is viciſſim dare, vel facere, poſſit, ac ideo actus permutatorios probat lex naturæ, facta autem ac res, tam corporales, quam incorporales, non ſemper commode permutari poſſunt, ac difficulter in permutando obſervare datur æqualitatem, ut alter tantundem recipiat, quantum ipſe præſtat; ideo non modo neceſſe eſt, ut pretia rerum determinentur, verum etiam neceſſe fuit, ut pecunia inveniretur, tanquam menſura communis pretii omnium rerum & operarum. Noſter itaque, antequam ad contractus in ſpecie declarandos accedat, de pretio rerum definiendo,

Digitized by Google

finiendo, & de pecunia, ea demonſtrat, quæ Juri naturæ conſentanea ſunt. Atque, hac data occaſione, agit de divitiis, reditibus, expenſis, egeſtate, paupertate, parſimonia, prodigalitate, continentia, avaritia, ſordibus, incuria. Jus nimirum naturæ continere debet theoriam Philoſophiæ moralis, ut ex eo intelligatur, quid virtutis ſit, quid vitii. Hiſce præmiſſis, Cap. 3. ad contractus beneficos pedem promovet, in quorum numerum refert commodatum, mutuum, depoſitum, ſequeſtrum, mandatum, fidejuſſionem, & expromiſſionem. Deinde vero 4. contractus oneroſos præcipuos contemplatur, nimirum permutationem, emtionem venditionem, arrhæ dationem, addictionem in diem, legem commiſſoriam, pactum de retrahendo, pactum de retrovendendo & redimendo, (ubi quoque agitur de commodo & periculo rei emtæ, nec non de evictione,) locationem conductionem, ſocidam, ſocietatem, contractum fœnebrem, ubi de uſuris & anatociſmo agitur. Qui in Jure civili verſati ſunt, facile intelligent, quænam ſint ea, de quibus hic dicendum fuerat. Noſter enim demonſtrat, quæ in contractibus, tam beneficis, quam oneroſis, præcipit Jus naturæ, quemadmodum doctores Juris civilis inquirunt in placita JCtorum Romanorum. Non diffitetur Ill. Autor, plurima, de his contractibus tenenda, coincidere cum iis, quæ JCti Romani tradiderunt, vel etiam doctores addiderunt; propterea tamen ea non erant ſilentio prætereunda. Demonſtrandum nimirum erat, ea eſſe Juris naturalis, ut ex collatione pateat, quinam ſit Juris naturæ ac civilis conſenſus, quinam diſſenſus. Ceterum, cum legicrepæ nonnulli ineptam finxerint diſtinctionem inter Jus naturæ philoſophicum & juridicum, ideo Noſter in Præfatione ob ſingulares, quæ ſibi ſint, rationes, easque non contemnendas, illorum, quicunque ſunt, inſcitiam redarguit. Naturalia jura, quæ Imperator ſemper firma atque immutabilia permanere aſſerit, eadem manent, ſive a Philoſopho, ſive ab eo, qui JCtus audit, tradantur, modo uterque eadem ſciat; alias enim metuendum, ne, qui JCtus vocatur, quod civile eſt, cum naturali confundat, JCtorum Romanorum placita, & quæ ab Imperatoribus Romanis conſtituta ſunt, atque doctorum opiniones,

nes, usu fori probatas, pro Jure naturæ incautis venditans, quam ne, qui Philosophus dici amat, opiniones suas pro æterno isto ac immutabili Jure aliis obtrudat. Quamvis vero terminorum diversitas nondum faciat realem differentiam inter Jus naturæ philosophicum & juridicum; Nostro tamen consultius videtur, ut in Jus naturæ recipiantur termini, in Jure civili recepti, inprimis ii, quos approbarunt JCti Romani, ut facilius intelligatur ab iis, qui ad Jurisprudentiam civilem animum appellunt. Quamvis vero probet, quod recte dictum a *Cicerone*, non ex duodecim Tabulis & Edictis Prætorum, sed penitus ex intima Philosophia, Juris artem hauriendam esse; ultro tamen concedit, Jus Romanum multum adjumenti afferre ei, qui Systema Juris naturæ condere aggreditur, ac, se re ipsa hoc expertum, minime diffitetur. Cum tamen necesse sit, quod civile est, a naturali separari, & ad naturale reduci; se non minus didicisse observat, quantum hic cœcutire debeat, qui principiis philosophicis destitutus est, nec habitu ratiocinandi satis pollet, ut adeo idoneum Juris naturæ doctorem non agnoscat, nisi qui idem ex intima Philosophia haurit, &, quæ sint hujus juris, ex ipsis rerum notionibus demonstrat, retentis licet terminis, in Jure civili receptis, & ad notiones determinatas reductis. Equidem constitutum ipsi erat, in hac *Parte quarta* agere de contractibus omnibus usitatis, immo etiam de quasi contractibus; quoniam tamen tanta enascebatur dicendorum seges, ut uno Volumine omnia comprehendi minime possent, ideo magnam eorum partem, quæ de contractibus dicenda erant, in *Partem quintam* rejicere coactus fuit, prouti proxime videbimus.

DE SUCCESSIONE MORBORUM LIBRI III, Autore CAROLO GIANELLA, Liguiacensi, Phil. Med.

Patavii, ex typographia Seminarii, 1742, 8 maj.

Plag. 11.

Dignum sane, in quo accuratius enodando omnes ingenii industriæque nervos contendat peritior Medicus, hoc de morbo-

morborum ſucceſſione eſt argumentum, non ſolum propterea, ut Cl. Autor putat, quod, cum, morbis aliis ex aliis prodeuntibus, vulgus utplurimum Medicos criminetur & incuſet, tanquam ſupervenientis mali autores, illi hac ratione, ſi, quæ mala malis ſupervenire ſolent, prædicere queant, & ad ſuam famam tuendam, augendamque, & ad ægrotantium ſaluti conſulendum, valeant quam maxime, ſed etiam, quod ita morbi cujusvis indoles ac natura, ejusque curandi ratio, exactius intelligatur, ſi illius ex alio antecedente morbo ortus non ignoretur. Quapropter non omnino nulla diligentiſſimo Autori laus debetur, quod hanc doctrinæ medicæ partem ſingulari diſquiſitione enucleandam ſuſcepit. Quanquam enim præter *Caſtrenſem Luſitanum*, quem ſolum in ſuo libello: *Quæ ex quibus*, hanc morborum ſucceſſionem perſecutum eſſe contendit, ex noſtratibus noſtri temporis Medicis præclariſſimi viri, *Hoffmannus* atque *Stahlius*, eandem data opera perquiſiverint; multa tamen adhuc reſtant, quæ ad hanc doctrinam amplius deducendam, & plena luce illuſtrandam, pertinere quam maxime videntur. Quæ an Cl. Autor explicuerit omnia, nos quidem temere aſſeverare non audemus. Præterquam enim, quod, quæ *Libro primo* de morbis ex animi perturbationibus oriundis diſputat, nulla cum hoc, quod de morborum ſucceſſione tractat, argumento cognatione conjuncta eſſe exiſtimamus, ipſa etiam reliquorum librorum capita non ſatis digeſta, nec ultimam limam experta eſſe, perlectis iis, haud difficulter conſtat. Neque enim Cl. Autor ordinem in recenſendis, atque ad ſuas claſſes revocandis, morborum generibus ubique tenuit, neque nexum morborum inter ſe, & ſuccedendi modum, ex doctrina phyſica, Anatome, & Phyſiologia, aliisque principiis, quantum ſatis erat, explanavit, nec medendi rationem dilucide ſatis oſtendit, ſed omnia attigit potius, quam plene perfecteque, quod tamen in ſingulari ejusmodi libello opus erat, pertractavit. Quam tamen, bono animo prolatam, ſententiam noſtram, tantum abeſt, ut fraudi eſſe cupiamus laudibus hujus libelli, ut, in eodem multa eſſe præclare ſcripta, & præſtantiſſimas præcipue hic diligentiſſimi

Autoris obſervationes practicas contineri, eodem mentis candore pronuntiemus. Placuit Cl. Autori, totum opus in *tres Libros* dividere, & *primo* quidem de morbis, ex animi affectibus genitis, commentari. Poſtquam igitur *Cap. 1* operis utilitatem, & *Cap. 2* ejusdem diviſionem, tradidit; *Cap. 3* de animi morbis agit; *Cap. 4*, quomodo animi motus agant in corpus, diſquirit; *Cap. 5* amorem & morbos, qui ex eo ſuccedunt; *Cap. 6* odium, & ex eo natos morbos; *Cap. 7* iram, & morbos, inde derivatos; *Cap. 8* timorem & morbos, hinc genitos; *Cap. 9* ſpem, & deſperationem, & morbos, ex hac pendentes; *Cap. 10* demum gaudium & mœſtitiam, morbosque, ex iisdem provenientes, exponit. *Liber ſecundus* morbis, ex corporis ægritudinibus prognatis, deſtinatur. Orditur *Cap. 1* a febribus, utpote graviſſimo, difficillimo, & frequentiſſimo, morbo, & *Cap. 2* febres, aliis morbis ſuccedentes; *Cap. 3* febres, ideam mutantes; *Cap. 4* febres, in alios ſeſe mutantes morbos; *Cap. 5* morbos, anginæ ſupervenientes; *Cap. 6* morbos, a pleuritide genitos; *Cap. 7* morbos, ab hepatis morbis oriundos; *Cap. 8* morbos, ex icſtero derivatos; *Cap. 9* morbos, ex doloribus inteſtinorum concitatos; *Cap. 10* morbos, ex dyſenteria fluentes; *Cap. 11* morbos, ex lienis morbo pendentes; *Cap. 12* morbos, qui hypochondriacis incumbunt; *Cap. 13* morbos, ab hyſterica paſſione conflatos; *Cap. 14* morbos, qui ex variolis gignuntur; *Cap. 15* arthritidem ſuccedentem & migrantem; *Cap. 16* ſcorbutum ſuccedentem & migrantem, perſequitur. *Tertio* denique *Libro* eas morborum ſucceſſiones explicat, quæ propterea evenire ſolent, quod non ſolum quælibet partes corporis ſolidæ cum aliis partibus conſentiunt, vicinitatis conſenſus & officii ratione, verum etiam fluidæ maximo inter ſe nexu contineantur, ut facili negotio vel ex uno in alterum ferantur locum, vel unius indolis naturam in alteram, vel meliorem, vel pejorem, mutent. *Capite* igitur *1* refert, quænam inter ſe partes morbos communicent, ob eam, quam cum parte affecta habent, vicinitatem. Verum præter vicinitatem occultus quidam & reconditus inter partes adeſt conſenſus, cujus ratione, ſicuti in naturæ functionibus obeundis inter ſe communicant,

Digitized by Google

nicant, ita pariter occulto quodam modo morbos ſibi faciunt communes, quos hinc *Cap. 2* percenſet. Denique & propter idem, quo defunguntur, officium partes quædam in ſocietatem morborum veniunt, qui *Cap. 3* exponuntur. *Cap. 4* de ſucceſſione morborum ex translatione humorum ex uno in alterum locum agitur. *Cap. 6* eadem ſucceſſio vel ex humorum majori depravatione, vel eorundem in alteram naturam mutatione, ſicut *Cap. 7* ex vitioſæ materiæ ad ſolidas partes propagatione, explicatur. Singula cujusvis *Capitis* momenta accuratius enumerare, quid aliud foret, quam totum, qua patet, opus exſcribere? Quod cum ab omni ratione, inſtitutoque noſtro, prorſus abhorreat, ſpeciminis loco ex *Lib. II Cap. 6*, quod de morbis a pleuritide oriundis agit, nobisque, ſi quod aliud, non male elaboratum videtur, potiora excerpemus. Pleuritis non raro in peripneumoniam mutatur, malo utplurimum omine. Dignoſcitur hæc maligna mutatio, quando dolor pleuriticus diminuitur, rubores ingentes in genis excitantur, & oculi velut igniuntur, pulſusque ex duro mollis fit. Tum nimia ſanguinis emiſſione vires enervare non licet, cum materia jam amplius diſſolvi non poſſit, ſed in ſuppurationem tranſeat. Tranſit in empyema pleuritis, cum intra 14 dies non expurgatur. Hoc utplurimum fit, ſi initio pleuritidis variæ fuerint exſpuitiones. Hæc mali translatio innotoſcit ex doloris acerbitate, quæ in gravitatem vertitur, ex febris mutatione, quæ facile nocturno tempore recrudeſcit, ex dyſpnœa, ex ptyaliſmo, qui ante ruptionem accedunt, ex ſputo mutato ex ſalſo in dulce, ex rigore, qui crebro citatur, ex ſyncope, ex cardialgia, & ex ſudore cum facie rubicunda, quæ utplurimum etiam tanti morbi ſucceſſionem comitatur. Inter ſpecifica hujus morbi remedia referuntur Decoct. Fl. Papav. rhead. & Hederæ terreſtr. Syrup. de Eryſimo Lob. Pilul. Morton. & Balſ. Sulphur terebinthinatus. Mutatur quoque pleuritis in vomicam, ſed rarius, & tunc ceſſat ſitis, tuſſis minuitur, pulſus fit inæqualis, ægrotus velut tremore quodam concutitur, & exſpuit cruda, nullo juvante medicamento. In cauſum convertitur, quando ex *Hieronymi*

Mercurialis ſententia, materia bilioſa, quæ jam cœperat colligi in lateribus, retrocedit in venas, cordi proximas, atque ibi computreſcit. In febrem acutam continuam mutatur, ubi, quamvis inflammatio ſemper febrem habeat comitem, aliquando inflammatione etiam ſublata ex illa materia, ſtabulante intra thoracis cavum, atque per ſanguifera vaſa delata, velut nova febris, ſynochi, nunc benignæ, nunc malignæ, morem ſecuta, excitatur. Optimam tunc opem emulſiones, medicamenta paregorica, veſicatoria, & blanda diaphoretica, ferunt. Pleuritis porro in phrenitidem degenerat, nullo primarii morbi veſtigio relicto, tota nempe per metaſtaſin morboſa antecedentis morbi ad cerebrum delata materia, alteraque in meningibus inflammatione excitata, quæ utplurimum funeſta eſt. Internoſcitur hæc morbi mutatio ex pulſu celeriori & frequentiori facto, ex reſpiratione rara & gravi, & ex urinis claris tenuibus. Succedere etiam pleuritidi ſolet lethargus, aliique ſoporoſi affectus, ex inſueta pulſus raritate aperte cognoſcendi, idque accidit vel vigente adhuc morbo primario, ex materia quadam, in thorace & thoracis membranis ſubſiſtente, ad caput translata, quod funeſtum plerumque eſt; aliquando autem in fine morbi primarii, veluti per criſin quandam jam ad conſummationem redacti, idque non adeo exitiali cum eventu, neque cum tanta medicationis difficultate. In paralyſes quoque abit pleuritis, item in tumores, vel ſub auribus, vel ſub pedibus, qui boni jam ab *Hippocrate* judicantur, modo non retrocedant. Succedit pleuritidi diarrhœa etiam, quæ diſtinguenda eſt, an critica ſit, vel ſymptomatica. Critica, quæ fere ſemper in bilioſa pleuritide evenit, bona eſt; ſymptomatica autem mala utplurimum eſt, cum ab ipſa ſuperna partes exſiccentur, & ſputi purgatio amplius prodire non poſſit. Tandem & pleuritidem pleuritis, & peripneumoniam peripneumonia, ſubſequitur, quando ex una pleuræ parte ad alteram, & ex uno pulmonis lobo ad alterum, transfertur materia morboſa. Et pejor ſolet eſſe pleuritis, quæ ex latere ad dorſum fertur, quam quæ ex dorſo ad latus, quia pleura in parte poſteriori ad dorſum ſpectante eſt durior, quam in anteriori, ſicut pariter pejor eſt

pleuritis,

Digitized by Google

pleuritis, quæ ex latere ſiniſtro fertur ad dextrum, quam quæ ex dextro ad ſiniſtrum, quoniam pars dextra ob majorem exercitationem denſior redditur.

THEOCRITUS, SCRIPTURAM SACRAM ILLUſtrans, ſive ſententiæ ac phraſes, e Poetis Græcis, & inprimis Bucolicis, Theocrito, Moſcho, & Bione, ad illuſtranda quamplurima ſacri Codicis oracula erutæ, ſtudioque collectæ, a M. CHRISTIANO PORSCHBERGERO, Neoſtad. Miſn. Paſt. Schœnerſtad. De depoſito Paulino ex 2 Tim. I, 12, præfatus eſt D. GOTTLIEB GAUDLIZ.

Dresdæ & Lipſiæ, apud Fridericum Hekel, 1744. 8. Plag. 14.

Sacra profanis jungere, tum hiſtoriam divini cœtus, tum ſacri Codicis interpretationem, mirifice juvat. Agnoverunt id plurimi literatiſſimi homines, proque virili hanc ipſam utilitatem promovere laborarunt. Horum numerum nunc auget eruditus hujus libri Autor; cujus inſtitutum merito commendavit S. Ven. *Gaudlizius*, ex cujus præmatura morte plurimum res ſacra & literaria detrimenti cepit. Digna eſt inprimis illa Præfatio, quam paulo accuratius conſideremus. Illuſtrat eadem oraculum divinum *2 Tim. I, 12.* Non omnes hic legunt παραθήκην, ſed & probati Autores παρακαταθήκην agnoſcunt. Prius dialecto communi, poſterius ἀττικῶς, dicitur. Παρακαταθέσθαι eſt dare quidpiam fiducia contracta. Vocabulum ergo proprie ad forenſe dicendi genus pertinet, unde παρακαταθήκη eſt *depoſitum*, ſeu, ut *Ambroſius* appellat, *commendatum*. Prius vocabulum in uſus ſuos transtuliſſe poſt Chriſtum natum Græcos, docet interpolata S. *Ignatii* ad *Polycarpum* epiſtola apud *Cotelerium* in *Patr. Apoſt. Tom. II f. 92*: Τὰ δεπόσιτα ὑμῶν καὶ ἔργα ὑμῶν. Unde, in *Gloſſario Baſilicorum* δεπόσιτον per παρακαταθήκην exponi, notat *Uſſerius*. Aliam vero hanc παρακαταθήκην ab ea, cujus *Paulus 1 Tim. VI, 20, 2 Tim. I, 14*, meminit, eſſe, plures ſunt, qui exiſtimant, ibi eſſe ſanam doctrinam

ctrinam a *Paulo Timotheo* commendatam, ſed 2 *Tim. I, 12*, animum, quem corpore hoc emigrantem *Deo* committimus aſſervandum, arbitrati. At doctum Præfationis hujus Autorem in aſſenſum illa neutiquam trahunt; quin ſenſum priorem potius & huic loco aſſerat. Probat id ex toto contextu. Nam, licet ipſe *Paulus*, externarum gentium præco & magiſter conſtitutus, id, quod perpeſſu maxime aſperum eſſet, experiretur, eo tamen pudore ſe nequaquam frangi teſtabatur, ſciens, cui crediderit, perſuaſumque habens, eum poſſe depoſitum ſuum cuſtodire ad eum, qui in omnium exſpectatione eſt, diem. Ideo retinendum eſſe ſanorum dictorum, quæ ex *Paulo* audierat *Timotheus*, exemplum, ſervandumque præclarum illud depoſitum, per ſpiritum, in nobis habitantem, ſanctum. *Abr. Sculletus*, huic interpretationi contrarium eſſe, putat, adjectum μου: at ita & alibi ſcribit divinus ille legatus, e. g. *Rom. II, 16.* Ac ſane modo eodem antiquiſſimi Chriſtianorum doctores, quos vulgo Patres appellant, non raro loquuntur. Nec deeſt hujus nominis fundamentum, ſi vel, Judæos ſcripta ſacra in arca fœderis poſuiſſe, conſideremus. Sique, cadere ita de certitudine ſalutis argumentum, clamitent nonnulli, ſapienter reſpondet B. *Gaudlizius*, non illam doctrinam noſtram defendendam eſſe, quæ facile deſtrui queant, rationibus, firmioribus omnino atque exceptione majoribus innixam. Et multum omnino vidit, ubi, æque labi, aſſeverat, eos, qui ficulneis argumentis veritatem defendant, ac qui data opera eam riſui exponere laborent. Jam vero Cl. *Porſchbergeri* labores nos invitant, vel breviter, dum plerumque non niſi verſus Poetarum, cum verbis ſacris quidquam commune habentes, indicantur, rarius autem explicationes adjunguntur, luſtrandi. Spectant autem illæ explicationes atque illuſtrationes partim antiquitates, partim opiniones veterum. E. g. ſtatim *pag. 1: Veterum opinio fuit, ut frontem pudoris, riſus lienem, ſic & iræ ſedem eſſe nares. Perſius:* Diſce ſed ira cadat naſo rugoſaque ſanna. *Et ante illum dixerat Plautus:* Fames & mora bilem in naſum conciunt. *Præbuit occaſionem huic ſententiæ inſimul & dicendi generi, quod in omni graviore commotione, maxime autem iræ, ſpiritus concitatus,*

ac velut æſtuans, copioſius & vehementius ebullit, naresque erumpendo dilatat. Cernas id maxime in brutorum generoſiſſimis, equo, tauro, leone. Quam ob rem placet τοῖς Φυσιογνωμονοῦσι, nares in homine apertas & patulas ſignum eſſe iracundi, ἀναφέρεται γὰρ, ajunt, εἰς ταύρους καὶ λέοντας. Atque, hæc ne nimis rideamus, vetant priſci Ebræi, qui eidem vocabulo & narium & iræ ſignificationem tribuerunt. Vid. *Iſaac. Caſaub. ad Theocritum.* Locum illum longiorem ideo ſimul adjunximus, ut ſtili, quem adhibet Autor, neutiquam agreſtis, ſed qui Gymnaſium Portenſe redoleat, nec miris, quibus ille poſtea ſubjectus eſt, fatis in aliam formam redactus eſt, exemplum præbeamus. Sed nec ars ipſa interpretandi omittitur. Ita e. g. *pag. 21 ſeq.* ad *Luc. XXIV, 31*, ex *Theocrito* confirmatur, quod ἄφαντος non omnino ipſum penitus evanuiſſe deſignet; *pag. 26* ad *Matth. XVI, 22*, ſuppletur ὁ Θεὸς γενέσθω, & id quidem præeunte *Henr. Bened. Starckio* in Notis ſel. ad h. l. ut reliqua taceamus. Id denique commemorari meretur, plus præſtitiſſe Cl. Autorem in nigro, quam promiſerat in rubro, neque ſolum alios pariter Poetas Græcos, verum etiam Latinos bene multos, ad illuſtrandum adhibuiſſe quam diligentiſſime.

D. LUCÆ OSIANDRI, THEOLOGI QUONDAM apud Wurtenbergenſes celeberrimi, Cynoſura ſtudiorum ſacra, ſive de ſtudiis Theologorum privatis rite & cum fructu tractandis Commentatio, una cum PHIL. MELANCHTHONIS & CASP. CRUCIGERI ſimilis fere argumenti Conſiliis, ex recenſione & cum notis perpetuis hiſtorico-literario-theologicis M. GODOF. BALT. SCHARFFII, Pr. Miniſt. Suidnic. in Sil. Accedit ineditarum hactenus aliquot Cl. virorum Epiſtolarum decas.

Gedani, apud Georg. Mart. Knochium, 1742, 4.
Alph. 1 plag. 19.

Experientia edoctus, quantum ipſi profuerit *Oſiandri* libellus, & ut ſuas pariter obſervationes, per longum temporis ſpatium

ſpatium vel collectas, vel factas, cum literatis communicaret, Commentationem hanc, notis ſuis illuſtratam, publicare voluit Ven. *Schärfius*. Cum enim, ante annos nunc quatuor & triginta, ex Academia Vitembergenſi redux, dum tertium & vigeſimum nondum annum attigerat, ſacro divinitus muneri admoveretur; vivis præceptoribus ſubductus, mortuis ſe tradere cogebatur. Eam igitur in rem omnes, qui de ſtudiis ſacris tractandis præceperunt, quotquot nanciſci poterat, ſtudioſius evolvebat, ut, quæ adhuc deerant, ſuppleret. Sed tantum non omnes ſui temporis formam atque ſeculi genium ante oculos habuerunt, & Theologum ſingulis numeris abſolutum fingere laborarunt, ad quem tamen gradum adſpirare licet pauciſſimis. Hinc optare cœpit Noſter, ut in Academiis, ſingulis propemodum annis, publicus quidam doctor lectiones *προπαιδευτικὰς* inſtitueret, inque illis ad temporis rationem, ingeniorumque diverſitatem, inſtitutiones ſuas accommodaret. Fecit autem Noſter pariter, quod ſuum eſſe putavit, &, quæ ſubinde in lectione quotidiana occurrebant, animadvertens, his denique librum *Oſiandri* animadverſionibus illuſtrare, & ad præſentis ſeculi uſum accommodare, ſtuduit. Compulit eum præſertim ad opuſculum iſtud Theologi, meritorum, quæ in cœtum puriorem remque literariam exſtant, plurimorum gloria inſignis, eligendum, quod hoc ipſo viam non tam inſtituendi, quam continuandi potius, ſtudia ſacra oſtendere, neque ſtudioſum ſanctioris diſciplinæ formare, ſed verbi divini miniſtrum monere, voluerit. Neceſſaria quippe ipſi hoc magis videtur talis admonitio, quo plures, utcunque peractis aliquot in Academia annis, ſacrum munus ingreſſi, literarum ſacrarum ſtudia negligunt, nec de amplificanda rei ſacræ ſcientia, qua decet, ſolicitudine cogitant. Juſtum quoque huic libello pretium ſtatuerunt, ſuisque diligenter commendarunt, magni nominis eruditi, quos inter haud ultimum locum merentur *Jo. A. Quenſtedius* in Eth. Paſt. Adp. & *Aug. Herm. Franckius* in Monit. Paſtor. Præf. Poteſt etiam libelli hujus dignitas inde cognoſci, quod, quanquam plures ejus editiones exſtent, e. g. Tubingenſis A. 1591, 8, Vitembergenſis A. 1596, 8, & M. *Jo. Prætorii* rationi formandorum ſtudiorum addita,

Members are requested to notify any change of address to the Secretary, Royal Geographical Society, Kensington Gore, London, S.W.

The Council will be glad to receive information as to the decease of Members.

Abbreviations.—Ab. = Abyssinia; Afr. = Africa; Alg. = Algeria; Alp. = Alps; Am. = America; Ant. = Antarctic; Arab. = Arabia; Arc. = Arctic; Arg. = Argentina; Asia = Asia; Atl. = Atlantic; Aus. = Australia; Bal. = Baltic; Bel. = Belgium; Bol. = Bolivia; Bor. = Borneo; Braz. = Brazil; Can. = Canada; Cas. = Caspian; Cau. = Caucasus; Ch. = China; Col. = Colombia; Con. = Congo; Cor. = Corea; Cr. = Crimea; Cz. = Czecho-Slovakia; Dan. = Denmark; Dut. = Dutch; Ecu. = Ecuador; Egy. = Egypt; Eng. = England; Eq. = Equatorial; Fin. = Finland; Fr. = France; Ger. = Germany; Gr. = Greece; Gua. = Guatemala; Hol. = Holland; Ice. = Iceland; Ind. = India; Ire. = Ireland; Is. = Islands; It. = Italy; Jap. = Japan; Kash. = Kashmir; Kor. = Korea; Mad. = Madagascar; Mal. = Malay; Mex. = Mexico; Mor. = Morocco; Nep. = Nepal; Nig. = Nigeria; Nor. = Norway; Pac. = Pacific; Pal. = Palestine; Par. = Paraguay; Per. = Persia; Pol. = Poland; Port. = Portugal; Pyr. = Pyrenees; Rho. = Rhodesia; Rom. = Roumania; Rus. = Russia; Sah. = Sahara; Sco. = Scotland; Sib. = Siberia; Sp. = Spain; Sud. = Sudan; Swe. = Sweden; Swi. = Switzerland; Tib. = Tibet; Tur. = Turkey; U.S. = United States; Ven. = Venezuela; Wal. = Wales; W.I. = West Indies.

Abbott, Lieut.-Col. Sir Edward Stanley, K.C.M.G., C.B., R.E. (ret.), 1 Cranley Gardens, S.W. 7. Ind.

Abbott, Miss Ethel, 1 Cranley Gardens, S.W. 7.

Abbott, Miss Gertrude, 1 Cranley Gardens, S.W. 7.

Abbott, Miss Mary, 1 Cranley Gardens, S.W. 7.

Abbott, Miss Rosamond, 1 Cranley Gardens, S.W. 7.

Abbott, Rev. Walter Maynard, Ashcroft, Hindhead, Surrey. Ind.

Abbott, William Louis, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, William Louis, Jr., Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, Jr., Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 3rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 4th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 5th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 6th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 7th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 8th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 9th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 10th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 11th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 12th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 13th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 14th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 15th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 16th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 17th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 18th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 19th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 20th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 21st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 22nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 23rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 24th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 25th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 26th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 27th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 28th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 29th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 30th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 31st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 32nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 33rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 34th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 35th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 36th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 37th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 38th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 39th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 40th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 41st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 42nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 43rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 44th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 45th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 46th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 47th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 48th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 49th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 50th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 51st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 52nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 53rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 54th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 55th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 56th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 57th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 58th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 59th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 60th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 61st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 62nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 63rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 64th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 65th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 66th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 67th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 68th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 69th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 70th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 71st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 72nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 73rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 74th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 75th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 76th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 77th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 78th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 79th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 80th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 81st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 82nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 83rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 84th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 85th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 86th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 87th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 88th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 89th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 90th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 91st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 92nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 93rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 94th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 95th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 96th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 97th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 98th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 99th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 100th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 101st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 102nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 103rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 104th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 105th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 106th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 107th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 108th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 109th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 110th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 111th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 112th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 113th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 114th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 115th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 116th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 117th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 118th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 119th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 120th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 121st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 122nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 123rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 124th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 125th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 126th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 127th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 128th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 129th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 130th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 131st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 132nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 133rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 134th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 135th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 136th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 137th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 138th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 139th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 140th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 141st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 142nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 143rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 144th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 145th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 146th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 147th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 148th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 149th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 150th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 151st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 152nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 153rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 154th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 155th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 156th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 157th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 158th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 159th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 160th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 161st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 162nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 163rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 164th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 165th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 166th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 167th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 168th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 169th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 170th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 171st, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 172nd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 173rd, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 174th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 175th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 176th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex., Pac., Per., Rus., Sib., U.S.

Abbott, Wilmer Hunt, 177th, Wissahickon, Philadelphia, U.S.A. Afr., Asia, Ch., Ind., Jap., Mex.,

sio, ubi Academiæ Tubingensis laudes hunc in modum persequitur: *Laus hæc almæ inclutæque huic schola propria fere ac perpetua ab ipsis instauratæ purioris doctrinæ initiis fuit, quod munditiem doctrinæ cœlestis curæ cordique haberet, & imbuti orthodoxa religione juvenes ex eâ, tanquam ex equo Trojano, magno sæpe numero prodirent, & castæ solidæque veritatis studio postea gregem, sibi commissum, fideliter pascerent, atque ab omni labe illibatum præstare conarentur. Utinam hodie laudatissima hæc patrum vestigia accuratius legerent, qui piis doctisque hominibus, irenicis suis consiliis, justam conquerendi causam hactenus dederunt!* Quæ post verba de meritis doctorum Tubingensium disputat Ven. *Scharfius*, & plurimos præsertim, ubi fusius ista tractantur, excitat libros. Nos autem de appendice potius aliquot Dissertationum & Epistolarum, cum rariorum, tum MStarum, tria verba subjungamus. Primum hic locum obtinet brevis discendæ Theologiæ ratio, autore *Philippo Melanchthone*, ex *Tomo I Oper. Witt. A. 1580* in *fol.* editorum, excerpta. Alterum *Casp. Crucigeri* admonitio ad verbi divini ministros, quæ quidem Præfatio est, quam Theologus inter *Lutheri* adjutores non postremus, & variarum linguarum eruditione, matheseos ac rei medicæ peritia, candore ac fide, commendatissimus, *Margaritæ theologicæ Jo. Spangebergii, Vitembergæ A. 1541, 8*, editæ, præfixit. Tertium Epistola *Melanchthonis* ad amicum, ex *Luc. Bacmeisteri modi concionandi simplicis informatione, Vitembergæ A. 1598, 8*, publicata, cum in nulla Epistolarum *Melanchthonis* collectione reperiri potuerit. Quartum Epistola *Abrah. Bucholzeri* ad D. *Freibubium*, Prof. Lipsi. jocoseria, ex ipso avtographo descripta. Quintum ejusdem Epistola ad nobilissimum *Nic. Rhedigerum de Striesa*, biennio ante obitum Autoris scripta, nec nihil de vitæ ipsius ac morum ratione pandens. Sextum D. *Chytræi* ad *Petrum Monavium* Epistola, similiter ante inedita, cujus generis plurimas servat *Scharfius*. Septimum *Jo. Caselii* ad *Dan. Bucretium* Epistola inedita, de obitu potissimum *Petri Monavii*. Octavum Epistola M. *Mylii* ad *Sim. Grunæum*. Nonum *Mich. Gebhardi*

hardi Epiſtola ad eundem. Decimum *Andr. Oſiandri* ad *Ambroſ. Moibanum* Epiſtola. Undecimum Epiſtola *Th. Bezæ* ad *Claud. Texturem*; & duodecimum demum altera ejusdem ad eundem. Ubivis ſimiliter limatiſſimæ notæ adjunguntur, deque Autoribus maxime, ut & de viris, ad quos Epiſtolæ nominatim exaratæ fuerunt, varia, eademque notatu digniſſima, miſcentur. Quid multa? Sitim excitavit doctiſſimus Editor lectoribus ſuis, reliquas pariter, quas maximo numero in ſcriniis ſuis ſervat, Epiſtolas tam accurate illuſtratas accipiendi.

LA DECOUVERTE DES LONGITUDES &c.

hoc eſt,

LONGITUDINUM INVENIENDARUM Methodus detecta, juncta inſtructione pro navigatoribus, eandem in uſum convertendi. Autore D. DE LA DREVETIERE.

Pariſiis, 1740, 8.

Plag. 3.

Celebre illud longitudinum Problema utilitate ſua juxta ac difficultate Autorem allicuit. Summa cogitatorum ejus huc redit: Semicirculum, per Polos & Nadir Pariſienſe transeuntem, *primum meridianum* vocat; ab eo ſol quovis die exiens, diem inchoat, *univerſalem* & *longitudinarium* ipſi dictum, deinde *ſecundum meridianum* per Zenith Pariſienſe duxit, qui adeo cum priore circulum complet. Jam Lunam aliquam fingit motu prorſus regulari præditam, quæ cum Sole conjungitur ſub primo ſuo meridiano, cum media nox eſt Pariſiis. Hæc ergo Luna ficta primo menſis ſui die cum Sole a primo meridiano proficiſcitur, &, cum in omnibus motibus ſuis regularis ſit, quovis die in circulo revolutionis ſuæ menſtruæ 12 gradus abſolvet, ut 30 diebus integrum percurrat, adeoque quotidie a Sole gradibus 12 verſus orientem recedet, unde ſingulis horis dimidium gradum revolutionis diurnæ retardatur, ut, cum Sol una hora 15, hæc Luna ſaltem $14\frac{1}{2}$, abſolvat, adeoque $\frac{29}{30}$ quar-

tæ partis unius gradus ſingulis minutis horariis, ita ut, cum Sol reverſus ſit ad primum meridianum, luna ſit in circuli revolutionis ſuæ gradu 348, reverſaque ad primum meridianum, diemque ſuum ſecundum longitudinarium inchoans, a Sole 49′ 36″ diſtet. Si quis igitur ſub meridiano ignoto ſit, comparare debebit diſtantiam Solis ab hac Luna ficta ſub ſuo meridiano cum ea, quæ eſſe debet inter utrumque ſidus ſub meridiano primo, & differentia inter ambas diſtantias imputatis 2′ 4″ in ſingulas horas dabit horam diei longitudinarii, qua Sol per meridianum incognitum tranſiit. Quas vero Autor motus regulas Lunæ ſuæ fictæ præſcripſit, eas a vera quoque obſervari, & hinc, quæ dixit, ope hujus perfici poſſe, credit, inductus his rationibus: quia lunam non oporteat in motu ſuo irregularem, ſed regularem, eſſe, cum revolutiones ſuæ efficiant partem ordinis univerſi, cujus harmoniam quam maxime regularem eſſe oporteat; deinde quia raptæ circa tellurem cum hujus vortice, cujus motus maxime regularis eſt, motus ſimilis eſſe debet; denique, quia, ſi a quavis alia cauſa impellatur, hæc tamen ipſa cauſa, cum pars univerſi ſit, debeat regulariter agere. Hæc ad ferendum de Autore judicium ſufficient, qui tam bene rei aſtronomicæ peritus eſt, ut longitudinem in circulis meridiano parallelis computari dicat, & quod orbita Lunæ circa terram, cum re vera circularis ſit, *Elyptica* (ita enim perpetuo ſcribit) videatur ex terra, rationem eſſe contendat telluris extra centrum ejus poſitum. Itaque in his uberius explicandis nec tempus, nec chartam, perdemus, contenti, memoriam libelli conſervaſſe, qui, ſi nihil memorabile haberet, hoc tamen præcipuo gaudet, quod in eo loco, ubi ſummorum ingeniorum ſtudia, regiis beneficiis ſuſtentata, cœli ſecreta tam feliciter terricolis pandunt, potuerit ſcriptum tot tantisque abſurdis, quæ cuivis, non dicemus Aſtronomo, ſed homini ſana ratione utenti, in oculos incurrunt, repletum, in lucem proferri.

DELLE ANTICHITA' DELLE ARMI GENTILIZIE, &c. hoc eſt,

DE

DE ANTIQUITATIBUS ARMORUM GENTILITIORUM Liber CELSI CITTADINI, cum annotationibus JOANNIS HIERONYMI CARLI.

Lucc*æ*, typis & ſumtibus Salvatoris & Joannis Dominici Mareſcandi, 1741, 8.

Plag. 11.

Armorum inſignibus quibusdam jam veteres ſcuta ſua diſtinxiſſe, nemo ignorat. Ipſa vero reddita fuiſſe conſtantiora, tritioris uſus, & magis hæreditaria, ex quo feuda evaſerunt hæreditaria, & expeditiones cruciatæ fuere ſuſceptæ, omnes largiuntur. Priorem ſententiam vulgus eruditorum non ſatis habet in numerato. Optime idcirco meritus eſt de antiquitatibus inſignium heraldicorum *Celſus Cittadini*, qui illam in plena luce collocavit. Idem pronuntiare libet de libri *Cittadiniani* Cl. Editore, quippe qui paſſim egregias adſperſit ſententiis *Cittadini* illuſtrationes. Noſtri inſtituti eſt, paucos hinc inde delibare floſculos, in faſciculum complicatos. Memorabile eſt, milites olim navigantes pro more arma Pag. 6.
in puppibus religaſſe, quemadmodum pateſcit ex *Maronis Æn. X, 80,* & *V, 15.* Addimus locum illuſtrem *VI, 349-353.* Conf. etiam *I, 186, 123.* Scutum notari *armorum* vocabulo ſæpius, intelligitur ex *Æn. X, 412,* ubi hæc leguntur: *Seque in ſua colligit arma.* Addidit hæc *Servius: Poſt ſcutum ſe clauſit.* Con- 8.
fer eundem æque ac *Donatum* ad *Æn. XII, 841,* & *X, 412.* Eadem vocis poteſtas occurrit apud *Valerium IX, 6,* & *II, 2,* &c. Et quis neſcit, apud *Livium, Propertium,* ac *Tacitum*, eandem vocis poteſtatem haberi? Signum, quo ſcutum a ſcuto diſcrepavit non coloris tantum, ſed etiam figuræ, reſpectu, vocatur δεῖγμα. Digma illud in gregariorum ſcutis olim deſignabat nomen militis ac centuriæ, nec non centurionis. Nonnunquam 14.
nomen militis etiam in galea fuit ſcriptum. *Clypei* dicti videntur ἀπὸ τῦ γλύφειν, γλύπτειν, a *ſculpendo*; nam ipſis imagines continebantur, teſte *Plinio XXXV, 3.* Quæritur vero, 20.

an arma familiarum illuſtriorum gentilitia ſint ævo *Caroli M.* antiquiora. *Cittadinius*, ea fuiſſe multo vetuſtiora, contendit. *Homerus* ſane meminit *Il. XI, 36*, ſcuti *Agamemnonis*, ac
Pag. 36. *Gorgonis*, in eo depictæ. De tribus *Gorgonibus*, ſororumve triga, videndus eſt *Iſidorus XIX, 3*, æque ac *Plinius VI, 31. Apollodorus* in *Biblioth. III* Regi *Adraſto* tribuit ſcutum, & huic quidem aſſignat caput apri. *Alcibiadis* inſigne, ſcuto inſertum,
40. meminit *Athenæus XII, 9. Pauſanias Lib. IV pag. 157* deſcripſit familiarum illuſtrium arma gentilitia, commentatus de *Ariſtomenis*
42. ſcuto, intra *Trophonii* templum conſecrato. Idem *Lib. V pag. 213* prodidit, *Idomenea*, *Minois* nepotem, gallo uſum fuiſſe pro inſigni, deſignaturum ea ratione, ſe ad *Paſiphaen*, *Solis* filiam, genus referre. Serpentem fuiſſe in *Epami-*
47. *nonda* ſcuto, idem docuit *Lib. VIII pag. 291.* Eodem inſigni uſum eſſe *Lyſandrum*, autor eſt *Plutarchus.* Aquilas aheneas in ſcutis heroum eminuiſſe, teſtes ſunt *Ariſtophanes* & *Æſchy-*
49. *lus.* Imagines familiarum in exequiis Romanæ nobilitatis fuiſſe antelatas, ni prorſus eſſet notum, e *Taciti Ann. III* intelligeretur. Non eſt, quod exiſtimes, imagines eas nunc his, nunc illis, ſignis variantibus fuiſſe diſtinctas. Nam, *Suetonio* teſte, *Caligula vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem*, - -. In *clypeo Ajacis* cælata erat mundi imago, teſte *Ovidio Metam. XIII, 110*, & *Homero* ſub finem *Iliadis XVIII.* Naves ſculptas fuiſſe *Maccabæorum*
56. inſignia, pateſcit ex *Macc. XIII.* In numis *M. Marcelli* caput elephanti viſitur, ſiquidem *Lucius Metellus*, ejus progenitor, du-
66. xit primus elephantos in Italiam, autore *Plinio VIII, 43.* Omittimus alias familiarum Romanarum imagines ac inſignia. *Turni clypeum* ſublatis cornibus *Io* aurea inſigniebat, teſte *Virgilio Æn. VII, 789.* Reſpiciunt plerumque Poetæ ad ſeculi ſui
72. morem ritumque. In columna triumphali *Aurelii* viſuntur arma militum, eorumque ſcuta, inſignibus notata. In velis quoque forium proceres & Imperatores titulum & inſignia ſua exponere ſolebant, de quibus Noſter copioſe. Olim cortinæ, ſive vela, poſſeſſionibus præfixa fuerunt. Ex velis ejusmodi ſuſpenſis,

ſis, tituloque, inde dilucente, tituli *Cardinalium* emanarunt, a templis cardinalibus deſumti. Id vero, quod Autor de liliis aureis, *Clodovæi* & *Caroli M.* inſignibus, habet, fabulis merito annumeramus. Noſtrum eſt, Editori Cl. qui notas opuſculo addidit limatiſſimas, honorem gratiasque habere, eo quod de *Cittadinii* ſcripto, ac de re omni literaria, eo ipſo egregie voluit mereri. Pag. 104.

ESAME CRITICO, INTORNO A VARIE SENTENZE d'alcuni rinomati Scrittori di coſe poetiche, e in particolare dell' Autore del Paragone della Poeſia d' Italia con quella di Francia.

id eſt,

JOSEPHI SALII, PATAVINI, SECRETARII perpetui Academiæ Recuperatorum, Examen criticum in varias opiniones nonnullorum celebrium de rebus poeticis ſcriptorum, & ſpeciatim in librum Autoris de Comparatione Poeſios tragicæ Italicæ atque Gallicæ, Tiguri A. 1732 editum.

Patavii, impenſis Joſephi Comini, 1738, 8.

Alph. 1 plag. 3.

Opus hoc eſt poſthumum, quod *Joannes Antonius Vulpius*, Profeſſor Eloquentiæ in Academia Patavina, in lucem emiſit, ac Præfatione ornavit. Legitur in ea pars elogii, quo *Salius* fuit dignus, Philoſophus quippe & Poeta Italicus optime moratus, & honeſtiſſimis natus parentibus. Legerat & perlegerat hic Poetas priſcos. Suſpiciebat *Ariſtotelis* de Poemate tragico præcepta, & *Sophoclem Euripidi* reliquisque Poetis anteferendum ducebat. Scripſerat idem Tragœdias, quibus indiderat inſcriptionem *Penelopes, Themiſti*, & *Salvii Ottonis*. Ignoraverat, Autorem libri illius, quem ſub examen vocat, eſſe Equitem Italicum. Vindicavit autem *Salius Homerum* adverſus Equitem illum, adverſus *Giraldum, Taſſonum*, ac *Muretum*, oſtendens,

dens, vel contendens, ab *Homero* rationem decori erga Deos haud fuiſſe neglectam. *Virgilium* defendit. Exponit rationes, cur quintus ſextusque Liber *Scaligeri* de Poetica ſibi diſpli-
Pag. 85. ceat, minusque probetur. Exhibet judicium de Poemate epico, idque ad *Homerum* ac *Virgilium* accommodat, laudans ju-
110. dicium *Vincentii Gravinæ* de *Homero*. Dijudicat Poema *Arioſti* ac *Taſſi*, nec non Italiam liberatam a Gothis, a *Triſſi-*
141. *no* compoſitam. Regulas poeticas *Ariſtotelis* defendit a cenſura Equitis. *Themiſti* Tragœdiam ab eodem defendit. Examinat hujus ſententias, quantum ad antiquas & recentes Tragœdias attinet, eidemque objicit ignorationem veræ ac perfectæ Tragœdiæ, ſecundum præcepta Græcorum concinnatæ.
192. Ediſſerit partes quatuor Tragœdiæ genuinæ. Fabulæ requiſita exponit. Quid ſit *Ariſtotelis* fabula duplex, & Tragœdia *Odyſ-*
222. *ſea*, diſquirit. Diſſerit de Tragœdiis exitus & læti, & triſtis. Exponit requiſita Tragœdiæ hæc tria, conſuetudinem, locutionem, & ſententiam. Quantum liceat philoſophari in componendis Tragœdiis, monſtrat. Græcorum præcepta, de Comœdiis Tragœdiisque condendis ſancita, ipſi ſunt inſtar omnium. Negat, Græcos erraſſe in characterum dignitate. De choro, in Comœdias inducto, doctam tractationem exhibet, eumque exiſtimat eſſe & neceſſarium, & utilem. Tuetur veterum præcepta tragica & dramata, licet Eques eis anteponat recentiora. Supereſt nihil, niſi ut novus ſurgat Criticus, qui vetera laudet, quantum ea poſſunt laudari, & recentiora Poemata atque præcepta cum eis ita in comparationem adducat, ſuumque tribuat cuique. Eſt enim, ubi bonus dormitat *Homerus*. Si certæ poſſint ſuppeditari de re poetica regulæ; tum facillimum factu erit, ad eas, tanquam ad lapidem Lydium, examinare præcepta & poemata comica æque ac tragica tum veterum, tum recentiorum. Si vero de hiſce regulis conſtituendis lis reſtabit perpetua, vel eæ ſint prorſus nullæ; tum redibit ſemper labor actus in orbem, & controverſiæ ſerra reciprocabitur, dum ſidera erunt, & guttæ pluviarum in flumina, flumina vero in Oceanum, decurrent.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCXLV.

ANTIQUITATES ITALICÆ MEDII ÆVI, SIVE Diſſertationes de moribus, ritibus, religione, regimine, magiſtratibus, legibus, ſtudiis literarum, artibus, lingua, militia, nummis, principibus, libertate, ſervitute, fœderibus, aliisque, faciem & mores Italici populi referentibus, poſt declinationem Rom. Imp. ad annum uſque MD. Omnia illuſtrantur & confirmantur ingenti copia Diplomatum & Chartarum veterum, nunc primum ex archivis Italiæ depromtarum, additis etiam Nummis, Chronicis, aliisque monumentis, nunquam antea editis, Autore LUDOVICO ANTONIO MURATORIO, Sereniſſimi Ducis Mutinæ Bibliothecæ præfecto, Palatinis Mediol. Sociis editionem curantibus.

Tomus V.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ in regia curia, 1741, fol.

Alph. 7 plag. 4.

Novum hoc Antiquitatum mediæ ætatis Italicarum *Volumen* Hiſtoriam eccleſiaſticam illius temporis potiſſimum illuſtrat, & eximiam prodit Celeberrimi Autoris in iſto ſcientiarum genere ſedulitatem. Quare nec opus eſt laude noſtra, cum ipſa Operis inſpectio ad adornandum *Muratorii* encomium ſufficiat. Conabimur ergo ſumma totius libri capita delineare, Lectori judicium relicturi de immortali-

Patrick, and the Irish Church, and the Irish people, and the Irish nation, and the Irish language, and the Irish name, and the Irish character, and the Irish country, and the Irish soil, and the Irish sea, and the Irish air, and the Irish climate, and the Irish scenery, and the Irish mountains, and the Irish valleys, and the Irish rivers, and the Irish lakes, and the Irish woods, and the Irish plains, and the Irish meadows, and the Irish flowers, and the Irish trees, and the Irish birds, and the Irish beasts, and the Irish fishes, and the Irish bees, and the Irish cattle, and the Irish sheep, and the Irish goats, and the Irish horses, and the Irish dogs, and the Irish wolves, and the Irish foxes, and the Irish hares, and the Irish rabbits, and the Irish mice, and the Irish rats, and the Irish moles, and the Irish hedgehogs, and the Irish squirrels, and the Irish badgers, and the Irish otters, and the Irish seals, and the Irish whales, and the Irish dolphins, and the Irish porpoises, and the Irish sharks, and the Irish herrings, and the Irish mackerel, and the Irish salmon, and the Irish trout, and the Irish eels, and the Irish oysters, and the Irish lobsters, and the Irish crabs, and the Irish shrimps, and the Irish prawns, and the Irish cockles, and the Irish mussels, and the Irish periwinkles, and the Irish limpets, and the Irish whelks, and the Irish snails, and the Irish slugs, and the Irish worms, and the Irish flies, and the Irish gnats, and the Irish midges, and the Irish fleas, and the Irish lice, and the Irish bugs, and the Irish spiders, and the Irish beetles, and the Irish butterflies, and the Irish moths, and the Irish caterpillars, and the Irish grubs, and the Irish maggots, and the Irish grasshoppers, and the Irish crickets, and the Irish locusts, and the Irish cockroaches, and the Irish earwigs, and the Irish centipedes, and the Irish millipedes, and the Irish woodlice, and the Irish scorpions, and the Irish ticks, and the Irish mites

Mr. Lyell, in his Principles of Geology, has given a very interesting account of the Falls of Niagara, and has shown that the rate of recession of the Falls is about one foot per year. Now, the Falls are about seven miles from Lake Erie, and the whole of this distance has been excavated by the river. Hence, if we assume that the rate of recession has been uniform, we can calculate that the Falls have been in existence about 35,000 years. But this is a very rough estimate, and the rate of recession has probably been much greater in the past than it is now. Mr. Lyell has also shown that the deltas of rivers afford a means of estimating the duration of geological periods. The delta of the Mississippi, for example, is about 500 feet thick, and it is formed of sediment which has been carried down by the river from the interior of the continent. The rate at which this sediment is deposited can be calculated, and from it we can estimate the time which has been required for the formation of the delta. The result is that the delta has been forming for about 100,000 years. But this is also a very rough estimate, and the rate of deposition has probably been much greater in the past than it is now.

The study of the rate of change in the earth's crust is one of the most important problems in geology. It is a problem which requires the combined efforts of many observers, and it is one which will occupy the attention of geologists for many years to come. The results which have been obtained so far are very interesting, but they are only a beginning. We have yet much to learn before we can form a complete picture of the history of the earth.

Persons who have been Members of the Corporation, and have been expelled, may be restored.

Persons who have been Members of the Corporation, and have been expelled, may be restored.

Persons who have been Members of the Corporation, and have been expelled, may be restored.

moniali, flammis datus. Sed nec tum turbis ecclesia fuit liberata. Ferrariæ enim *Armanus Pungilupes* somnia veterum Gnosticorum suscitavit, seque Bagnolensi hæresi socians, effecit, ut post obitum A. 1269 a plebe Sanctus propter ficta quædam miracula celebraretur. Iustituta igitur inquisitio, quæ in plures protracta annos, & A. 1300 a *Bonifacio VIII* Romam arcessita, hunc finem exitumque sortita est, ut A. 1301, 22 Martii, damnaretur hæreticus personatus, tumulusque dejiceretur. Acta inquisitionis, *Capitibus* constantia *XVI*, a *Peregrino Priscia-no* olim collecta, & a *Muratorio* nunc primum publicata sunt. *Armannum* vulgo vagæ libidinis insimulant, cujus criminis cum nulla in universo actorum volumine fiat mentio, vulgari sententiæ fidem jure negavit *Muratorius*. Qui circa idem tempus caput extulere, *Gerardus Secarellus*, Parmensis, atque *Dulcinus*, A. 1307 Vercellensem infestarunt agrum, verum ecclesiæ cura repente obmutuerunt. *Dissertatio LXI* agit *de Cardinalium institutione*. Quinam dicti sint primum e Clericorum numero Cardinales, non una est hominum eruditorum sententia. Alii ab arcto cum ecclesia nexu, alii a dignitatis prærogativa, tractum arbitrantur nomen. *Muratorius*, utramque temperans opinionem, Cardinalium nomen, scribit, ad perpetuos ecclesiarum baptismalium atque diaconiarum rectores pertinuisse, quia illi in ecclesia incardinarentur quasi, & sic præ ecclesiarum commendatarum præfectis singularem nanciscerentur autoritatem; quo sensu notat & *principem Cardinalem* a *Cassiodoro Var. Lib. VII Ep. 31* commemorari. Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium differentiam natam conjicit, cum ex Clericis alii Ecclesiæ baptismali, alii Diaconiæ, præficerentur. Solam dignitatis notam cardinalitio titulo contineri posse negat, quod in infimi quoque subsellii civitatibus Cardinales Episcopos commemorent Epistolæ *Gregorii M.*, & ruralem parochum Diaconi Cardinalis titulo cohonestet *Zachariæ* Pontificis scripta A. 747 ad *Pipinum* Epistola VII. Add. *Jo. Diaconus* in *Vita Gregorii M. III, 11*. Non substitit usus tituli intra Romanam diœcesin, sed, ineunte Sec. XI, in præstantiores Italiæ universæ urbes dimanavit, testantibus id chartis apud *Puricellium Monum. Basilicæ Ambros.*

Pag. 96. 116. seq. 118 seq. 139. 141-148. 149. Diss. LXI. Pag. 155. 156. 157. 158 seq.

brof. ad A. 1032, 1034, 1105, 1123, & Rubeum Hiſt. Rav. Lib. V pag. 232, qui, eundem morem ad A. 1568 duraſſe, *Lib. X pag. 745* teſtimoniis validiſſimis evicit. Addit *Muratorius*, in
Pag. 164. regionibus quoque transalpinis Cardinalium nomen aliquibus Clericis tributum, quos tamen exiſtimat nunquam Canonicos tantum fuiſſe, ſed Parochos inſuper, aut Capellæ alicui, ſeu Dia-
165. coniæ, præfectos; atque hinc forte in ſubſcriptionibus Diplomatum Canonici a Cardinalibus diſtingui cœperunt. Presbyteri Cardinales ad reſidentiam erant obſtricti, ceu Parochi. Hinc Synodus Romana, ſub *Leone IV* habita, *Anaſtaſium* A. 853 depoſuit, quod contra Canones parochiam ſuam per quinquennium
166 ſeq. deſeruiſſet. Iidem titulum ſuum in chartis ſolent adſcribere, non æque Diaconi; quare, ſi quando in Bullis ejusmodi quidpiam occurrat, diligentius erit inquirendum, num in avtographis ita legatur, an incuria forte, vel audacia, librariorum irrepſe-
Diſſ. LXII. rit. A Cardinalibus ad *Canonicos Diſſertatione LXII* progredi-
Pag. 185. tur *Muratorius*, quorum originem cum deprehenderet communi virorum eruditorum ſuffragio a Francis & Sec. VIII repeti, demonſtrandum in ſe recepit, jam Seculo IV *Euſebium*, Vercellenſem Epiſcopum, inſtituti jeciſſe fundamenta. Narrat enim S. *Maximus*, cujus *de S. Euſebio* ſermones Noſter *Tom. IV Anecdot. Latinor.* inſeruit, Præſulem Vercellarum eccleſiæ ſuæ Clericos communi menſa ac domo excepiſſe, regulaque præſcripta ad
187. vitæ auſterioris diſciplinam conformaſſe. *Gregorius Turonenſis* in eccleſiis Bituricenſi ac Turonenſi menſam Canonicorum inter conſuetudines Sec. VI memorat. Tabulæ *Bertichrammi*, Epiſcopi Cenomanenſis, de A. 615, *Agericum*, ferunt, Turonenſem Epiſcopum, Canonicis ſuis quidquam vendidiſſe. Atque hinc clarum evadere cenſet *Muratorius*, ex *Euſebio Auguſtinum*, ex
188. *Agerico Chrodogangum*, Metenſem, profeciſſe. Indulgentia *Ludovici Pii*, & ſtudium *Amalarii*, Diaconi, per omnem Galliam ex-
190 ſeq. citavit collegia Canonicorum, quorum neceſſitatibus ipſi Sec.
198. IX ſubvenerant Epiſcopi. Italiæ idem inſtitutum placuit. Florentiæ jam A. 724 collegium Canonicorum S. *Joannis* Baptiſtæ floruiſſe, confirmatio *Ludovici II*, in Codice MSto Bibliothecæ
201 ſeq. *Strozziana* ſuperſtes, teſtatur. Quam ab exordio eccleſiæ cathedrales

thedrales habebant prærogativam, paulo poſt præſtantiores quæque aliarum urbium eccleſiæ imitatæ ſunt, imo etiam rurales, ſi fides Diplomati *Adelardi*, Regienſis Epiſcopi, de A. 944, Pag. 204. & privilegiis, quæ a *Benedicto VII* A. 976 Canuſium, & a 207. *Cœleſtino III* A. 1195 Ganacetum, acceperunt. Hæc origo eccleſiarum collegiatarum. Sec. XI corrupti ſunt mores Canonicorum, quorum antiquam reſtituere formam *Nicolaus II*, 216. *Alexander III*, *Gregorius VII*, & pii cujuscunque diœceſeos antiſtites, ſunt anniſi. Sed fruſtra, poſtquam, ruptis clauſtris, in libertatem ſeſe vindicaſſent Canonici; quod non ubivis eodem tempore factum. Miſſa veteri κοινωνίᾳ introductus *Præbendarum* 229. uſus, quo vocabulo deſignatur redituum portio, quam 232. Canonici, ſingulatim habitantes, ad victum atque veſtitum capiunt. Rei veſtigia, forte & ipſum nomen, Seculum X haud ignoravit, teſte *Ratherio Veronenſi in Opuſculo de Abbatiola*. *Regulares* Canonicos, *Muratorius* negat, ab *Auguſtino* inſtitutos, ſed in 256. ſumma ceterorum corruptela, probat, a *Romualdo*, *Jo. Gualberto*, *Bernardo Clarævallenſi*, & aliis coævis, ad normam, quam olim *Auguſtinus* tenuerat, formatos. *Secularium* ac *Monachorum* 257. cum *regularibus* altercationes ex defenſione duumvirorum celebrium, Sec. XII exarata, & a *P. Pezio* edita, curioſus Lector haurire poteſt. *Diſſertationis LXIII* argumentum eſt *de* Diſſ. *Advocatis eccleſiarum & Vicedominis*. Defenſorum ſcholaſti- LXIII. corum, quos Epiſcopi ab Imperatoribus petebant, in Concilio Pag. 275. altero Milevitano occurrit memoria. Hi Advocati poſtea dicti ſunt, &, quod forenſium tricarum ignari penitus eſſent Clerici, & calumniæ juramento ſingularique certamine prohiberentur, in ſecularibus eccleſiarum negotiis adhibiti. Vid. *Leg. I Langobard. Henrici II* in *Script. rerum Ital. Tom. I. P. II pag. 178*. Quod enim multi ſtatuunt, a judicibus ſeculi Clericos 276. abſtinuiſſe, ad prima pertinet rei Chriſtianæ tempora; quandoquidem media ætate Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſæ, frequentes in forum civile confluebant. Cum autem mente manuque defendere eccleſias deberent Advocati, plures ideo deligebantur, quemadmodum A. 865 in eccleſia Mediolanenſi duo, *Boniprandus* & *Aribertus*, apud *Petrum*, Aretinum Præſulem, A. 933

tres

Pag. 278 seq. tres eo functi officio perhibentur. Spectata & personarum merita; quare regium magistratum voluit *Carolus M.* adhiberi, qui, quod plurima essent Advocatorum privilegia, electionem antistitis confirmaret. Aliquando Principes sibi jus eligendi vindicarunt. Sic monasterio Ticinensi A. 841 *Lotharius I,* monasterio S. *Michaelis* in Viliana A. 857 *Ludovicus,* ecclesiæ Aretinæ A. 898 *Landbertus,* monasterio Aretino A. 1022 *Henricus II,* monasterio Veronensi A. 1050 *Henricus* 291. *III,* dederunt Advocatos. Quodsi Advocatia, quæ ob imagi- 286. narium ingens coram Deo meritum, immunitatem ab expedi- 290. tionibus bellicis, & beneficia feudalia, multis arridebant, armatam manum postulabat, tum signum deferebat Advocatus, unde *Signiferorum* & *Confanonieriorum* nomen. Aucta potestate, Advocati sensim sensimque Episcoporum se subtraxerunt imperio, 293. unde Principum implorari auxilium cœpit, quo factum, ut 296 seq. præter sacramentum ecclesiæ præstandum Principibus quoque fidem jurarent Advocati. Sane Advocatus monasterii S. *Hilarii* Olivolensis A. 1064 *Dominico Contareno,* Venetiarum Duci, jure se jurando obstrinxit. Alicubi hæreditarium jus introductum, per Italiam præsertim, ubi clara familiarum *Tempestæ,* 310. *Azzonum, Balugolensis,* ac *Celleſiæ,* studia. *Vicedomini,* quo munere *Muratorius* Pistorii functos Buonvasallos suspicatur, bona ecclesiarum secularia procurabant, vasallis Episcoporum reddebant jura, ac, Præsule fatis functo, domum ipsius eccleſiæ- 311. que reditus custodiebant. Primum e Clericorum ordine lege- Diss. bantur, sed sensim in eam messem laici venerunt. *Dissertatio* LXIV. *LXIV varium statum Diœceseon episcopalium* examinat. Sub initium de terminatione earundem disputat *Muratorius,* antiquam Pag. 326. explodens de Mutinensis & Bononiensis Episcopi in juvenes currentes compromisso fabulam, posthumo *Sigonii de Episcopis Bononiensibus* Commentario imperiti forsitan hominis manu as- 327. sutam, quam vel imperatorius *Ratchisii* titulus in charta de A. 328. 747, ad quam Bononienses provocant, falsitatis convincit, etsi negari nequeat, jam Sec. XI vestigia insulsæ narrationis inveni- 329 seq. ri. Mutationibus provinciarum sacrarum bella & schismata ansam dederunt, nec minor culpa privilegiis exemtionum debet

Digitized by Google

bet tribui. Illis enim monaſteriis non ſolum peculiares datæ ſunt diœceſes, ut Caſinenſi, Pompoſiano, Carenſi, Farfenſi, Nonantulano, Vulturnenſi, Bobienſi, ſed etiam eccleſiæ baptismales. Caute tamen in Diplomatibus Sec. XI antiquioribus diſpiciendum eſt, ne fictis temere fides adhibeatur. *Diſſertatio LXV de Monaſteriorum erectione, & Monachorum inſtitutione*, inſcripta eſt. Aſcetas Sec. IV, nullus dubitat *Muratorius*, Monachatus jeciſſe fundamenta, eumque ex Oriente in occidentales plagas transtuliſſe. Mediolani primum monaſterium fuit exſtructum, cujus memoria jam ſub *Ambroſio* celebratur, nec adeo eſt ab *Auguſtini* demum temporibus repetenda. Sub *Martino* idem inſtitutum obſervat *Sulpicius Severus* in *ejus Vita Cap. 4. Athanaſium*, fruſtra refert *Baronius*, A. 340 Romæ monachalem diſciplinam intuliſſe, ipſumque habet *Hieronymum*, cujus teſtimoniis narrationem ſtabilivit, contradictorem. Seculo V ubique ferme per Italiam univerſam excitata Cœnobia. Seculo VI celebritatem ea cura adeptus eſt *Caſſiodorius* Senator. Eadem tempeſtate regulam *Benedicti*, vix introductam, plurima adſciverunt monaſteria, cui ſumma commendatio a peſte Sarabaitarum deleta acceſſit. Sed non minor pietatis & literarum gloria in monaſteriis, quæ Principes primum, tum horum exemplo magnates ceteros, ad ea certatim condenda invitavit. Poſteriori ætate, dici nequit, utrum Pontifices Romani, an Epiſcopi, an Principes Beneventani, an Fori Julii Duces, an Etruſcorum Principes, plura condiderint monaſteria; neque dubium eſt, quin plura exſtrui curaſſent, ni Langobardorum depopulatio pietati ſingulorum evaſiſſet impedimento. Fundatoribus integrum erat eligere Abbatem, & ceteros congregationi officiales præficere, quorum nomina ordinatio monaſterii Bobienſis de A. 835, *Waba* autore ſtabilita, ſervavit. *Oblatorum* in hiſtoria Ordinis S. *Benedicti* frequens mentio. Sec. VIII Principes ipſi vitam monaſticam ſeculari antetulerunt, ſaltem ſi morbo graviori decumberent, aut in mortis articulo verſarentur. Hos *Monachos ad ſuccurrendum* dictos, diſcimus e *Luitprando III, 5.* Seculo XIII plures Ordines religioſorum hominum debent natales, Prædicatores inprimis, Minores, Carmelitæ, Servi B. Virginis,

Pag. 338 ſeq. 335 ſeq. Diſſ. LXV. Pag. 363. 364. 365. 366. 367 ſeq. 378. 380. 382. 389. 390.

Virginis, qui & ipſi laude pietatis florentes, in Principum ſecretaria adſciti, & ſecularibus muniis præfecti ſunt; quare non
Pag. 391. potuit non augeri in immenſum religioſorum per Italiam nu-
405 ſeq. merus, & ruri etiam locus condendis Cœnobiis requiri, qualia
422 ſeq. nunc *cellarum*, nunc *obedientiarum*, nomine inſignita, *Jo. Gualbertus*, Ordinis Vallumbroſiani conditor, abrogavit. Opes horum ſacrariorum frequenti liberalitate, æque ac numerus, creve-
472 ſeq. runt; & minora ſenſim majorum poteſtati ſubjecta ſunt, vel
ſponte, quod in Cluniacenſis monaſterii flore præſertim contigit, vel coacta a ſummo ſacrorum moderatore. Orta etiam *mo-*
Diſſ. LXVI. *nialium monaſteria*, quorum inſtitutum *Diſſertatio LXVI* plu-
Pag. 495. ribus exponit. Devotæ virgines jam Sec. IV ſumſere ve-
496. lum; aſt Sec. VI demum regulam, a *Cæſario*, Epiſcopo Arelatenſi, præſcriptam, ſunt profeſſæ, ſenioribus Nonnarum &
508. Abbatiſſarum nomine dato. Ante tempora *Pii V* prodire in publicum monialibus licebat, modo per villas & prædia non diſcurrerent, quod jam legitur a *Gregorio M. Ep. IV, 9*, & Concilii Aquisgranenſis, itemque Cabilonenſis, Patribus, interdi-
510. ctum. *S. Scholaſtica*, ſoror S. *Benedicti*, ſemel quotannis e monaſterio Caſinenſi ad inviſendum fratrem iter inſtituit. *Henrico V*, A. 1111 ad coronationem Romanam venienti, obviam miſſæ ſunt monachæ centum. Quid? quod moniales, ſi actione civili peterentur, ipſæ ad tribunal properarunt, ceu de *Roza* charta A. 1001 indicat. Immo manſerunt nonnullæ, poſtea-
quam velum ſumſiſſent, in domo paterna, aut ſua, quod vel
511. uno poteſt *Ageltrudæ, Guidonis Auguſti* viduæ, exemplo corro-
524. borari. Abbatiſſas, quas ad Concilia ſæpius veniſſe conſtat, le-
526. gebat e gremio conventus, accedente in monaſteriis non exem-
533. tis autoritate Epiſcopi. Caſtitatis votum ab antiquo ſervarunt monachæ, quæ, ſi corpus proſtituiſſent, æque ac liberæ, ſervili congreſſu contaminatæ, inter penſiles Regis & privatorum ancillas in gynæceo collocabantur. Peſſimum morem, quem ne a Langobardorum Regibus invectum tueamur, *l. 1 Lib. V Liut-*
540. *prandi* facit, præclaro conſilio ſuſtulit *Lotharius I* Imp. Sera *Canonicarum* origo, quarum hodie numeroſa propago in Belgio & catholicis Germaniæ territoriis. Regulam A. 817 Concilium

Aquis-

Aquisgranenſe præſcripſit, cujus ſit in decreto *Eugenii III* de A. 825, & mox ad A. 858, apud *Jonam*, Epiſcopum Æduenſem, mentio, a Synodo Romana A. 1058 ſub *Nicolao II* reprobatam. Peculiares ſunt ritus in conſecrandis monialibus adhibiti, quos maximam partem e libro rituali perantiquo, Caſanatenſis Bibliothecæ κειμηλίῳ, hauſit *Muratorius*; quare dignus viſus eſt liber, ex quo prætermiſſa ab *E. Martene* plurima deſcriberentur. *Diſſertatio LXVII modos* recenſet, *quibus olim Eccleſiæ, Epiſcopi, Canonici, Monaſteria, & aliæ ejusmodi univerſitates ſacræ, terrenis opibus & commodis auctæ ſunt.* Æraria eccleſiarum, quæ primum vix alimenta Clericis neceſſaria ſubminiſtrabant, piorum oblationibus tranſituque multorum in ordinem ſacrum, quibus eccleſia ex lege *Theodoſii* Jun. & *Valentiniani* inde ab A. 434 ſuccedebat, nec non dote puerorum oblatorum, aucta ſunt. Dein fundos coemere more privatorum, oblatos ſtipulato canone annuo reddere offerentibus, emphyteuſes conſtituere, legata & hæreditates capere ex teſtamento, donatos a piis agros, aut ab ituris in bellum ſub conditione relictos, poſſeſſionibus ſuis adſcribere, liberalitatem inprimis Principum cum poteſtate *judicandi pro anima*, hoc eſt, in eccleſiarum, monaſteriorum, aut hoſpitaliorum, jus transferendi, in uſus ſuos convertere, ſacræ, quas nominavimus, univerſitates didicerunt. Nec raræ fuerunt ejus generis acceſſiones, cum pro iisdem Clerici, lateri Principum adhærentes, exhortationes patrum ad eleemoſynas, perſuaſiones ſuperſtioſæ de raptis injuſto titulo bonis per oblationem conſecrandis, preces denique ſacerdotum & monachorum, laborarent. Multa præcipue locis ſacris *peccatorum redemtione* acceſſerunt, quod caput *Diſſertatione LXVIII* tractat Cel. *Muratorius*, ſimulque in *originem indulgentiarum* inquirit. Ante *Theodorum*, monachum Græcum, qui Sec. VII floruit, nemo certas peccatis quibuscunque pœnitentias ſtatuit in Occidente. Nam, quæ S. *Columbanus* ordinaverat, abdita in monachorum ſcriniis ſervabantur. *Theodori* exemplo invitati ſunt *Beda*, aliique, ut canones pœnitentiales colligerent; quare Sec. IX nullus Presbyter libro pœnitentiali facile caruit. Canonibus his mos taxandi peccata,

Pag. 571. 573 ſeq. Diſſ. LXVII. Pag. 589. 625 ſeq. 634. 644. 653. 655. Diſſ. LXVIII. Pag. 711. 712. 713.

& vel pauperum nutritione, vel parata pecunia, redimendi, introductus, quem inde Canon 26 Concilii Cloveshovienſis II,
Pag. 716. A. 747 a *Bonifacio* in Germania convocati, *novam adinventionem* vocat, conſpirantibus ipſis pœnitentialibus libris, quorum
719 ſeq. bigam e Bibliothecis Italis primus protraxit *Muratorius*. Nova
742. acquirendi via cum perplaceret monachis, in meſſem eandem advolarunt, etſi audire confeſſiones eccleſiaſticis legibus prohiberentur. Frequentiſſimum peccati pretium annua ſolidorum XXVI penſio erat, aut, ſi peccatori curta eſſet ſupellex, trium. Vid. *P. Damiani Epiſt. ad Hildebrandum* in *Scr. rer. Ital. T. IV*
743 ſeq. *pag. 28.* Peccator, omni deſtitutus pecunia, fundos offerebat,
761. ſervato interdum pro ſe, aut liberis ſuis, uſufructu. Pœnas illas indulgentiarum origo eliminavit, quibus antiſtites, Romanus inprimis Pontifex, peccatorum pœnas relaxarunt, quoties difficilia tempora, impotentia, corporis ægritudo, aut alia juſta
762. cauſa, miſericordiam poſtularet. Magis invaluit uſus in expeditionibus adverſus Saracenos. Qui enim tum cruce ſumta in terram ſanctam, aut poſteriori ævo in Hiſpaniam, proficiſcebantur militatum, remiſſionem criminum quorumcunque facili negotio obtinebant. Poſt annum Chriſti 1000 inter ſolennia
763. dedicationis templorum indulgentiæ adhibitæ, quas alii in lucrum verterunt, & A. 1300 *Bonifacius VIII* ſpopondit omnibus,
765. qui Romam iter ſuſciperent. Vid. *Chron. Aſtenſe Cap. 26.* Sunt, qui minus conſiderate de indulgentiis ſentiunt. Sed hos putat *Muratorius* non animadvertere, per indulgentias tolli clericalis avaritiæ occaſionem & umbram. Addit votum pro reſtituendo priſcæ eccleſiæ rigore, quo rei criminum publicorum, a Principe aggratiati, cenſuram eccleſiaſticam haud effugiebant. Adducit pro confirmanda ὑποθέσει *Oderici Canonici* locum e Codice MSto A. 1235 Bibliothecæ Senenſis *de ordine officiorum eccleſiæ Senenſis*, ubi traditus modus, quo homicidæ Sec. XIII
Diſſ. coram eccleſia crimen expiare ſunt juſſi. *Diſſertatio LXIX*
LXIX. agit *de Cenſibus & reditibus, olim ad eccleſiam Romanam ſpectan-*
Pag. 797. *tibus.* Confictam, quæ circumfertur, *Conſtantini M.* donationem etſi *Muratorius* fateatur; nihilo tamen minus liberalem fuiſſe in Rom. eccleſiam Imperatorem, qui Chriſto primus dedit nomen,

teſtimoniis

Digitized by Google

teſtimoniis fultus *Anaſtaſii* & *Ammiani Marcell. Lib. XXVII Cap. 3* aſſeverat. *Pipini* donationem defendens, ingentes eam attuliſſe divitias tuetur, aliosque recenſet Principes, qui variis modis Romanam eccleſiam locupletarunt. Æque curioſus eſt labor, proventus ejusdem e monumentis Sec. XII & XIII haurire. Hos inſigni ratione auxere cenſus monaſteriorum, pro exemtione cameræ Pontificiæ quotannis perſoluti, qualis legitur 10 ſolidorum aureorum A. 817 Farfenſi monaſterio a *Stephano IV* Pontifice indictus. Sollicitus in cenſibus ejusmodi exigendis fuit præ ceteris *Gregorius VII*, cujus exemplum *Urbanus II*, *Hadrianus IV*, & *Calixtus II*, ſunt ſecuti. Fœderibus, contra infideles ictis, ea lege plerumque acceſſerunt Pontifices Romani, ut urbes captæ feudali, vel, ſi mavis, emphyteutico, nexu adjungerentur Romanæ eccleſiæ, & cenſus in recognitionem dominii directi annuus ſolveretur. Vid. *Gregorii VII literas de A. 1073 Lib. I Epiſt. 7. Diſſertatio LXX Cleri & eccleſiarum immunitates, privilegia, atque onera, poſt invectas in Italiam barbaras gentes*, repræſentat. Immunitates quædam ad Clericorum perſonas pertinent, aliæ ad loca, cultui ſummi Numinis dicata, aliæ ad reliquas Clericorum poſſeſſiones. Primum genus immunitatum pro diverſo Principum in Clericos atque religionem animo variavit. Sic, etſi cognitio de Clericis ſit penes Epiſcopum, Reges ſeſe & Principes non raro eccleſiaſticis controverſiis immiſcuerunt. Sane Langobardorum Regum autoritas ſubinde implorata, ſi Epiſcopos inter litigia ferverent. Controverſiam *Talisperiani*, Antiſtitis Lucenſis, cum *Joanne*, Antiſtite Piſtorienſi, A. 716 *Ultianus*, Notarius & miſſus *Liutprandi* Regis, *Speciosus*, Præſul Florentinus, & *Walpertus*, Lucenſis Dux, diremerunt, quod judicatum, in archivo Lucenſi hodieque ſuperſtes, ex avtographo deſcripſit *Muratorius*. Similiter querelæ Cleri Lucenſis contra *Peredeum*, Epiſcopum, A. 771 ad *Deſiderium*, Regem Langobardorum, ſunt delatæ. Ad hunc modum Reges Franciæ & Italiæ, ſi Clerus, ab Epiſcopo gravatus, ſupplex ipſis fieret, reviſionem, id eſt, novum judicium, imperarunt. Ita, cum *Alpulus* quidam, Lucenſis Presbyter, ſtupri, in ſanctimonialem commiſſi, damnatus, ad *Pipinum*, *Caroli M.* filium, Italiæ Re-

Pag. 805 ſeq. 809. 829. Diſſ. LXX. Pag. 913. 914. 915. 916. 917 ſeq.

gem, confugiſſet, *Jacobus*, Lucenſis Antiſtes, novum inſtituere judicium A. 803 juſſus eſt, quo ubi iterum cauſa cecidiſſet *Alpulus*, *Adalardus*, Abbas Corbejenſis, & regius in Italiam miſſus, ad juſtitias faciendas tertium poſtulavit judicium, per quod
Pag. 922. fuit tandem poteſtas reclamandi penitus ademta. Quodſi Clerici contra honorem Principis, vel datam ei fidem, eſſent quidpiam moliti, ad audiendum verbum Regis citabantur, & in crimine manifeſto carceris monaſtici, vel exilii, pœna plectebantur. *Carolus M.* legitur & Præſulem Piſanum, & *Pothonem*, Vulturnenſis Cœnobii Abbatem, ad ſe vocaſſe, immo *Anaſtaſium*, *Hadriani* Pontificis miſſum, pro captivis intercedentem, & importabilia verba loquentem, abitu prohibuiſſe. *Ludovicus Pius Nigellum* Abbatem in exilium egit, *Anſelmo*que, Archiepiſcopo Mediolanenſi, itemque *Wolfoldo*, Cremonenſi, & *Theodulpho*, Aurelianenſi, Epiſcopis, qui conjurationis fuerant ſocii, pœnitentiam irrogavit. Graviores Clericorum judices fuere ex Imperatoribus *Lotharius I*, ex Italiæ Regibus *Hugo* & *Berengarius*. In civilibus eccleſiaſticorum hominum cauſis, dubium non eſt diu habitum, ſeculares cognoſcere debere. Judicata ejusmodi de A. 833 & 880, a miſſis *Lotharii* & *Caroli Craſſi* pronuntiata, & ab ipſismet Auguſtis corroborata, edit hoc loco *Muratorius*, qui eodem jure A. 1019 *Henricum I* Imp. uſum probat, neque prius a Pontificibus prohibitos credit Principes, quam cum libertate ſua abuterentur, eandemque in perniciem eccleſiarum verterent. Rerum eccleſiaſticarum privilegia in immunitate a vectigalibus quibuscunque & immediata Principum protectione maxime conſiſtunt. Sed nec potuit eccleſia omnibus carere incommodis & oneribus, ex quorum longa ſerie, a Cel. *Muratorio* collecta, tria delibaſſe juvabit, oblationes annuas, Principibus ab Eccleſiis & Epiſcopis faciendas, hoſpitia Regum, miſſorum, & officialium, quoties ad ſacras domos, vel monaſteria, divertebant, *paratæ*, *manſionatici*, & *metatorum*, nominibus clara, penſiones, illuſtribus perſonis, imperante Papa, interdum ſolvendas, qualem *Beatrix*, vidua *Andreæ II*, Regis Hungariæ, cum filiolo *Stephano* A. 1245 ab *Innocentio III*, P. R. obtinuit. Eundem in cenſum referri poſſunt jurisdictionis eccleſiaſticæ turba-

923. 932. 936. 938. 958 ſeq. 1055 ſeq.

turbationes, a perſonis ſecularibus ſuſceptæ, quæ ideo tot privilegiis cohibitæ leguntur. Documento eſt *Caroli M.* Diploma de A. 773, *Frodoeno*, Abbati Novalicienſi, datum. Nemo autem exiſtimet, Diplomatibus ejus generis immunitatem a judiciis miſſorum regiorum procuratam, quam in rem clare pronuntiat *Henrici VI* charta de A. 1191 pro monachis S. Salvatoris de inſula, *ne quis eos præſumat ad placita trahere, vel diſtringere, aut judicare, niſi in imperiali præſentia.* Similiter *Fridericus II* A. 1219 Vangadicienſibus monachis largitur, *ut nulli reſpondere tenerentur, niſi ipſimet, aut certo miſſo, ad hoc ſpecialiter deſtinato.* Pag. 970.

Præcipue criminales cauſas ſibi ſervare ſolebant Principes, ſicut *Lotharius I* in Cœnobio Novalicienſi. 972. 974.

Sed non raro Comites & privilegia Regum, & Bullas Sedis Apoſtolicæ, anathemate obſignatas, neglexerunt. Ipſa monaſteria 980.

privilegiis exemtionum eccleſiæ jura minuerunt, quæ quo tempore primum innotuerint, accurate nequit definiri. Certius exiſtimat *Muratorius*, ambitione illas & avaritia Præſulum, nec tamen ſine horum conſenſu ante Sec. XI contigiſſe, 981.

Quamvis enim antiquioribus ſeculis monaſteria deprehendamus ſub immediata Apoſtolicæ ſedis tutela, & *Joannes VIII* A. 874 985.

Pompoſianum monaſterium ab anteceſſoribus ſuis fuiſſe poſſeſſum affirmet; rariora ſunt tamen ejus privilegii exempla, &, 999 ſeq.

ſi quæ ſeſe offerunt chartæ, diligentius examen ad unam omnes merentur. Ita enim monaſterii S. *Medardi* privilegium, quod ad *Gregorium M.* refertur, Bullæ *Stephani II* & *Hadriani I*, Cœnobio S. *Dionyſii* datæ, Diplomata *Gregorii M.*, *Theodori I*, & aliorum, pro Cœnobio Bobienſi, Bulla *Zachariæ*, monaſterio Caſinenſi A. 742 conceſſa, ad Sec. XI fictiones pertinent. Imo nec Sec. XI monaſteria ſunt, quando ſub protectionem 1020 ſeq.

Apoſtolicæ ſedis recipiebantur, a jure diœceſano Præſulis in univerſum exemta, etiamſi annuum Pontifici cenſum in recognitionem dominii directi ſolverent. Ita fuiſſe cum monaſterio Aretino monachorum Camaldulenſium S. *Mariæ in gradibus* & cum Cœnobio Brixellenſi S. *Geneſii* comparatum, Bulla *Leonis IX* & literæ *Anaſtaſii IV* ad *Pacificum*, Abbatem, de A. 1153 declarant. Recentior ætas omni cavit ſtudio, ne qua 1037.

pote-

poteſtatis Epiſcopalis umbra in exemtis monaſteriis ſupereſſet. Hinc ad conſecrandas eccleſias extraneum potius, quam dicœceſanum, Præſulem monachi requiſiverunt, ſimulque curarunt, ut reverſalibus literis exemtioni ſuæ proſpiceretur. Diſſertationibus *Muratorianis* Appendicis loco ſubjunctum eſt Itali-
Pag. 1063 cum *Bonamentis Aliprandi*, Mantuani civis, Poema, rudi conſcri-
ſeq. ptum dialecto, quo *Chronicon urbis Mantuæ a condita eadem ad A. 1414* continetur. Suggeſſit egregium Sec. XV monumentum, quod ab Autoris nomine *Aliprandina* inſcribitur, MStus Codex *Torellanus*, in quo cum *Muratorio* communicando facilem ſe exhibuit poſſeſſor, eaque re non *Muratorium* ſolum, ſed omnes rerum per Italiam geſtarum indagatores, ſibi plurimum devinxit.

JUSTI FONTANINI, ARCHIEPISCOPI ANCYRANI, Hiſtoriæ literariæ Aquilejenſis Libri V, Opus poſthumum.

Romæ, ex typographia Palearinorum, 1742, 4. Alph. 2 plag. 15.

Non eſt hoc Opus ex eorum poſthumorum genere, quæ nondum ſatis elaborata relinquuntur a ſuis autoribus, ſed, quicquid hic legeris, ultimam Autoris manum facile agnoſces. Omnia ſunt *Fontanino* digna, cujus libri jam dudum inter ſumma literatæ Italiæ decora referuntur ſummo merito; qui & hoc in Opere ſe præſtat virum cum lectionis immenſæ, tum ſummæ *ἀκριβείας* philologicæ criticæque. Imo plura hic occurrunt, quæ antea obſervarat, ad liquidumque perduxerat, nemo. Titulus tamen fortaſſe offendet nonnullos, cum hic non exhibeatur tota Aquilejenſis hiſtoria literaria, ſed aliqua duntaxat ejus pars, inſignis quidem certe illa & cognitu digniſſima. Illuſtratur enim hic hiſtoria clariſſimorum ſex virorum, qui Aquilejæ fuerunt ornamento maximo, & ita illuſtratur, ut fieri vix quidquam poſſit illuſtrius. Quare facile credetur, nondum ad finem perductum eſſe hoc Opus, ſed reliquorum quoque provinciæ *Fori Julii*, in qua *Aquileja* eminet, virorum illuſtrium,

illuſtrium, quorum catalogus in exitu hujus Operis *pag. 457 ſeq.* exhibetur, hiſtoriam exponendi conſilium cepiſſe virum excellentiſſimum.

Totus *Liber primus* dicatus eſt memoriæ *Cornelii Galli*. Et in *primo* quidem *Capite* de ejus patria, anno natali, prænomine, muneribus, & rebus geſtis, morte denique, & ejus cauſa, agitur accuratiſſime. Docetur ſcilicet, non Forolivienſem, ſed Forojulienſem, fuiſſe *Gallum* hunc, & prænomen habuiſſe *Cajum*. Veram autem mortis cauſam nunc primus detexit *Fontaninus*; ad quem ideo Lectores noſtros delegamus. In *Cap. 2* de ſcriptis *Cornelii Galli*, quæ fere omnia ſunt deperdita, differitur, ſimulque, quantis laudibus ea veteres affecerint, docetur. Supereſt autem perelegans carmen ejus, *Ciris*, quod, cum vulgo tribuatur *Virgilio*, hic ſummo ſtudio *Gallo* vindicatur. In *tertio Capite* manifeſtum redditur, elegias illas, quæ ſub *Cornelii Galli* nomine edi ſolent, autorem habere *Maximianum* quendam, eumque fuiſſe Hetruſcum, ſexto vixiſſe Seculo, fuiſſe virum illuſtrem, & aliquando legatum *Theodorici*, Gothorum Regis, in aula Conſtantinopolitana.

Liber ſecundus eſt de *Hermete Paſtore*, ejusque fratre, *Pio I*, Papa, Aquilejenſibus. Et *duobus* quidem in prioribus *Capitibus* de *Hermete*, in poſterioribus de *Pio*, diſputatur. Initio docetur, *Hermetem* hunc, cognomento *Paſtorem*, librum ſcripſiſſe, nunc amiſſum, *de Paſchate die Dominica celebrando*, diverſumque eſſe ab *Herma Paſtore*, cujus tres libri, viſionum pleni, ſuperſunt. Præterea, quæcunque de illo *Hermete* in veterum ſcriptis occurrunt, proferuntur. Valde tamen nos veremur, ne, quæ de hoc *Hermete* hic diſputantur, non ſatis certa & explorata haberi poſſint. Quod ad Papam *Pium I* attinet, ejus hiſtoriam pleniſſime hic perſequitur Autor, & omni obſcuritate liberare conatur. Duas ad *Juſtum*, Viennæ Epiſcopum, ſcriptas epiſtolas ei vindicat ſtudioſiſſime; cumque in earum altera *colobii* fiat mentio, de hoc veſtis genere Noſter in *Cap. IV §. 5* copioſe differit ac pererudite.

In *duobus* prioribus *Libri tertii Capitibus* de *Fortunatiano* agitur, qui Seculo quarto Epiſcopus fuit Aquilejenſis. Sunt,

qui hunc cum *Fortunato* Martyre confundunt; quorum error hic rite coarguitur. Traditur vero & illud vulgo, a *Fortunatiano* compulsum esse Papam *Liberium* ad subscriptionem hæreseos *Arianæ*. At Noster, falsissimum id esse, docet, cum *Liberius*, etsi subscripserit formulæ Sirmiensi, non tamen ad Arianos transierit. Ita, cum *Baronius* solius *Liberii* causam egerit, Noster, æque innoxium, & æque hæreseos immunem, fuisse *Fortunatianum*, summopere contendit. In *Cap. III Chromatius* exhibetur, Seculi quinti Episcopus Aquilejensis, in hac ipsa urbe natus. Multi ex ejus vita tolluntur hic errores, planeque ad liquidum perducitur ejus historia. Potissimum docetur, ejus rogatu *Hieronymum* aliquot sacri Codicis libros feciſſe Latinos; eum item reconciliare *Rufino* studuisse *Hieronymum*; partes denique *Chrysostomi* tuitum esse; cujus ad *Chromatium* epistola adhuc exstat. In *Cap. IV* manifestum facit, *Homilias XVIII in Evangelium Matthæi*, quæ sub *Chromatii* nomine supersunt, ejus vere esse; ac simul ejus doctrinas defendit adversus Centuriatores Magdeburgenses. E contrario docet, falso ei tribui duas ad *Hieronymum* epistolas.

Quartus Liber & *quintus*, maximam hujus Operis partem occupantes, de *Rufino* agunt, & quidem tam diligenter, ut *Rufinus* potissimum excitasse videatur *Fontaninum* ad suscipiendam descriptionem historiæ Aquilejensis literariæ. Igitur in *quarti Libri Cap. 1* docet, eum Concordiæ natum esse, quod oppidulum erat agri Aquilejensis; prænomen ei fuisse *Tyrannium*, non *Toranum*; Aquilejæ factum esse monachum. In *Cap. 2* describit ejus itinera; quorum comes cum fuerit pia *Melania*, etiam hujus historiam persequitur. In *Cap. 3* inimicitiam *Hieronymi* erga *Rufinum* exponit, ejusque originem. In *Cap. 4* & *5* de restituta inter *Hieronymum* & *Rufinum* amicitia disseritur, deque *Rufini* cum *Melania* in urbem Romam reditu. *Liber quintus* exhibet *Rufini* scriptorum recensionem pariter & examen criticum. Et quidem tribus prioribus in *Capitibus* agitur de laboribus *Rufini* in vertendis pariter ac defendendis libris *Origenis*. De *Rufini* & *Hieronymi* scriptis ericticis agunt tria sequentia *Capita*. Qua occasione in *Cap. 6* multis

multis docetur, *Origenis Apologiam* injuſte *Pamphilo* abjudicari ab *Hieronymo*. In *Cap. 7* diſtincte, itemque clariſſime, docet, quas *Origenis Homilias Ruſinus* Latinum converterit in ſermonem, quas *Hieronymus*. Multi enim hic errarunt, multas *Hieronymo* tribuentes, quæ *Ruſini* ſunt. *Cap. 8* de *Homiliarum Baſilii* octo, deque *Gregorii Nazianzeni* Opuſculorum decem, verſione agit, itemque de verſione *Sententiarum Sixti Pythagorici*. Quam occaſionem arripit, de *Sixto* illo, ejusque ætate, religione, & editionibus, agendi copioſius. Eum fuiſſe Philoſophum ſectæ *Pythagoricæ*, ſatis demonſtrat. Jam, cum & *Evagrii* Opuſcula Latine reddiderit *Ruſinus*, de hujus quoque & patria, & cognomine, Noſter *Cap. 9* agit, ſimulque, quid in hoc *Evagrio* vel laudatum fuerit, vel vituperatum, indicat. De *Recognitionum Clementis* verſione *Ruſiniana* in *Cap. 10* diſputans, *Clementem* hunc a *Romano* illo *Clemente* diverſum eſſe, tertioque Seculo, & quidem ante *Origenem*, vixiſſe, docet doctiſſime. In *Cap. 11 Ruſini* verſionem *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Euſebii* meditate contemplatur, deque hujus verſionis encomiis, verſione Græca, & editionibus, profert lectu jucundiſſima. In *Cap. 12* de *Ruſini Hiſtoria eremitica* agit; de qua cum ceteri Hiſtoriæ literariæ ſcriptores ne leviter quidem egerint, nunc autem demum *Ruſino* certis argumentis vindicetur hic liber, magnas certe *Fontanino* debemus gratias; qui præterea docet, *Ruſinum* non ſuorum ipſius per Ægypti monaſteria itinerum hiſtoriam exponere, ſed *Petronii*, Bononienſis Epiſcopi, de quo in *Catalogi* ſui *Scriptorum eccleſiaſticorum Cap. 41* mentionem fecit *Gennadius*. Ejusdem *Hiſtoriæ* variæ editiones & verſiones commemorantur in *Cap. 13*, ac ſimul notatur & refellitur *Hieronymi* iniquum de ea judicium. *Cap. 14* agit Noſter de *Ruſini Commentario in Symbolum Apoſtolorum*, ejusque editiones recenſet. Hic *pag. 383* ait, *a Ruſino ſingulos articulos contra hæreticos & paganos tanta reconditæ & ſincerioris doctrinæ copia & excellentia exponi, ut nihil doctore & theologo Chriſtiano dignius excogitari poſſit.* Paucis in *Cap. 15* agit de *Ruſiniana* verſione *Canonis Paſchalis Anatolii*, itemque de deperditis *Ruſini* epiſtolis. In *Cap. 16* eorum confutatur error, qui,

Flavii Josephi opera vertisse *Rufinum*, existimant. Qua occasione de illa Latina versione *Josephi* accuratum fert judicium, quæ Mediolani servatur in Bibliotheca *Ambrosiana*, & pro *Rufini* autographo haberi solet, docens, eum Codicem tempore *Cassiodori* exaratum esse, & hujus versionis autorem fuisse amicum quendam *Cassiodori*. Tum de *Egesippi* quinque *de Bello Judaico* libris differit; quem ait esse purum putum *Josephum de Bello Judaico* Latine contractum ab *Ambrosio*; addens; ex *Josippo*, corrupto *Josephi* nomine, corruptius factum esse *Egesippum*. In *Cap. 18* docet, utrumque *Libellum fidei*, quorum alterum A. 1650 *Sirmondus*, alterum A. 1673 & *Norisius* & *Garnerius*, e MSto ediderunt sub *Rufini* nomine, minime debere nostro *Rufino* tribui. Tollendus scilicet videbatur Nostro error, quo multi viri docti hæreses omnes, his libris contentas, tribuere *Rufino* non dubitarunt; qui tamen *usque ad exitum* (utimur verbis *Fontanini*,) *sanctissimis suæ ætatis Præsulibus, aliisque probatissimis viris Catholicæ communionis, glutino adhæsit, quemque post obitum sancta mater ecclesia pium & religiosum scriptorem agnovit.* Ac, priorem horum libellorum autorem habere *Hieronymum*, jam observavit *Mabillonius*; cui Noster assentitur. Posterioris compositorem Noster esse docet alium *Rufinum*. Sex enim *Rufinos* producit, viros omnes ecclesiasticos, qui eodem, quo noster *Rufinus*, vixerunt tempore.

Nunc, postquam Noster de omnibus *Rufini* operibus, tum veris, tum spuriis, sive exstantibus, sive deperditis, eruditissime disseruit, & perfectissimam exhibuit *Rufini* historiam literariam, in *Cap. 19* docet, *Rufinum* nec a *Theophilo*, Alexandrino Episcopo, nec a Papa *Anastasio*, unquam damnatum fuisse; ab *Augustino* vero vehementer improbatas esse *Hieronymi* in *Rufinum* invectivas. Denique in *Cap. 20*, (quod postremum est,) postquam, *Rufinum* A. 410 Messanæ in Sicilia diem obiisse supremum, clare demonstravit, copiose docet, summa *Rufinum* injuria affectum esse ab *Hieronymo*, hæreticorum in classem eum referente. Ait, ab uno *Hieronymo Rufinum* judicatum esse hæreticum, alios, Episcopos pariter & inferiorum graduum

duum viros eccleſiaſticos, eum amaſſe, & tutatos eſſe, & virum Catholicæ fidei agnoviſſe. Ipſum *Hieronymum* his verbis & hunc in modum excuſat: *Fuit Hieronymus doctrina, pœnitentia, & ſanctitate, vere maximus, ſummeque orthodoxus, qui vel leves & minimas ſuſpicionum umbras in religionis negotio ferre non poſſet. Itaque haud mirum, ſi zelo ductus, & abſens, eas umbras, interdum ex aliorum relatu in viris ſanæ fidei auctas, infectatus eſt. At in hujusmodi rebus non unius licet ſummæ autoritatis viri teſtimonium toti reliquæ Eccleſiæ conſenſui præponendum.*

Quæ ſubnexa eſt Diſſertatio *de Athanaſii anno emortuali*, ſeptem implens folia, in ea *Baronii* firmatur ſententia, mortem ejus referentis ad annum 372, cum, in annum 371 eam incidiſſe, contendiſſent *Socrates*, *Godefridus Hermannus*, *Chifletius*, Autores *Actorum Sanctorum*, & *Petavius*; in annum 373 *Noriſius*, *Pagius*, *Tillemontius*, & *Montefalconius*.

HIERONYMI FRACASTORII, VERONENSIS, ADAMI FUMANI, Canonici Veronenſis, & NICOLAI ARCHII, Comitis, Carminum editio ſecunda, mirum in modum locupletior, ornatior, & in Tomos II diſtributa. In Tomo primo Italicæ FRACASTORII Epiſtolæ adjectæ, nunc primum ſummo ſtudio quæſitæ, & congeſtæ; inter quas eminent longiores illæ amœbeæ, ſeu potius libelli, JO. BAPTISTÆ RHAMNUSII & FRACASTORII de Nili incremento.

Patavii, apud Joſeph. Cominum, 1739, 4 maj. Alph. 5 plag. 16.

Illuſtre par *Vulpiorum*, magnis in omne genus literas meritis celeberrimum, a quibus, niſi quod cultum & elegans eſt, prodire nihil ſolet, alteram hanc *Fracaſtorii* Carminum editionem, abſolutam plane & ſingulari ſtudio expolitam, manſuetioris eruditionis ac Muſarum amatoribus, magno horum cum plauſu, in manus iterum, quippe fruſtra quærentes per varios annos incomparabilem Poetam, tandem vero aliquando reddiderunt, &, ut mole ſua, pretio, ſplendore, ſic

varia quoque doctrina, auxerunt, & expoſuerunt præ ſuperiore prima, & forma, & opere, & meritis, illuſtriorem. Præter alias igitur laudes, doctrinæ illorum & ſummæ diligentiæ ex jure debitas, merentur pariter multorum, vel propterea, præconia, quod fortunæ ac dignitati priſtinæ editionis, omittendo in hac poſteriore *Jo. Cottæ* & *Jacobi Bonfadii* Poemata, conſulere ſtuduerunt, indeque effecerunt, ut prior illa nunquam ſit pretium ſuum amiſſura, nec verendum ſit, ut, nova hac apparente, illa tanquam inutilis, ſiquidem ſic fieri plerumque aſſolet, abjiceretur. Retinebitur potius editio prior in Bibliothecis, & manibus doctorum hominum, quamvis a nova iſthac, quod ad *Fracaſtorium*, *Fumanum*, & *Archium*, attinet, longiſſime, aut infinities, ſuperetur. Tam inſignis enim facta eſt ad horum Scriptorum monumenta, cum ex editis libris, tum ex MStis Codicibus, acceſſio, ut ſuperiorum temporum editiones omni ex parte antecellat. Nam juſtis *duobus Voluminibus* totus liber continetur. Quorum *primum*, idque integrum, *Fracaſtorii* datum eſt operibus, *alterum* autem *Fumani* & *Nicol. Archii*, Comitis, Carminibus deſtinatum cernitur. Latina *Fracaſtorii* Poemata cum editione prima ac pulcherrima, quæ *Venetiis*, *apud Juntas*, A. 1555, 4, prodiit, collata ſunt, & editionis hujus monitu atque ſubſidio Variæ Lectiones non contemnendæ ſunt adductæ, quale quid inprimis in illo *de Joſepho* Poemate accidit, quod editionum poſteriorum curatores, incertum quare, immutaverant. Ex *Cominiana* etiam editione Lectionum multarum conciliata eſt varietas. Præterea magnus adeſt verſuum Latinorum cumulus, vel nunquam ante editorum, vel certe ad reliquos non adjectorum, qui a viris eruditis, quos ſuo quemque loco inſertos invenimus, ad Editores doctiſſimos transmiſſi ſunt. Accedunt porro, quæ Etruſcis luſit Carminibus *Fracaſtorius*; cujus generis tria tantum exſtitiſſe Poemata, quidam arbitrati ſunt, cum duo inſuper alia, hoc loco, una cum Epigrammate Italico ex Codice MSto, ſint adjecta. Alia deinde ſequuntur Opuſculorum Fragmenta elegantiſſima, quæ ab *Hieronymo de Prato*, Patricio Veronenſi, liberaliter communicata ſunt cum Editoribus. Epiſtolas autem has Italicas, ἀνεκδότους huc uſque, accurata excipit reliquarum

quarum Epiſtolarum ſylloge, Italice a *Fracaſtorio* conſcriptarum, quæ propterea ſuſpiciendæ ſunt, & habendæ in pretio, quod inexſpectatæ penitus, propter incertos ad noſtrates, ut mox videbimus, rumores, fuerunt. Epiſtolæ inprimis *Fracaſtorii Rhamnuſii*que amœbeæ, de incremento Nili conſcriptæ, præ reliquis eminere videntur; de quibus & ipſis, an fuerint unquam conſcriptæ, multi dubitarunt. Sic adornatum eſt etiam *Volumen* hoc numo *Fracaſtorii* aliquo, novaque ejus imagine, a peritiori, quod ait Præfatio, manu in æs inciſa, & quæ ſunt reliqua. Ante vero, quam Poetæ ingenioſiſſimi fœtus habetur feliciſſimus, vitæ ipſius legitur narratio, quam annotationibus variis Editores, & cenſuris, adauxerunt. In quibus memorant a principio, & laudant, *Frid. Ottonis Menckenii* noſtratis Commentationem, *de Vita & meritis Fracaſtorii*, A. 1731 Lipſiæ editam, eandemque, variis in rebus accuratius inquirendi, occaſionem ipſis ſuppeditaſſe, ingenue profitentur. Atque patet ex integra editione *Fracaſtorii*, ubique conſultam eſſe iſtam Commentationem, ac, veluti primarium in eo genere, quod ipſi in Præfatione fatentur Cel. *Vulpii*, librum, pervolutatam. Ceterum pleraque quidem ex eo libro confirmant Editores Celeberrimi; quædam tamen etiam, ſed modeſte cuncta & erudite, monere videntur; magnamque ſine dubio inierunt a *Menckenio* noſtro gratiam, quod varia rerum adjuncta ejusmodi, quæ noſtræ terræ eruditis omnibus, propter temporis longitudinem, & diſtantiam locorum, non poterant non obſcuriora eſſe, in clariorem lucem poſuerunt, & magis confirmarunt. Nos autem ſtrictim quædam atque breviter ad *Vulpii* Cel. dubia, prout ea nobis res viſa fuit, adjiciamus. *Pag. 22*, cum vitam *Fracaſtorii*, ab Autore *Anonymo* conſcriptam, quam *Menckenius* ex conjectura ſua *Paulo Rhamnuſio* tribuit, Doctiſſimus Editor ad *Adamum* potius *Fumanum* referri oportere affirmat, provocando ad eruditiſſimos populares ſuos, nos quidem mallemus, libuiſſe Viro Celeberrimo, ut viros nominaverit, rationesque ſimul adduxerit, ex quibus, tali modo ſe arbitrari poſſe, pateret. At enim vero, quod-

quodſi vel maxime etiam *Fumano* huic debeatur vitæ *Fracaſtorii* deſcriptio, nihil tamen a *Menckenio* peccatum eſſe, inde conſtabit, quod is non certa affirmet fiducia, *Rhamnuſium* autorem eſſe, ſed, quando evolvimus, in Hiſtoria *Fracaſtoriana*, locum, patebit inde, ſic ſcripſiſſe illum *pag. 24*: *Autor* Anonymus, *quem* Paulum Rhamnuſium - - *puto*, adjecta hac limitatione: *Si is ipſe eſt autor vitæ, qui editor eſt Operum Fracaſtorii.* Sed ad alia, age. Quæ de *Rhamnuſio*, ejusque collectione Operum integra ac perfecta, recenſet *Vulpius pag. 23 not. e*, pergrata erunt *Menckenio*, & valde accepta. Neque tamen videmus, quare non cum diſtinctis ipſius verbis poſſint conſiſtere, quæ leguntur *pag. 142*: *Penes vulgares vitarum ſcriptores altum eſt de hoc* Rhamnuſio *ſilentium.* Quod longe veriſſimum eſſe, unanimus penes noſtros conſenſus approbat. Conferantur interim, quæ de *Rhamnuſio* profert *Anton. Teiſſierius* in *Elog. des hom. ſav. Tom. I pag. 275*, ubi vitam ipſius exponit, & varia, quæ edidit, ſcripta enumerat. *Liviani*, Italorum Ducis, bella non eſſe apud Noſtros tam nota, ut ſunt penes Italos, nos quidem valde dolemus. Nec inde imputari quidquam *Menckenio* poterit, quod ignoravit, quæ communi apud nos ſilentio & nocte involuta ſunt. Erit tamen *Liviani* gloria non adeo magna, ſi forte nullo alio teſtimonio nitatur, quam quod *Vulpius pag. 24 not. f* ab Elogiorum ſcriptoribus deſumſit, quorum fidem ſubinde non nimis veram eſſe comperimus. Non adeo magni res momenti eſt, quæ *nota g* ſequente objicitur. Nam fatetur ipſe Cel. *Vulpius*, loca admodum obſcura eſſe, ad quæ *Abdua* fluat. Quando Anonymus Autor de *Fracaſtorii* naſo odoratur, eum a contemplandis tam ſæpe ſtellis ſimum factum eſſe, jure ridet, ex noſtra ſententia, *Menckenius*, de naſo hoc naſutam criſin. Sed nos hoc loco obiter obſervamus, aut falſam eſſe totam hanc vultus *Fracaſtorii* deſcriptionem, aut imaginem, quæ æri inciſa præfertur in hac editione nova, & valde laudatur a Cel. Editore, longe alium referre, quam *Fracaſtorium*, adeoque æque dubiam eſſe iſtam effigiem, atque ea ſunt omnia, quæ Vir Cel. *pag. 29 not. p* de imagine, in fronte *Vitæ Fracaſtorii*,

Digitized by Google

caſtorii, a *Menckenio* conſcriptæ, monuit. Elegia *Fracaſtorii*, in funere *M. Antonii Turriani*, quare a *Menckenio* non probata ſit, ſatis ipſe, &, ut nobis videtur, optime, indicavit in libri ſui *pag. 122* & *123*. At, nimis libere hæc eſſe judicata, Vir Doctiſſimus objicit. Cujusmodi tamen ſententiam laudandam magis eſſe, nos diceremus, atque cauſas mallemus adductas, quare iſta Elegia apud Italos pro præſtantiſſima habeatur, uti ait Vir Celeberrimus *pag. 28 not. l.* Sed ad editionis noſtræ enarrationem recurramus. In qua gratiſſimam multis rem fecit *Vulpius* eruditiſſimus, quod doctam *Jo. Baptiſtæ Pariſotti* Epiſtolam Italicam, de vero *Fracaſtorii* mortis anno, *pag. 31* inſeruit, unde, vera omnino ſcripſiſſe *Menckenium pag. 191*, luculenter patet; quemadmodum ipſe etiam Editor non diffitetur. Sequitur hanc Epiſtolam *pag. 34* titulus Inſcriptionis, quam in honorem *Fracaſtorii*, amici ſui, *Rhamnuſius* adornavit, adjecta pervetuſta Aræ alicujus dedicatione, ex ruinis Salonarum, urbis Dalmatiæ, eruta; quæ ad *Fracaſtorium* quidem nihil attinet, niſi ut locus, in quo ipſius pariter, & *Naugerii*, ſitæ ſunt exuviæ, illuſtrior reddatur atque ſpectabilior. Quibus igitur præmiſſis, ſuccedunt divina Carmina, quibus vere ſe immortalem reddidit *Fracaſtorius*, ut *Syphilidis*, ſeu *de Morbo Gallico*, Libri tres, ad *Petrum Bembum*; Libri duo, *Joſeph* inſcripti, ac *Alexandro Farneſio*, Cardinali, dicati, qui ea tamen ingenii alacritate & vi, qua incomparabilis *Syphilis*, ſcripti non ſunt; præterea faſciculus Carminum adeſt, in quibus primum, *Alcon* inſcriptum, *de cura canum venaticorum* exponit, denuoque in calce Poematum *Fracaſtorii pag. 175 ſeq.* exhibitum, *Hannibal*ique *Crucejo* tributum, plerisque Variis Lectionibus inſigne eſt; quod excipiunt alia *miſcellanea*, in quibus ingenioſa multa & elegantiſſima inveniuntur. Mox Carmina *Fracaſtorii*, poſt primam *Comini* editionem inventa, conſpiciuntur. Deinde illuſtrium Poetarum adjecta ſunt Carmina ad *Fracaſtorium*, & de *Fracaſtorio*, ut *Pierii Valeriani*, *Antonii Marii Visdomini*, *M. Anton. Flaminii*, *Georg. Jodoci Bergami*, *Benedicti Lambridii*, *Jo. Bapt. Amalthei*, & aliorum. Jam *Fragmenta Operum* Poetæ,

longe copioſiſſima, eaque cuncta ex avtographo Codice nunc primum vulgata, ſoluta pariter & ligata oratione, ſequuntur. Inter quæ & *Ecloga* elegans & *Fragmentum* aliud *de reformando Cyclo Paſchali*, deinde, coronidis loco, *Italica* adhuc quædam *Opuſcula*, referri debent. In fine *Tomi prioris* integer etiam *Paragraphus 10* inſertus eſt ex Hiſtoria *Fracaſtoriana Menckenii*, *de Operum Fracaſtorii editionibus*, cum ejusdem *Menckenii* notis & obſervationibus, novæque quædam additiones & animadverſiones a *Vulpio* conſcriptæ ſunt in hunc *Menckenii* paragraphum. Cujusmodi ſunt, quod *pag. 153* titulus affertur *editionis Fracaſtorii Venetæ*, quæ prodiit apud *Juntas* A 1555, ſed rariſſimæ, de qua, an unquam forte exitet, *Menckenius* ipſe dubitavit; porro, quod de *editione Veneta*, anni 1574 & 1575, a *Menckenio* recenſita, non duas eſſe, ſed unam, affirmatur: quamvis id *Menckenius* pro certo non habeat, cujus verba *pag. 227* hæc ſunt: *Non ſatis certo ſcio, an diverſa hæc ſit a priori, quæ anno 1574 prodiit*; tandem, quod quatuor adhuc claſſes ab Editore Cel. adjiciuntur ad Opera *Fracaſtorii*, ut *Fragmenta*, *Epiſtolæ Italicæ*, aliæ *Amœbeæ de Nili incremento*, inter *Fracaſtorium* & *Rhamnuſium* collatæ, atque ultimo *Syphilidis Metaphraſes Italicæ*. Quæ quidem univerſa, eo inprimis nomine, laudandam fecerunt Editorum eruditiſſimorum induſtriam, quod in hoc *Volumen* ea redegerunt, de quibus ad Transalpinos incerti rumores translati erant; quapropter in ejusmodi priſcis, & a noſtris terris tam remotis, rebus ſcribere *Menckenius* certiora vix potuit. In plerisque autem primariis rebus ac capitalibus, nullam eſſe *Vulpiis* cum *Menckenio* noſtrate diſſenſionem, contemplantibus haud obſcure patebit. Sed hæc de *primo* editionis hujus *Volumine* dicta ſatis ſunto. Jam ad *alterum*, age, accedamus. In quo primo ſtatim loco Poema omnino ingenioſum, eruditum, venuſtum, *Adami Fumani*, Canonici Veronenſis, nunquam ante cum erudito orbe communicatum, nunc autem ex avtographo Codice primum erutum, comparet, quod magnus in literas amor *Polycarpi Palermi*, JCti, a bibliopola quodam redemit, & poſteritati conſervavit.

Perſe-

Perſequitur hocce Carmen, Libris quinque, integram *Dialecticem*, & cuncta ejus præcepta, quam diligentiſſime, atque in re, non nimis quidem lauta, tantam tamen habet ſermonis & orationis abundantiam, tantas divitias, tam illuſtres ſententias, tam opportunas digreſſiones, apta ſchemata, ingenium ſummum redolentia dicta, ut mirandum ſit majorem in modum, quomodo res, tam ſicca ex ſe atque ſterilis, tam eleganter tamen proponi, tamque poetice, potuerit. Dictio nitida plerumque atque ſplendida eſt, in qua ætatis *Tullianæ* hominem, *Lucretium*, Autor ſibi propoſuit. Illuſtrationis autem & paradigmatum cauſa, exempla, quæ *τὴν θεωρίαν τῆς διαλεκτικῆς* magis confirmant, ſemper petita ſunt ex hiſtoriis priſcis, & omni alia antiquitate; mereturque omnino liber egregius non ab his tantum legi, qui elegantioribus literis ex inſtituto operantur, ſed ab illis etiam profundis ædepol! doctiſſimisque, ac ſubtilitate judicii ad obſcuritatis uſque, aut ſoliditatis potius, ſpeciem formatis, Philoſophis, qui ſane vel eam ob rationem ſufficientem, aut, credimus, determinantem, legere *Fumanum* poſſent, quod non ex antiquioribus unus eſt, ſed, quemadmodum per pronam inde demonſtrationis conſequentiam fluit, ex recentioribus. Inſunt quidem nonnulla in hoc *Fumano*, quæ ex Philoſophia hodierna & ſeculari aliter finire grandes Coſmodidaſcali ſolent, quod *Ariſtotelem* ſecutus eſt Autor, qui a noſtris ſapientiſſimis recentioribus Philoſophis tam generoſe contemnitur; at erunt tamen, niſi noſtra nos fallit opinio, quæ ad palatum etiam ſubinde erunt, nec mediocrem delectationem parient. Sed mirum eſſe haud poterit, quod ſubinde verſus, in re tam ſicca & ſterili, ſicci & ipſi & exſangues occurrunt, ut ſunt, cum definitiones traduntur, aut ſpecies rerum recenſentur, aut diviſiones enarrantur, aut loci topici, vel communes, commemorantur, aut figuræ ſyllogiſticæ exponuntur, & quæ ſunt alia. At profecto multa etiam, immo pleraque, elegantiſſima in ſumma ſorditie, ingenioſa multa in admodum ligneis rebus, facundiſſima varia in plane ſtraminea materie, ornatiſſima plurima in ſumma planitie, inveniuntur. Qualia ſunt, quando *Lib. I verſ. 2386 ſeq.* de *converſione*

propoſitionum venuſtiſſime exponit, & *Lib. III verſ. 174* de *Sorite* ediſcenda verba facit, & aliis in locis plurimis. Non poſſumus autem a nobis impetrare, quin, quod nunquam adhuc editus eſt *Fumanus*, duo ſaltem loca, ut ſcribendi etiam ratio pateat noſtris Lectoribus, adducamus. Nam, de *Fracaſtorio* ut dictionis ſpecimina daremus, ipſa jam Poetæ, præſantiæque ejus, notitia vetuit, aut deſideranti ſatis poteſt ſitim pellere in omnibus *Menckenii* noſtratis liber, in quo ex vero & libere præcepit de ſtilo *Fracaſtorii*. Prior autem *Fumani* locus, de *Converſione*, hic eſt:

Transpoſitos porro fines ſuevere vocare,
Mutata inter ſe quoties ratione viciſſim
Alterum in alterius ſedem tranſiſſe videmus;
Sit prior ut, qui poſterior fuerat modo, itemque
Poſterior, modo qui fuerat prior; ut ſi dicam,
Natura ipſe animans ſe ipſum movet; ipſe movens-ſe,
Sponte ſua eſt animans. Viden' hic, ut fine in utroque
Ordinis extemplo ratio eſt converſa prioris?
Hæc ratio a doctis Converſio dicitur, eſtque
Triplex, & triplices vultus triaque induit ora, &c.

Soritis autem definitio ac ſpecimen elegantiſſime affertur ex *Cicerone*, in Tuſculanis, qui rationem *Ariſtotelis* ſequitur:

Sorites vero patria qui voce vocatus
Chryſippo, noſtris Latio appellatur Acervus,
Argumentandi forma eſt, - - -
Hæc fit, ubi extremum aggeſtum ex omnibus ipſi,
Primi ſubſtrato effati connectimus; hocce
Nempe modo: Ipſe animus ſe ipſum movet; ipſa ſibi ipſis
Quæ motus ſunt cauſa, etiam ſunt ipſa movendi
Principium, ac quædam veluti primaria virtus;
Quod vero motus cauſa eſt primaria, fonsque,
Præcipuus primusque, illud progignier unquam
Qui potuit? claraque erumpere lucis in oras?
At cui nulla data eſt vitæ primæve poteſtas,
Certo certius id ſit ut immortale neceſſe eſt.
Hac animus ratione ergo immortalis habendus.

Hanc

Hanc *Fumani* Dialecticam alia adhuc ejusdem Viri Carmina excipiunt, non ejusdem tamen, veluti ipse Cl. *Vulpius* fatetur, dignitatis. Quorum alia nunquam ante sunt edita, alia excusa quidem typis, sed in libris variis dispersa, nec sine difficultate obvia, fuere. Quæ omnia Doctiss. Editor studiosissime collegit, ac eum nobis stitit apparatum, ut vix deesse quidquam ex Carminibus *Fumani* in hac editione videatur. Græca insuper quædam Poemata, ab eodem conscripta, nec communis certe saporis, sed quæ de lectione Poetarum Græcorum studiosa satis testantur, adjecta sunt. Et annexa pariter alia, Latina, Græca, in honorem *Fumani*, ab aliis conscripta. Jam ordine sequuntur *Nicolai Archii, Comitis, Numerorum Libri.* In quibus edendis unicam illam, quamvis parum admodum emendatam, editionem *Mantuanam*, pauciſſimis cognitam, sed pro codice summi pretij habendam, & a magni nominis viro, *Petro Catharino Zeno*, cum Cel. Editore communicatam, ipse secutus est. Inclusit præstantissimus Editor hæc Carmina in Libros tres, atque aliquibus ex causis, quas justissimas vocat, sed nominatim haud indicat, varios Operis versiculos omisit. Genus dicendi penes *Nicolaum* occurrit, si a quibusdam, quæ cum linguæ castitate non conveniunt, recesseris, satis ceterum purum & non inelegans. Atque pro insigni accessione, quæ facta fuit Poetis Italis, qui Seculo XVI Latine scribendi facultate floruerunt, haberi potest. Nam cunctis ferme eruditis Poeta hic ignotus huc usque, in situ jacuit, & in tenebris se suis volutavit. Præ reliquis autem elegans est, in *Nicolao, Areosti* imitatio, *de puellæ lachrymulis* scripta, quæ ex *Cominiana* editione huc translata est. Nec contemnenda sunt Poemata, *de Amore & Junipero*, *de Laura Bononiensi*, itemque alia. Quamvis, uti jam ante diximus, unius pretii omnia habenda non sint, præsertim, cum ab Autore, quod necessum tamen quam maxime est in Poematibus, Carmina non recognita fuerint ac retractata. Atque ista quidem præcipua sunt, quæ in nova hac editione sunt exhibita. Quædam tamen adhuc restant, quæ in *Appendice* ad eandem a Cel. *Vulpio* adjecta sunt. Primo loco comparet *Della Sifilide del Fracastoro Libri tre*,

vulgarizzati da Vincenzo Benini, Cologneſe. Qui *Beninus*, ut eſt vir eruditiſſimus, hanc Metaphraſin, pro ſuo, quo in Cel. Editorem fertur, amore, promte communicavit. Et, quamvis variæ ſint editæ Syphilidis *Fracaſtorianæ* Verſiones Italicæ, recte tamen credit *Vulpius*, transferri huc poſſe, quod de *Homero* & *Virgilio Macrobius* ait: *Quid ſuavius eſt, quam duos præcipuos vates audire, idem loquentes?* Optime enim *Beninus Fracaſtorium* convertit. Secundum locum *Andreæ Chiocchi*, Medici & Philoſophi Veronenſis, *Apologia* occupat pro divina *Fracaſtorii* Syphilide, adverſus *Jul. Cæſar. Scaligeri* cenſuram exarata, quæ, prima vice a *Bernard. Chioccho*, Autoris fratre, Veronæ, apud *Hieron. Diſcipulum*, A. 1598, in lucem edita, ſatis culta eſt & erudita, pro illo tempore, quamque dono acceperat *Vulpius*, editor, a ſupra laudato *Zeno*, publicum exinde applauſum merito. Ulterius habetur, poſt hanc Apologiam, liber ad *Fracaſtorii Joſephum tertius*, *Joſeph* & ipſe nominatus, a cultiſſimi ingenii Viro, *Franciſco Luiſino*, Utinenſi, elaboratus, *Alexandro Farneſio*, Cardinali, inſcriptus, editusque primum Venetiis, apud *Georg. de Caballis*, A. 1569. In quo libello operam dedit *Luiſinus*, ut partem reliquam ſacræ *Joſephi* hiſtoriæ, quam *Fracaſtorius*, jam magnus natu, inceperat, morteque præventus, nec expolire poterat, nec abſolvere, Latine & eleganter verſibus perſequeretur. Neque negandum eſt cum *Vulpio* Celeberrimo, concinnum eſſe *Luiſinum* hunc, acutum, & plane feracem; luxuriem tamen nonnunquam apparere in eodem, & immanem quandam abundantiam, nec tot eſſe cumulandum ac tantis laudibus, quantis eundem *Aloyſius Luiſinus*, nimia ductus erga fratrem ſuum benevolentia, ornavit, aut potius oneravit, dicendum eſt. Bene autem omnino fecit Cel. Editor, quod opus hoc, paucis adhuc cognitum, ut in plurimorum poſſit manus pervenire, typis iterum excudi curavit. Extremo denique Volumine collocatus eſt Liber *Julii Cæſ. Scaligeri*, cui indicem fecit *Aræ Fracaſtoreæ*. Turpes ſunt multorum, inprimis autem *Bailleti*, lapſus; qui, a *Scaligero* divinos honores eſſe *Fracaſtorio* tributos, ex hoc titulo exiſtimavit, quare a *Menckenio*, in Hiſtoria *Fracaſtoreæ*, jure

jure caſtigatus eſt. Quem locum etiam Cel. *Vulpius pag. 122* adduxit; ſimulque tamen addidit in *not. b*, nimium liberaliter a noſtro *Menckenio Jo. Baptiſt. Marinum* in venuſtiſſimis Italorum Poetis collocari, cui vero multa ſint vitio verſa ab Italis. Sed tam æquus eſt *Vulpius* arbiter, ut vix negatum ſit iturus, plurima etiam ſatis elegantia, acuta, ingenioſa, in *Marino* inveniri, quæ emunctioris naris Itali, tantum abeſt, ut ſpreturi ſint, ut potius bene ſint agnituri illorum præſtantiam ac merita. Ipſæ vero hæ *Aræ*, quanti *Scaliger Fracaſtorium* fecerit, quamvis in pluribus rebus eum redarguerit, ſingulari tamen ratione oſtendunt. Ad Carmina autem ipſa quod attinet, ut omnia quidem *Scaligeri* recondita ſunt, ſic & hæc doctrina intima continentur; at multa etiam ineſt in ipſis duritiæ, inſunt veternoſa multa, vocabula vieta, latentiores, aut potius obſcuriores, ſententiæ, verbo, ea inſunt omnia, quæ ſummus ille vir in Poetis ſui ævi dente aſpero ac invidioſo momordit & ſectatus eſt. Nos vero, ut ſummam dicendorum faciamus, jure ſummo iteramus elogium, quod *Menckenius* in Commentatione ſua priori *Vulpiorum* editioni de hoc *Fracaſtorio* tribuit. Augeri tamen illud nunc debet & amplificari, quoniam Par Celeberrimum editionis hujus moram ultra centeſimas uſuras perſolvit.

LEGES XII TABULARUM, SUIS, QUOTQUOT reperiri potuerunt, fragmentis reſtitutæ, & obſervationibus critico-antiquariis illuſtratæ, a JO. NICOLAO FUNCCIO, Marburgenſi.

Rintelii, ſumtibus Nicolai Striederi, 1744, 4.

Alph. 2 plag. 17.

Qui adhuc in linguæ Latinæ originibus inveſtigandis, ac hiſtoria illius per diverſas ætates tradenda, laudabili cum induſtria eſt verſatus, indeque optimam ab eruditis iniit gratiam, eruditiſſimus *Funccius*, non poſtremum Academiæ Rintelienſis decus, in præſenti Opere, quod deſcribendum ſumimus, eo curam cogitationemque ſuam convertit, ut primæ illæ

illæ ac antiquiſſimæ Quiritium leges integritati ſuæ, quantum fieri poteſt, reſtituantur, eisdemque lux nova accendatur. Id igitur agit, ut leges illas, apud priſcos ſcriptores ſuperſtites, colligat, ad ſuas ſingulas tabulas referat, diverſas lectiones inter ſe confligat, difficultates, inde emergentes, tollat, ad antiquorum illas ſcribendi rationem reducat, fontes ex Græcorum legibus oſtendat, vim poteſtatemque vocum ex ſuis originibus priſcorumque inſtitutis explanet, ac idoneis teſtimoniis probatiſſimorum Autorum confirmet. Præmiſſis prolegomenis, ſingulas Tabulas una cum legibus ſuis ordine ſiſtit, easdemque erudito commentario illuſtrat. In Diſſertatione præliminari ſermonem facit de legibus, quæ, cum adhuc penes Reges imperium eſſet, viguerunt, & hiſtoriam legum XII Ta-
Pag. 1-9. bularum ex *Livio* & *Dionyſio Halicarnaſſenſi* repetit. Dictæ ſunt *leges* XII *Tabularum*, quia totidem tabulis, æri inciſis, pro roſtris fuere poſitæ. Equidem *Pomponius*, JCtus, *l. 2 §. 4 D. de Origine juris* loquitur de tabulis *eboreis*, ſed id antiquitati adverſatur. Nec *Scaliger* audiendus, *marmoreas* legens, &, quod *Dionyſius Rom. antiqu. Lib. III Cap. 9* de *querneis tabulis* commemorat, antiquiora tempora reſpicit. Originem
9-12. debent legibus Græcorum, præſertim *Solonis*, quædam etiam ex *Lycurgi* & *Charondæ* legibus ſunt deſumtæ. Non omnes leges, quas *Cicero* recenſet, ex XII Tabulis ſunt depromtæ. Stilus eſt rudis & inculſus, occurrunt hic verba priſca & obſoleta, ſtructura eſt ſimplex fere & neglecta, ut jam *Ciceronis* tempeſtate interpretes doctiſſimi in multis hæſitaverint, ut patet ex *Lib. II de Legib. Cap. 23*, commendant tamen ſe a brevitate, verborum proprietate, in illisque antiquitatis quædam effigies conſpici-
12-16. tur, quod teſtimoniis & exemplis comprobatur. *Ciceroni* dicuntur *carmen de Leg. Lib. II Cap. 23*, & *de Orat. Lib. I Cap. 57*, non quod ligata conſignatæ fuerint oratione, ſed quia conceptis verbis & ſumma brevitate fuerunt deſcriptæ, ut diſci
16-23. ac recitari potuerint. In illis componendis multum operæ Decemviris præſtitit *Hermodorus Epheſius*, qui, ob virtutem patria ejectus, a Romanis multa cum honoris ſignificatione ex-
24.25. ceptus, & poſt ſtatua publice eſt donatus. Leges hæ omni tempore

tempore maximo in pretio ſunt habitæ, & origo aliqua juris omnis ſunt reputatæ, quas variis, iisque inſignibus, appellationibus, hic in medium prolatis, decorarunt. Nævos, quos ipſis allinit *Chriſtian. Thomaſius*, breviter quidem, ſed nervoſe ac erudite, detergit. Quo tempore perierint, definiri nequit. A. U. C. 368 bello Gallico una cum optimis ædificiis conflagrarunt, ſed paulatim reſtitutæ, fragmentis & ἀπογράφοις undique conquiſitis. Vid. *Liv. Lib. VI Cap. 1. Auguſto* imperante, adhuc incolumes pro roſtris publice propoſitas fuiſſe, teſtimonio *Diodori Siculi Hiſt. Lib. XII* intelligitur. *Cyprianus Ep. Lib. II Ep. 2* ad illas, tanquam adhuc exſtantes, provocat. *Rittershuſius Dodecadelt. Prælog. Cap. 5* arbitratur, Gothis per Italiam longe lateque graſſantibus, ipſamque urbem devaſtantibus, hoc veriſſimum antiquitatis monumentum deperditum fuiſſe. Quoniam tamen, cum orbi Romano præeſſet *Juſtinianus*, poſt C. N. A. 527 integrum XII Tabularum textum *Cajus* commentariis ſuis inſeruit, poſt illud tempus interiiſſe videntur. In illis illuſtrandis plures ex antiquis pariter atque recentioribus, quos ordine nominat, occupati fuerunt, ex quibus palmam reliquis præripuerunt *Fulvius Urſinus* & *Jac. Gothofredus*. Inde fragmenta legum, ad ſingulas Tabulas revocata, ordinem *Gothofredi* ſecutus, antiqua ſcriptura ſervata, exhibet, diverſas lectiones conciliat, & vocum atque locutionum, in illis occurrentium, interpretationem ſubjungit.

Pag. 25-34. 34-35. 35 40.

Ad Tabulam I refert Leges VIII, in quibus præcipitur de reis in judicium vocandis, & quid faciendum, ubi illi tergiverſarentur, vel imbecillitate quadam, aut morbo, impedirentur, ſponſoribus illis ac defenſoribus dandis, itemque reorum & actorum, dum ad Prætorem irent, reconciliatione. Quæ illis, quod ad verborum ſignificatum, itemque priſcos ritus, illuſtrationis gratia adjecit, brevibus complectemur. Ad Legem II notat, verbum *anteſtari* antiquis ſignificare *teſtes facere*, aut rogare, ut de præſenti negotio verum *perhibeant teſtimonium*. *Auriculam tangebant monitores*, quod, illam memoriæ ſacram eſſe, putarent. *Calvi*, quæ vox in III Lege habetur, eſt renuere, vel moram nectere. Vetus Gloſſa exponit

41-56. 59-65.

per ἐξαπατᾶν, *Nonius* per *decipere*. *Manum injicere* designat reum invitum ad judicem obtorto collo rapere. *Ar-*
Pag. 65. *cera* erat plaustrum, tectum undique & munitum, quasi ar-
68. ca quædam magna, vestimentis instrata, cujus generis hodier-
72. no die sunt *die Kutschen und Sænfften*. *Vindicere* antiqui di-
74. cebant pro *vindicare*, uti in illo *Lucretii Lib. III v. 895: Ipse sui miseret; neque etiam se vindicit bilum*. *Assidous*, quod in Lege VI occurrit, venit ab *asse*, vel *ære dando*; locupletem igitur denotat. *Vindex* quotuplice sensu veniat, docetur. *Proletarius* dicebatur, qui non re ac censu, sed prole, rempublicam augebat; inter *proletarium* tamen & *capite censum* aliquid erat discriminis, & illorum ordo honestior habebatur.
74-79. *Paico*, qua voce legislatores in Lege VII utuntur, antiquis, quibus litera *g* nondum in usu erat, ponebatur pro *paciscor*, de
79-81. quo *Festus, Priscianus, Terentianus Scaurus*. In Lege VIII mentio fit *comitii* & *fori*; quæ igitur inter utrumque differentia interceserit, accurate docetur. In priori graviores causæ tractabantur, & facinorosis supplicia irrogabantur, ibi tribunal pro judicibus, rostra pro oratoribus posita erant, tectum illi, ubi *Hannibal* impressionem in Italiam fecit, est impositum. *Forum* unde nomen habeat, & quid in illo actum fuerit, declarat. *Causam conicere*, uti prisci pro *conjicere* scribebant, idem
84, 85. erat ac rem breviter narrare, & quasi per indicem summatim colligere. Tabula II dat Leges VII. Ad Legem I, quid inter *vadem* & *prædem* intersit, anquirit. *Vadem* in causis capitalibus, *prædem* in civilibus, fidem suam interposuisse, quidam existimant, sed, veteres differentiam illam non observasse, patet ex *Horatii Serm. Lib. I Sat. I v. 9, Ciceronis Orat. pro P. Quintio*, & *Var-*
94, 95. *ronis de L. L. Lib. V Cap. 7*. *Hostis* dicebatur olim peregrinus, &, cui post adhæsit nomen hostis, is antiquitus appellabatur *perduellis*. *Diffindere*, quod verbum obvium est in Lege
103. IV, ex foro est petitum, notans causam in judicio disceptandam differre, producere, aut in aliud tempus rejicere. Vid. *Liv. Lib. IX Cap. 38, Horat. Serm. Lib. II Sat. I v. 79, Gellius N.*
106. *A. Lib. XIV Cap. 2. Obvagulare*, quæ vox adhibetur in Lege III, hunc involvit significatum, aliquid anxie petere, aut quærere,

rere, descendens a *vagire*, quod infantum est in cunis, non, uti *Augustinus Tarraconensis* autumavit, a *vagari*, vel *vagum esse*. Ad Legem IV, de fure nocturno impune interficiendo, Pag. 110.
observat, fieri id posse æque a patrefamilias ac domestico, sicque 111.
sententiæ *Hottomanni* contra *Rittershusium* accedit. Nostrum Germanicum *Nacht* ab Ebræo נוּחַ, *quievit*, cujus prima persona נַחְתִּי, fluxisse videtur; illius antiqui septem partes numerabant.
Ubi quis furem diurnum in furto deprehenderat, poterat il- 114-118.
lum ex Lege V post verberationem tam diu servi loco habere, usque dum damnum pensatum fuisset. Servi, ubi prius ad 120. 121.
necem virgis cæsi essent, de saxo Tarpejo præcipites dabantur, quæ tamen lex postea est abolita. Impuberes, in furto 121-125.
prehensi, verberibus pro arbitrio Prætoris castigabantur; qua occasione de pubertatis termino, deque δοκιμασίᾳ, qua de pubertate certi reddebantur, itemque Prætoribus, quædam lectu non indigna interspergit. In Lege VII memoratur *furtum* 125-131.
per lancem liciumque repertum, de quo, quoniam in diversa abeunt interpretes, Cel. Autor, recensitis potioribus hariolationibus, ita mentem suam explicat. Si cui, res furto sibi ablatas in suspectis ædibus quærendi, a magistratu potestas esset facta, *illum*, vel, quod propius vero ipsi videtur, *lictorem*, & quidem nudum, amictum tantum infra umbilicum cincticulo, quod *licium* fuerit dictum, ne alienas opes secum attulisse videretur, tenentem ante se *lancem* manibus incessisse, qua furtum deprehensum, si capi illa posset, ob oculos posuerit omnibus, inque forum deportarit. Consuetudinem hanc ex Atticorum moribus fluxisse, ex *Aristophanis* explanatore, itemque *Platone*, dat probatum. Tabula III de *rebus creditis* agit. Ad Legem 139-149.
II differit Autor de fœnore, ejusque modo apud Romanos constituto, quem qui excedebat, quadruplum solvere obstrictus erat, cujus constitutionis æquitatem, cum fur ad dupli tantum restitutionem teneretur, ostendit. Præter viam locum *Ciceronis in Verrem Orat. III Cap. 72* de *binis centesimis*, & *Plinii ad Trajanum Ep. LXII Lib. X*, qui quibusdam vel corrupti, 161-172
vel obscuri, sunt habiti, vindicat & illustrat. Debitor, ubi debitum suum confessus in judicio esset, illique dies 30 ad sol-

vendum dati essent, nec tamen fidem liberasset, creditori addicebatur, qui illum, nervis & compedibus constrictum, domi suæ captivum tenere poterat, qui, si ad opus faciendum, vel ut sacris interesset, dimitteretur, compedibus 15 pondo, ne
Pag. 173 clanculum se subduceret, vinciebatur. Postquam 60 dies in
183. vinculis detentus fuisset, tribus nundinis publice producebatur, & quidem ea de causa, ut, si quis, misericordia tactus, pro ipso sponderet, liber dimitteretur, sin minus, capite minuebatur, jus civitatis illi adimebatur, domino in servitutem addicebatur, qui ipsum ultra Tiberim extra Italiam vendebat,
186 194. ne ipsius causa seditio excitaretur. Si pluribus obæratus esset, elapsis tribus nundinis, illum, si vellent, non equidem vendebant, ut pretium, inde rediens, æqualiter inter singulos distribueretur, quæ mens est Ill. *Bynckershœkii*, sed poterant illum in partes secare; quod, licet forte nunquam effectui sit datum, terroris tamen causa est adjectum, quo quisque fidem servaret.
194 200. Tabula IV *de jure patrio & connubii* inscripta est. Ad Legem I notat, patribus in liberos absolutam fuisse potestatem, ut ipsos etiam interficere, vel in servitutem vendere, potuerint, qui mos tamen post ab Imperatoribus vel abrogatus, vel restrictus est; ubi
201-210. quædam de impio more exponendi liberos subjungit. Filius monstrosus, deformi aliquo signo notatus, impune vel igne cremari, vel in Tiberim, sive alium fluvium, projici & suffo-
212 214. cari, poterat. Tabula V est *de hereditatibus & tutelis*. Apud Romanos tria testamentorum genera usu obtinebant, unum, quod *kalatis comitiis*, alterum, quod *in procinctu*, tertium, *quod per æs & libram*, appellabant; quæ qualia fuerint, luculenter exponit. Liberto, secundum Legem III absque hæredibus morienti, patronus, ejusque liberi, si qui essent, ab intestato succedebant. Quædam hic de manumissionis ritu, libertorum juribus ac observantia in patronum, etiam post manumissionem
233-240. præstanda, in medium adducuntur. De *ercto cito*, quod in Lege V legitur, ita judicat, ortum esse prius ab antiquo *hortlum*, quod *bonum* significat, unde, *o* in *e* verso, & adspiratione abjecta, prodierit *ertlum*. Glossarium vetus *hertlus citus* explicat *διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων*. *Citus* est a *cio*, quod ortum suum

debet

debet antiquo σχίω, unde σχίζω, *divido*. Ex voce *ertum* & *citum* fluxit vox *erciſco*, quæ notat *bona dividere*, unde *familia herciſcunda* eſt hæreditas inter hæredes dividenda. Tabula VI *de dominio & poſſeſſione* agit. Ad Legem I exponit, quid inter *nexum* & *mancipium* intercedat, & quibus ritibus ſive homo, ſive res, in nexum, vel mancipium alterius, devenerit. Ad Legem III differit de venditione *publica* & *privata*. Illa fiebat haſta poſita, quando debitor clam abierat, nec, Prætoris licet juſſu tertium evocatus, comparuerat; hæc pro lubitu poſſeſſoris, nec res vendita tradebatur prius, quam vel pretium ſolutum, vel pignus datum eſſet, vel fidejuſſor ſe ſtitiſſet, vel alio quocunque modo venditori ſatisfactum eſſet. Qua re ab uxore diſcrepet concubina, & quæ fuerint nuptiæ per *confarreationem*, *coemtionem*, itemque *uſum*, accurate demonſtrat. Fœmina antiquitus, Veſtalibus exceptis, nunquam ſui juris eſſe cenſebatur; erant tamen quædam matronis privilegia. *Nubere* idem eſſe, quod ſubjici & ſervire thori ſocio, ex *Martialis Lib. VIII Epigr. 12* probatur. De vindiciis fundi, itemque ædium & ſervorum, ea adducit, quæ ad intelligentiam Legis VI & VII faciunt. Vocem *concapet* in Lege VIII recte ſe habere, nec verbi inſtar pro *vindicet* ex ſententia *Jac. Gothofredi* & *Wielingii* poſitam, ſed nomen eſſe, & idem, quod *concapes*, aſſerit, dictam quaſi *concapita*, quæ vox ſignificabat non ſolum *depactum* ac *defixum terræ ad vineam ſuſtinendam*, verum etiam trabes in domibus, ceteraque ad fulciendas ædes in capitibus, id eſt, extremitatibus, ſuis unita & compoſita. Cum divortia inter Romanos inuſitata non fuerint, quærit, num mulieribus etiam a maritis divertendi poteſtas fuerit. *Romuli* atque Decemvirorum ætate id obtinuiſſe negat, niſi quod ab illa, quæ uſu capta erat, ante annum integrum elapſum fieri potuerit; ſeculis ſequentibus accidiſſe teſtimoniis firmat. Ex *Romuli* lege conjugem domo ejicere licebat ob *veneficium*, *fraudem*, & *adulterium*, quod ex *Plutarcho* & *Dionyſio Halicarnaſſenſi* liquet, item ubi vinum bibiſſe comperiebatur. Poſt *Carvilii* tempora ſæpe ob leviculas cauſas vinculum matrimonii ſolvebatur. Tabula VII *de delictis* inſcripta eſt. Ad Legem IV monſtrat, illum, qui

Pag. 244-245. 254-258. 261-265. 268-272. 272-273. 274-279. 280-283. 285-290.

qui frugibus damnum intulerat, de olea ſuſpenſum fuiſſe, quo *Ceres*, quæ læſa judicabatur, placaretur, ubi quædam de cruce & patibulo, itemque de *Cerere*. Impuberes, ſi hoc feciſſe arguerentur, ex Prætoris ſententia verberabantur,& ad duplum reſtituendum obſtringebantur. Ad Legem VI commentatur, illum, qui deſtinato conſilio frumenti acervo, ædibus appoſito, ignem ſubjecerit, ſicque ædes illas & vicinas igni dederit, verberibus ante probe affectum, vivum crematum fuiſſe; qui id imprudens & caſu fecerit, illum, cum damnum illatum ſuis opibus ſarcire non potuiſſet, carcere ac virgis, ſed levius, coercitum fuiſſe. Lege VIII ſtatutum erat, ut, qui aliquem libello famoſo læſerit, ipſiusque famæ clanculum detraxerit, is fuſtibus ad internecionem uſque cæderetur, ubi ſignificatum vocis *pipulus* a *pipando*, quod Oſcis ejulabunde conqueri notat, item *occentare*, tradit. Occaſione Legis IX & X explicat jus talionis. Lege X vult legi, *quas ſeirit teſtarier*, id eſt, qui ſe ſiverit teſtari; unde ſuſpicatur, lectionem *teſtatior* apud *Gellium N. A. Lib. VI Cap. 7* eſſe corruptam, item, *fariari* pro dicere recte ſe habere, contendit. Qui vero teſtimonium in ſe receperat, poſt autem rogatus negabat, is improbus & inteſtabilis habebatur. Falſus teſtis de ſaxo Tarpejo ex Lege XII præcipitabatur, quæ pœna ad tranquillitatem publicam conſervandam eſt ſtatuta, poſteriori autem tempore eſt abrogata, ita tamen, ut iſtiusmodi homo vel relegatione, vel bonorum omnium publicatione, puniretur. Parricida ex lege *Romuli* dicebatur omnis homicida, ſpecialiori autem ſenſu ita appellabatur, qui parentem, cognatum, & affinem, interemerat. Parricida etiam habebatur, qui veneno alium vita privaverat. De pœna parricidarum, ſtricte ſic dictorum, eorundemque ſupplicio, culeo, & qua ratione pœna executioni fuerit data, & quid animalibus adjunctis, ceu totidem ſymbolis, fuerit repræſentatum, ad Legem XV enucleate differit. Si quis patronorum clienti damnum intuliſſet, is execrabilis & diris devotus habebatur,ut a quocunque impune occidi poſſet; ubi mutua officia patronorum & clientum explanantur. Tabula VIII *de juribus prædiorum* exponit. Ad Legem I verba facit Autor de ſpatio duorum pedum cum dimidio,

Pag. 298-305. 306-312. 315-321. 325-332. 332-335. 335-339. 342-348. 352-356.

quo

quo ædificia distare debebant, quo circumiri, ac incendia prohiberi, possent. Societates, quæ coibant, poterant sibi leges scribere, sed ita, ne quid detrimenti inde caperet res publica; qua occasione quædam de sodalitatibus ac societatibus, speciatim *fratrum arvalium*, in medium adducuntur. Ex Lege III quinque pedum spatium inter agros confines vacuum relinquebatur, quod neuter sibi vindicare poterat. Illis, qui de finibus agrorum disceptabant, ex Prætoris sententia tres arbitri dabantur; quo loco differentiam inter *jurgium* & *litem* indicat. *Sublucare* est ramos arboris circumcidere & amputare, ne sua umbra noceant vicinis agris. *Glans* pro quocunque arboris fructu olim sumebatur. Viæ latitudo, quæ linea recta procedebat, *octo*, quæ in obliquum curvabatur, 16, pedum spatio Lege VIII definitur. In Tabulæ IX Lege II vox *siremps*, ut & apud *Plautum*, & in aliis antiquis monumentis, pro *similiter* adhibetur. Qui ex judicibus, sive arbitris, se corrumpi fuerat passus, is ex Lege III pœnam capitis sibi arcessebat, ubi, quo sensu prisci vocem *capital* acceperint, disceptatur. De civis Romani libertate ac vita judicium ferri non poterat, nisi in comitiis centuriatis, sive maximis, ubi de *civitate Romana*, itemque de *comitiis centuriatis* & *tributis*, notatu digniora expromuntur. Qui judicia capitalia exercebant, non nisi populi suffragiis creari poterant, & hi dicebantur *quæstores*, vel *quæsitores*, *parricidii*. Nocturni cœtus in urbe vi Legis VI sub commination pœnæ capitalis prohibentur, quæ ipsa etiam illum manebat, qui patriæ bellum inferret, aut civem hosti traderet; ubi, quis olim *hostis*, quis *perduellis*, sit appellatus, de novo inculcat. Tabula IX *de jure sacro* est. Quibus ritibus jusjurandum antiquitus conceperint, quantaque religione idem observarint, ad Legem I traditur. Lex III interdicit, ne mortuos intra urbem sepeliant, neve comburant. Ratio instituti hujus, quod apud varias gentes in usu fuit, inde repetitur, ne urbs cadaveribus funestaretur, neve tetris odoribus inficeretur. Sepeliebant igitur extra urbem in via, in lucis etiam ac nemoribus, quod ex *Propertii Lib. III Eleg. XV* liquet. Humatio apud Romanos, uti & alias gentes, diu locum habuit, crema-

Pag. 357-359. 359-362. 364-368. 368-371. 374-376. 384.385. 385-388. 389-397. 397-400. 400-405. 406-409.

tio

tio eſt introducta, a quo tempore demortua corpora ab hoſtibus terra iterum fuerunt eruta, in urbe tamen ſepulti & combuſti viri ſummi, itemque virgines Veſtales, non autem privati, quia ſepulcra ſua habebant ſacra, quæ ſtato tempore præſtanda erant, ad quæ publicus locus obligari non poterat. In cadaverum combuſtione varii ritus obſervabantur, quos Eru-
Pag. 411- ditiſſ. Autor ordine enucleat. Leges ſequentes a IV ad IX agunt
421. de luctu & funerum ſumtibus minuendis. Hac occaſione ſermonem inſtituit Cl. Autor de Diis Manibus, illorumque cultu, rogo, (quam vocem a Germanico *Roſt*, *Rœſten*, derivari poſſe cenſet,) *aſcia* non poliendo, quod de lignis, unde ſtrues facta, intelligendum eſſe decernit; a quo more tamen poſtea multum diſceſſerunt, ligna non ſolum aſciantes & polientes, ſed etiam pictis & variis emblematum ornamentis diſtinguentes, & mo-
421-426. numenta etiam marmorea exaſciantes. Ubi efferebantur & cremabantur, non niſi tribus *viciniis*, id eſt, veſtibus, quibus mulieres uſque ad funeris tempus utebantur, tegebantur, & vinculis, faſciis purpureis, obligabantur, & decem tibicinibus cantu lugubri luctus ſignificabatur. In virorum nobilium & celebrium funeribus tubæ etiam perſonabant, & ad tibiarum ſonum
427-432. næniæ inſtituebantur. Mulieribus interdictum erat, faciem unguibus, vel ferro, carpere, aut genas radere, ut ſanguis, qui ad piandos Manes facere judicabatur, eliceretur, vel leſſum funeris ergo facere, quam legem tamen ſæpiſſime migrarunt.
432-438. Cineres & oſſa colligebantur, nec tamen membrum aliquod, ſive oſſa reliqua, alibi cum ſumtu condi voluerunt. Unctura & convivia ſepulcralia in funeribus ſervorum nefas habebantur; ubi de *unctura*, *pollinctoribus*, *convivis ſepulcralibus*, quæ *ſilicernia* dicebantur, & quæ proximis cognatis & amicis, a funere
438-447. reverſis, domi apparabantur. Ad Legem XI & XII quædam proferuntur de *potione murata*, quam optimi vini, ſacchari, & aromatum, mixturam fuiſſe aſſeverat, quæ in rogum ardentem, poſt in cineres, ſpargebatur, de *uſu coronarum*, & ratione, qua-
447-453. re adhibitæ, itemque *acerris* & *aris portatilibus*. Non diverſis in locis funus parari, nec plures uno lecto ſterni, con-
458. cedebatur. A funere aurum abeſſe jubebatur, ſed, cui dentes excide-

exciderant, & illi auro incruſtati ſervati erant, una cum auro rogo immitti & comburi poterant. Sepulcri jus, quod Lege XVII declaratur, ad hæredes tranſibat, nec in illud alii involare fas habebatur. Ubi funus viri alicujus dignitate illuſtris ducebatur, comitia ceſſabant. His ſubjicit Cl. Autor enarrationem rituum funebrium, qui inde ab exceſſu uſque ad exequias Romanis fuerunt ſolennes. Tabula XI ſiſtit ſupplementum quinque priorum. In hujus legibus præcepta dantur de autoritate populi Romani in ferendis ſuffragiis, & quod priores leges per poſteriores ſint abolendæ, de patriciis cum plebejis connubii vinculo non ſociandis; quæ lex tamen, quod inſignem materiam invidiæ & ſimultatum præberet, ſeptimo anno poſt irrita eſt declarata. Tabula XII complectitur ſupplementum quinque poſteriorum, in qua de rebus controverſis, durante lite, ad res ſacras non deſtinandis, de vindiciis in duplum reſtituendis, ſi quis illas falſo uſurpaſſet, ſervo, domino ſciente, furtum, vel damnum, alicui inferente, puniendo, leges feruntur. Index nominum & rerum opus claudit. Operarum mendæ diligenter admodum ſunt ſublatæ, ut harum paucæ ſuperſint. Gratulamur ampliſſimo Autori de labore hoc eximio feliciter profligato, quem non ipſi tantum apud ſeram poſteritatem multo honori, ſed aliis etiam, qui cognoſcendi juris antiqui ſtudio feruntur, inprimis utilem, futurum, certo ſperamus.

Pag. 458 463. 465. 466. 466-471. 471-476. 476-482.

A TREATISE OF MIDWIFERY, &c.

hoc eſt,

TRACTATUS DE ARTE OBSTETRICIA, IN tres Partes diſtributus, Autore FIELDING OULD, *artis obſtetriciæ cultore.*

Dublini, apud Oli. Nelſon & Carolum Connor, 1742, 8 maj. Plag. 15, Tabb. æn. 2.

Ars obſtetricia noſtra inprimis ætate multis & egregiis celeberrimorum virorum ſcriptis illuſtrata fuit; Autor vero noſter in hoc Opere non quidem completas artis obſtetriciæ inſti-

tutiones exhibuit, primaria tamen capita tetigit, & experientiis, ex praxi cognitis, illuſtravit. Opuſculum hoc in *tres Partes* diſtribuit; in quarum *prima* de partu naturali, in *altera* de præternaturali, ſed tamen adminiſtratione manuum tantum perficienda, in *tertia* de illis præternaturalibus caſibus, agit, ubi fœtus ferramentis admotis educendus eſt. *Parte prima* monet, cognitionem partium anatomicam neceſſariam eſſe, ideoque organa generationis fœminina, & fœtum cum partibus adhærentibus, ejusque ſitum, deſcribit. De hoc ſpeciatim monet, in ſtatu naturali non faciem, ſed pectus, verſus os ſacrum converſum, caput vero ita poſitum eſſe, ut mentum humerum reſpiciat, id quod primo quidem per experientiam probat, ſed deinde etiam oſtendit, figuram ellipticam, ita factam, partui aptiſſimam eſſe, cum figuræ pelvis accommodata ſit. Monet igitur, obſtetrices ſitum hunc agitatione capitis non immutare debere. Quomodo orificium uteri tactu diſquirendum ſit, & ex ejus habitu prognoſis de partu ſecuturo fieri poſſit, brevibus inquirit, cauſas, quæ naturalem partum retardant, addens, & hunc accurate deſcribens, ſimulque monens, quid agendum ſit, ſi gemelli occurrant. De ſecundinarum extractione poſtea diſſerit, eandem non nimis præcipitanter ſuſcipiendam eſſe docens. Si enim per funiculum educere tentes, ille facile dilaceratur; ſin manu in uterum immiſſa ſeparare velis, vaſa uterina facile læduntur, ita, ut præter hæmorrhagiam varia alia mala oriantur. In *Parte altera* pauca de abortu præmittit, poſtea caſum placentæ ad orificium uteri accretæ examinat, & oſtendit, quomodo puerperæ ſuccurrendum ſit. Fœtus mortui extractionem explicaturus, ſigna fœtus mortui & vivi obiter tantum tangit, & de extractione fœtus per pedes fuſius diſſerit. Inde ſtatum præternaturalem ligamentorum uteri, & ſpeciatim laxitatem eorundem, diſquirit, quo in caſu cum Cel. *Mauriceau* non conſentit, qui extractionem fœtus peculiari enchireſi perficiendam ſuadet, ſed monet, ipſam vim matris expulſionem præſtare poſſe, licet ſimul aſſerat, in extractione ſecundinarum majorem attentionem adhibendam eſſe, ne prolapſus uteri ſubſequatur.

Digitized by Google

ſequatur. Recenſet poſtea varios modos, quibus matrix a ſitu ſuo naturali recedit, & ſimiles caſus de ſitu præternaturali partium infantis adducit, e. g. de perverſo capitis ſitu, ſi funiculus umbilicalis & manus ſimul cum capite exeant, ſi brachia primum exeant, & ſic porro. In his & ſimilibus circumſtantiis modum operationis concinne deſcribit, & hiſtoriis partus, paſſim interſperſis, illuſtrat. De ſitu præternaturali gemellorum pauca addit, &, quomodo mola extrahenda ſit, in fine exponit. In *Parte tertia* rationes oſtendit, quibus permotus, operationes manu ſola perficiendas ſeparatim deſcripſerit, & ferramentorum applicationem nunc tandem addat. In hac vero *Parte* primo quidem de ſingulari conſtrictione externi orificii uteri agit, & porro de orificio uteri interno ſcirrhoſo, de inſigni capitis magnitudine, & figura pelvis præternaturali, diſſerit; qua occaſione magnæ forcipis, omnibus artis obſtetriciæ cultoribus cognitæ, applicationem quodammodo conſiderat, & oſtendit, in quibusnam caſibus inſtrumentum hoc applicari poſſit, in quibus vero nullius uſus ſit. Inſtrumentum Cl. *Mauriceau*, *Tire tete* dictum, examinat, & ejus uſum perpendit; poſtea terebram occultam deſcribit, & icone addita delineat. Eſt vero inſtrumentum pungens, vagina ænea conditum, cujus apex quidem per hanc vaginam preſſu procedit, elaſtro tamen, ex filo ferreo ſpirali facto, iterum poſt preſſionem intra vaginam reducitur; quam apte vero & ſine læſione matris hoc inſtrumento Chirurgus uti poſſit, ex eo oſtendit, quod non opus ſit, in molliſſimas capitis partes inter futuras inquirere, ſed quod ubique in caput fœtus mortui impelli poſſit. Qua in re tamen monemus non omnem perforationem ſufficere, cum non ubique contenta cranii facile educi poſſint, e. g. ſi perforatio per medium oſſis parietalis perficiatur. Idem inſtrumentum quoque in mole capitis abrupti imminuenda, & in hydrope infantis, commodiſſimum eſſe, paulo poſt oſtendit, & ſimul methodum, qua *Mauriceau* & alii in hoc caſu utuntur, declarat. In fine quoque de partu cæſareo agit, & variis argumentis oſtendit, hanc operationem minime admittendam eſſe. Ipſe vero,

quæ asserit, & concise quidem, sed satis accurate, describit, variis casibus practicis interspersis illustrat.

AN IMPARTIAL INQVIRY INTO THE SEAT of the immediate Organ of Sight, &c.

hoc est,

DISQUISITIO CANDIDA DE PROPRIA SEDE organi visus, an in retina, an in choroidea, reperiatur. Argumentum, lectionibus de natura & curatione oculorum præmissum. Annectuntur quinque & quadraginta quæstiones de eodem argumento, curiosorum examini submissæ per JO. TAYLOR, Med. Doct. & Medicum ocularium Regium, &c.

Londini, apud M. Cooper, 1743, 8 maj.

Plag. 4.

Proprium organum visus est illa pars fundi in globo oculi, cui actio radiorum lucis objectorum externorum sensum imprimit, quo, mediante fibra nervea, idea cum mente communicari possit. Licet igitur tunica retina a pluribus assumta fuerit; tamen non desunt, qui rationibus variis adductis hunc visus effectum choroideæ adscribunt. Autor noster in hoc libello idem evincere annititur. Retina quidem nervi optici expansio est; nullum tamen cum pupilla habet nexum, illa vero membrana, quæ actionem radiorum lucis suscipit, omnino cum pupilla nexum habere debet, quippe quæ a radiis diversimode afficitur, & modo extenditur, modo contrahitur. Talis vero nexus choroideæ competit, quæ, licet non tam copiosas fibrillas nerveas habeat, iisdem tamen non prorsus destituitur. Retina læsa vix sentit, &, si etiam sentiret, tamen inde visus non destruitur; si vero in operatione cataractæ nervus quidam læditur, qui a choroidea ad pupillam tendit, sensus visus deficit. Retina quoque pellucida membrana radios transmittit, non vero icones objectorum suscipit, cum radii tandem in choroidea densa & minus

CHRISTIANI SIGISMUNDI GEORGII, Profeſſor. Publ. in Academia Wittenbergenſi, Apparatus philologico-theologicus ad Evangelia, Domini feſtisque diebus dedicata.

Volumen I.

Lipſiæ, ſumtibus Joannis Michaelis Teubneri, 1745, 4. Alph. 3.

Qui paucis abhinc annis ſuam, qua pollet, rerum & linguarum ſanctiorum peritiam, & ingenium ad res philologico-theologicas perapte compoſitum, variis, eisque non proletarii argumenti, ſcriptis egregie prodidit, Cl. *Chriſtianus Sigismundus Georgius*, novo nomine de re ſacra bene eſt meritus. Rogatus ab illis, qui in ipſius degunt commercio erudito, commilitonibus, animum ad Diſputationes publice habendas appulit, eo potiſſimum conſilio, ut argumentum, quod omnibus rei exegetico-homileticæ cultoribus inſervire poſſet, tractandum eligeret. Quo igitur Oratoriæ ſacræ ſtudioſis manus ferret auxiliatrices, conſilium iniit, Apparatum philologico-theologicum, tanquam promum homiletici ſtudii condum, ad Evangelia Domini adornandi, ſecutus *Glaſſii*, *Gerhardi*, *Waltheri*, & *Lyſeri*, quos in hoc negotio habet præambulones, veſtigia. Operæ vero pretium eſt, monere, quibus in partibus hic labor a ſpiſſis aliorum Theologorum operibus differat. *Primo* id negotii ſibi datum eſſe credidit Cl. Autor, ut ex ordine omnes verſus, eorundemque voces, & phraſes, e primis fontibus erueret, & easdem ſuæ notioni & ſignificationi vindicaret, cum aliis compararet, & verum inde confirmaret ſenſum. Atque in hoc argumento, quos ſupra adduximus, Autores multis ſtadiis poſt ſe relinquit, quippe qui de præſtantioribus tantum & difficilioribus ſolliciti fuerunt verbis, phraſiumque ſignificatu. Augent hujus libri dignitatem optimi & recentiſſimi rei criticæ & Philologiæ ſacræ Autores, quorum noſtra ætate multo largior & felicior eſt, quam priſtinis temporibus, ſeges. Ut ſpeci-

ex hujus operis usu & lectione haud inanes esse redituros. *Tertio*, ex usu esse, judicavit, & recte quidem judicavit, si cuivis commati προσοικειώσεις & porismata apponeret, quæ quidem ex tam largo effluxerunt gurgite, ut amplissimum, meditationes inserendi sacras, deprehendat campum orator. Illæ vero ipsæ meditationes non è longinquo sunt petitæ, sed innatæ, & domesticæ, nec non ita comparatæ, ut summo cum fructu in suggestu sacro adhiberi possint. Defunctus quidem hac provincia est B. *Glassius*, sed has meditationes ex tota aliqua pericopa potius, quam commate, collegit, & prolixe exasciavit; inde parcior est horum porismatum apud *Glassium*, sed uberior & fertilior apud *Georgium*, proventus. Et, quo rerum suarum satageret Autor, adjecit *quarto* concinnam & succinctam textus sacri dispositionem, eandemque analyticam, ut illorum, quibus res augusta domi est in supellectile libraria, inserviret rationibus. Laudabitur forte a multis, prout sunt nostra tempora, culpabitur etiam ab aliis, hoc, quod suscepit Clariss. Autor, opus, præsertim, cum subsidia & exegetica, & homiletica, nostro ævo prostent bene multa. At enim vero, si ex altera parte consideraveris, hujus generis exstare scripta partim obsoleta, & nostro genio parum inservientia, partim optimis fontibus & subsidiis hermeneuticis destituta, partim denique ab usu homiletico valde remota, non dubitamus, quin hoc nostri Autoris institutum laude dignum judicaturi sint multi. Telam in hoc *Volumine* Autor a Domin. Advent. I usque ad Domin. VI post Epiphan. pertexuit. Ut igitur hoc Opus feliciter absolvat, vires ipsi ex animo comprecamur.

Prelo nostro haud ita pridem exierunt *Indices generales sexti Actorum* nostrorum, quod est *Novorum Actorum primum, Decennii, Annorum* a 1732 usque ad 1741, nec non *Supplementorum ad Nova Acta quatuor* priorum *Voluminum*, summa argumenta continentes, &, qua fieri potuit, fide & industria confecti.

Nuper etiam *quinti Voluminis Supplementorum ad Nova* hæc *Acta Sectio XII*, cum Indicibus & Præfatione ad totum *Volumen*, publicavimus, proxime, si Deus voluerit, ad edendum *Volumen sextum* progressuri.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLV.

Pars I.

ANNALES COMPENDIARII REGUM & rerum Syriæ, Nummis veteribus illuſtrati, deducti ab obitu Alexandri Magni, ad Cn. Pompeji in Syriam adventum, cum amplis Prolegomenis; conſcripti ab ERASMO FROELICH, Soc. Jeſu Sacerdote.

Viennæ Auſtriæ, ex typographeo Kaliwodiano, 1744, fol. Alph. 2 plag. 14, Tab. æn. 19.

Inter præcipua veteris hiſtoriæ ſubſidia, quibus omnes, qui ad eandem recte cognoſcendam animum appellunt, inſtructos eſſe oportet, non ultimum profecto eſt accurata Chronologiæ inveſtigatio. Hanc ipſam vero Corinthum adire datum ſane eſt pauciſſimis. Quot enim, bone Deus, dubiis & difficultatibus ea res laborat? Quantum ſæpius conjecturis dandum eſt, ſi, quo quæque tempore geſta ſint, definire quis ſtudeat? Nam, qui ipſas hiſtorias fuſius deſcripſerunt veteres, dubios lectores hac in parte tantum non ſemper relinquunt, & haud raro nummis, vetuſtate jam corroſis, ultimisque antiquitatum parietinis, denuntiandum eſt teſtimonium. Vix igitur hac in eruditionis parte aliquid præclari quispiam poſſet præſtare, niſi ſummorum hominum liberalitas in colligendis recludendisque numophylaciis eruditis ad labores ejusmodi ſuſcipiendos

incitamento eſſet. Habent enim hoc bonæ literæ, ut non ſolum a privatis diligenter tractentur, verum etiam Principibus, purpura coronisque fulgentibus, perplaceant. Illuſtre profecto hujus rei exemplum jam præbuit, ob victorias non ſolum ab hoſtibus reportatas, verum & ob egregiam doctrinam, ſingularemque erga literatos favorem, omnibus miranda *Maria Thereſia*, Hungariæ Bohemiæque Regina, cujus vere regia munificentia præſtantiſſimum hoc Opus orbi literato peperit. Inſcriptum eſt illud Auguſtiſſimo *Mariæ Thereſiæ* nomini, & nummum in honorem ejus cuſum in fronte gerit, in cujus adverſa effigies optimæ Reginæ viſitur, averſa autem *Palladis* ſimulacrum exhibet, cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΜΑΡΙΑΣ. ΘΕΡΕΣΙΑΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ. ΔΙΚΑΙΑΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΙΔΟΣ. In baſi legitur: ΕΤΟΥΣ. Δ. Ut autem de tota hujus Operis ratione Lectori eo certius conſtaret, Prolegomena ſatis longa, ultra 90 paginarum ſpatium excurrentia, & in quinque partes deſcripta, Autor egregius, & inter vere doctos hujus ſeculi numerandus, præmiſit. Occaſio horum Annalium conficiendorum non una fuit. Non ſolum enim hiſtoria ex diligenti inquiſitione ſeriei & ordinis eorum Syriæ Regum, qui poſt *Alexandri M.* interitum regnarunt, multum accipit lucis; verum etiam *Macchabæorum* libri, quos valde, &, ex noſtra ſententia, nimis, Cl. Autor extollit, quin & vaticinium, *Danielis Cap. XI* contentum, hoc pacto egregie illuſtrantur, & hac ratione male feriatis hominibus occaſio deprimendi ſacrarum literarum fidem eripitur. Et, quamvis graviſſimi jam Autores in conſtituenda hac hiſtoriarum parte deſudarint, immo & a *Vaillantio* permulti nummi ad ejus illuſtrationem fuerint prolati, non tamen uſque adeo ad liquidum omnia a viris doctis ſunt perducta, ut non Cl. Autori amplum ſatis reliquerint ingenii exercendi campum. Cumque in variis præſtantiſſimisque numophylaciis varia, ab aliis nondum viſa & obſervata, deprehenderit numiſmata, annorum characteribus, raris ſymbolis, & Regum conſignatis titulis, pretioſa, adeo proſpera fortuna calcaria ei, hoc in ſtadio currenti, ſubdidit. Non vero longiores variorum eventuum narrationes attulit, cum hoc ab aliis jam, quos

Digitized by Google

quos ipſe nominavit, ſit præſtitum; ſed præcipuas res geſtas Pag. 4.
continuo, quoad licebat, annorum ordine paucis recenſuit, &
ad ipſos ſemper fontes lectorem ablegavit. Inter hos autem
fontes primo loco commemorat *primum* & *ſecundum Macchabæorum librum*, eisque nullum ſcriptorem Syriacarum rerum,
ſi a *Polybio* diſceſſeris, conferri poſſe, exiſtimat. Quamvis
vero hæc non omnino damnemus; dolendum tamen eſt, Cl.
Autorem iſtos *Macchabæorum* libros divini ſpiritus ductu 5.
conſcriptos arbitrari. Certe hac in re contrarios ſibi inveniet, quotquot ſunt cordatiorum eruditorum, tantum non
omnes; cum, iſtos libros inter apocryphos eſſe referendos, &
hominem minime θεόπνευστον eorundem autorem eſſe, certiſſimum ſit. Nam ipſemet horum librorum autor, ſe errare
poſſe, candide profitetur 2 *Macch. XV, 39*, nec libri illi Hebraico idiomate, uti canonici, conſcripti ſunt, nec pro canonicis a primitiva Eccleſia ſunt habiti. Certe in catalogo librorum canonicorum Vet. Teſt. a *Melitone Sardenſi*, qui Seculo
ſecundo floruit, confecto, apud *Euſebium Hiſt. Eccl. Lib. IV
Cap. 26* libri *Macchabæorum* exulant. Uſus vero eſt Cl. Autor vulgata horum librorum verſione; Græcum tamen Syriacumque textum, re exigente, non neglexit. Cumque *Macchabæorum* libri non omnia, hiſce Annalibus inſerenda, ſuppeditarent, præſto etiam fuerunt *nummi veteres*, quibus plurimum autoritatis tribuit, eam ob cauſam, quod publica autoritate
cuſi, certiſſimas temporum notas præ ſe ferant, atque ab erratis monetariorum Syriaci nummi Græcis Romanisque multo
ſint puriores. Omnes igitur nummos, a celeberrimis rei nummariæ ſcriptoribus evulgatos, & ad rem ſuam pertinentes, caute tamen & cum delectu in uſus ſuos convertit non ſolum, verum etiam nummos, quorum nondum exſtabat memoria, præcipue ex Potentiſſimæ Hungarorum Reginæ theſauro depromtos, edidit, quem theſaurum literis *C. Reg.* id eſt, Cæſario-Regius, Lector notatum hic videt. Hoc pacto numiſmata, Syriam illuſtrantia, quadringentis plura, vel ſolorum Syriæ Regum, nummis urbium non annumeratis, appoſuit, & eo nomine *Vaillantium* longiſſime ſuperavit. Prædicat hac occaſione

ſione Cl. Autor Illuſtriſſimi *Everardi Fawkener*, Potentiſſimi Britanniarum Regis ad aulam Ottomannicam Legati, ſingularem humanitatem, & in promovendis literarum finibus ſtudium. Is enim præſtantiſſimus heros togatus, varia numiſmata, ex Oriente Vindobonam allata, cum huc iter faceret, cum Cl. Autore communicavit partim, partim accuratiſſime delineanda curavit, eique liberaliter impertiit; ex qua ſingulari Viri ſummi humanitate multum utilitatis in hos Anna-
Pag. 6. les profluxiſſe, ipſe gratus fatetur. Nummis antiquis marmora atque gemmas addidit. Ad illa quod attinet, præter ea, quæ jam
7. viri docti, a Cl. Autore adducti, vulgarunt, admodum pauca inventa ſunt, huc facientia, quæ tamen ſuis locis inſerta comparent. De gemma ſatis pretioſa, cui *Alexandri M.* res geſtæ
7. artifici manu inſculptæ ſunt, in ipſis Annalibus fuſe diſſerit. Tertium ſubſidiorum genus ab antiquis ſcriptoribus arceſſivit. Ad ſeriei chronologicæ ordinem multum profuerunt *Euſebii Chronicon*, & *Porphyrii Fragmenta Græca*, a *Joſepho Scaligero* in *Theſauro temporum* vulgata, *Appianus* item, *Juſtinus*, S. *Hieronymus* in *Cap. XI Danielis*, & *Flavius Joſephus*, cui tamen non plus tribuit fidei, quam aliorum ſcriptorum aut conſenſus ſuadet, aut ſilentium. *Joſephi* editione ſe uſum eſſe ea, quam A. 1726 *Havercampius* typis dandam curavit, eam ob
8. cauſam indicat, ne fruſtra ſit in evolvendis *Joſephi* locis lector, cum aliis in editionibus alius Capitum ordo ac numerus inveniatur. Plures adhuc his nominatis addidit Autores, *Polybium* nempe, *Diodorum Siculum*, *Livium*, *Plutarchum*, *Athenæum*, alios. *Aſtronomicos* etiam temporum characteres in conſilium vocavit. Eclipſium, olim obſervatarum, paſſim meminere Hiſtorici. Et, quamvis Aſtronomi majori diligentia eas annotare ſoleant, nihilo tamen ſecius plus utilitatis Hiſtoricorum qualiscunque narratio præſtat, cum hi rem aliquam illuſtrem commemorent, quæ eclipſeos tempore contigit; illi contra hoc raro faciant, aſtronomicis potius obſervationibus intenti. Et, quoniam ad Regum Syriæ Chronologiam illæ fere tantum eclipſes faciunt, quæ a morte *Alexandri M.* ad annum uſque tertium & ſexageſimum obſervatæ ſunt, eas, celeberrimorum quorundam

rundam hominum inſiſtens veſtigiis, eo, quò contigerunt, ordine recenſuit, & unam, cujus *Polybius* meminit, & de qua dubium quoddam ſubortum eſt, ad calculos ipſe revocavit. De cometis, aliisque id genus cœli phænomenis, nec non planetarum cum ſtellis fixis conjunctione, quod ex iis nihil fere, quod eſſet alicujus momenti, deduci poſſet, penitus tacuit. In uſu tamen horum, de quibus dictum eſt, ſubſidiorum variæ difficultates ſe oſtenderunt. Ne igitur eas intactas relinqueret, *ſecunda Prolegomenorum Parte* de dubiis, e *Macchabæorum* hiſtoria ſubortis, verba facit, deque modo numerandi annos apud Græcos, ſive Syro-Macedones, atque Judæos diſſerit, cum ſine amborum inter ſe contentione dubia, in *Macchabæorum* libris occurrentia, ſolvi nequeant. Certum videlicet eſt, in *Macchabæorum* libris annos ab æra Græcorum ſupputari, cujus æræ initium in anno Juliano ante æram Chriſti vulgarem 312 periodi Julianæ quater milleſimo quadringenteſimo ſecundo ponendum eſt. Porro, Græcos, ſive Syro-Macedones, annum primum æræ ſuæ in autumno modo memorati anni Juliani inchoaſſe, a *Petavio* & *Noriſio* extra omnem dubitationem eſt poſitum. Jam vero, annum civilis uſus apud Syro-Macedones duodecim menſibus lunaribus definitum fuiſſe, *Petavius* & *Noriſius* ſatis demonſtrarunt. Ut ergo annus lunaris cum ſolari conciliaretur, neceſſum erat, cum menſes ſive 30 dierum, ſive alterni, 29, eſſent, aut dierum intercalarium, aut menſis embolini, uſum introducere. Embolinum autem re vera obtinuiſſe, *Gemini* & *Diodori Siculi* teſtimonia evincunt. Jam apud Judæos eo tempore initium proprii anni verno tempori affixum erat, primusque menſis, *Niſan* dictus, ex ſententia Cl. Autoris reſpondebat menſi *Xanthico* Syro-Macedonum, reliquorum menſium nomina & ordo extra controverſiam ſunt. Embolinus quoque menſis, poſt menſem *Adar* inſertus, anni lunaris uſum Judæis fuiſſe, probabile facit. Perſpectis hac ratione menſium anni Syro-Macedonici & Judaici ordine ac nominibus, tabellam confecit Cl. Autor, in qua menſes Judæorum & Syro-Macedonum primum inter ſe, tum etiam cum anni Juliani menſibus, contulit. Huic tabellæ nonnullas obſerva- Pag. 9. 20.

tiones addidit: menſem ſcilicet *Xanthicum τῶ Niſan* ita reſpondiſſe, ut is ante *Niſan* inchoatus ſit, atque adeo aliqua pars *Artemiſii* cum eodem *Niſan* concurrerit. Hujus obſervationis ope conciliari poſſe ſuam ſententiam cum iis, quæ *Jo. Alb.*
Pag. 21. *Fabricius* in *Menologio pag. 15* attulit, exiſtimat. Ex his porro conſequi tradit, menſem *Dium*, qui anni Syro-Macedonici primus fuit menſis, altera ſui parte cum menſe *Tiſri* (*Septembre*), altera autem majore cum *Marchesvan* (*Octobre*), decurriſſe. Et, cum nonnullis videri poſſet mirum, quare Syro-Macedones anni initium ab exeunte fere *Octobri*, (ita enim eos feciſſe credit,) deduxerint, cum tamen veteribus ſolenne fuerit, ab æquinoctiorum, vel ſolſtitiorum, alterutro annum ordiri, ejus rei rationem in ſequentibus reddit. Rejicit *Uſſerii* ſententiam, qui ea de cauſa, *Hyberberetæum* (*Septembrem*) loco *Dii* primum Syromacedonici anni menſem fuiſſe, ſtatuit. Obſervat potius, vetuſtiores Græcos (more apud Hebræos Chaldæosque etiam uſitato) æquinoctii tempus a ſtellæ alicujus fixæ ortu, occaſu, aut cum ſole conjunctione, definiviſſe. Cum vero Aſtronomia eo tempore non ad tantum faſtigium, ad quantum hodie, eſſet perducta, ex errore eos annum lentis accrementis juſto majorem conſtituiſſe, & hoc pacto anni initium multorum ſeculorum lapſu in *Octobrem* e *Septembri* ultra veri æquinoctii limites eſſe prolapſum. Hanc annorum computationem apud veteres re vera ita ſe habuiſſe, ex *Ptolemæo* atque *Petavii Diſſertationibus* comprobat. Harum igitur obſervationum ope varios nodos in hiſtoria *Macchabæorum* ſolvi, multosque locos, inter ſe pugnantes, conciliari poſſe, ſtatuit, ejusque rei
22-30. ſpecimen haud unum affert, nihil non agens, ut veritatem horum librorum tueatur, in quo negotio an ſemper feliciter ſit verſatus, apud lectorem eſto judicium. Nos profecto ſtupendum laborem, & excellentiſſimum Cl. Autoris ingenium, miramur, optandum tamen eſſe cenſemus, ut præclarum ejusmodi ſtudium divinioribus libris, quam illi *Macchabæorum* ſunt, adhiberetur. Dubiis chronologicis, his in libris occurrentibus, hiſtorica quædam & geographica, veluti coronidis loco, adjecit, omnemque diligentiam eis diſcutiendis impendit.

Ipſo

Ipſo *Libri I Macchabæorum* exordio *Alexander M.* primus in Græcia regnaſſe traditur. Sed, ante eum Reges bene multos Græciam gubernaſſe, ex Hiſtoricis abunde conſtat. Nonnulli, ut hoc dubium ſolverent, dixerunt, in Græco eſſe πρότερον, & non πρότερος, hocque exponendum eſſe, qui *prius* regnavit in Græcia. Hoc vero rejicit Cl. Autor, propterea, quod Pag. 31.
1 Macch. VI, 2, de *Alexandro* dicatur, ὃς ἐβασίλευσε πρῶτος ἐν τοῖς ἔλλησι. Rectius ergo fieri cenſet, ſi ſub nomine *Græciæ* & *Græcorum* totius Græcæ manarchiæ imperium intelligatur, cui utique primus præfuerit *Alexander*, qui & primus ab omnibus Græciæ populis βασιλέως nomine cohoneſtatus ſit, quo nomine priores Macedoniæ Reges admodum raro & timide ſint uſi, ita, ut & nummi eorum βασιλέως titulum nunquam præ ſe ferant. Eodem fere loco *Macchabæorum* libri ſtatuunt, *Alexandrum* morti vicinum regnum inter amicos diviſiſſe. Pugnare hæc videntur cum illis, quæ de *Alexandri* morte *Juſtinus*, *Curtius*, *Plutarchus*, alii, prodiderunt memoriæ, quippe ex quibus diſcimus, moribundum Regem, a ſuis interrogatum, ecquem ſucceſſorem deſignaret, reſpondiſſe, *digniſſimum*, annulum vero ſuum *Perdiccæ* tradidiſſe. Hic utique aliquid humani paſſus videtur libri *Macchabæorum* conditor. Sed Cl. Autor, nihil non agens, ut autoritatem operis iſtius tueatur, hiſtoriæ *Alexandri* ſcriptores ex *Macchabæorum* libris emendare & ſupplere ſatagit, dicens, eos aliquid fortaſſis omiſiſſe. Inſuper, teſtamentum ab *Alexandro* eſſe conditum, ex *Curtio*, *Chronographo Alexandrino*, *Joſepho Gorionide*, & *Diodoro Siculo*, comprobat. Sed, quamvis etiam 32
contra hæc nonnulla moneri poſſent, dabimus tamen, *Alexandrum* condidiſſe teſtamentum; num, quæſumus, inde ſequitur, eum, cum adhuc viveret, regnum inter amicos diviſiſſe? Facile ergo apparet, excuſationem illius erroris ingenioſam potius eſſe, quam veram. Idem dicendum de *Antiocho M.*, qui *1 Macchab. VIII* vivus a Romanis ex ſententia Cl. Autoris captus traditur. Cum hac de re ſileant Hiſtorici veteres, *Polybius*, *Livius*, alii; iterum illud ſilentium ex egregio ſuo *Macchabæorum* libro ſupplendum cenſet. Putat tamen, in loco quodam *Li-* 32.

viano

viano utique hujus rei mentionem injici, quia Epitomator *Livii Lib. XXXVIII* dicat, *Lucium Scipionem Antiochi victorem in jus vocatum esse eam ob causam, quod præda cum Antiocho capta ærarium defraudasset.* At enim vero parum præsidii hoc in loco ejus reperiet sententia, cum, ipso Cl. Autore non dissimulante, locus ille sit dubius, & plurimæ editiones, *præda ex Antiocho capta*, legant. Insuper totus ille labor inutilis videtur, cum *1 Macchab. VIII* plane non dicatur, *Antiochum* a Romanis fuisse captum, sed duntaxat ejus exercitum fuisse fugatum, ita, ut pacem petere cogeretur, tributum quoque ipsi fuisse impositum, quotannis Romam solvendum, id quod e probatis veterum testimoniis certum reddere debebat Cl. Autor, cujus tamen rei altum deprehenditur silentium. Post allata hujus generis dubia quamplura, *Parte Prolegomenorum tertia* difficultates, in veterum Syriæ Regum nummis obvias, commemorat. Accurata eorum disquisitio plus, quam initio minari videbatur, negotii Cl. Autori facessivit. In discernendis Seleucidarum nummis permultum quidem *Vaillantius* & *Haymius* præstitere; neuter tamen viam & rationem ex instituto tironibus monstravit, qua tanta nummorum farrago in ordinem digeri, ac suo quisque Regi assignari, debeat. Hoc igitur negotium in se suscepit Cl. Autor, cum ut haberent tirones aliquam in ejuscemodi materia utiliter versandi rationem, tum ut candide aperiret, quantum sit in his illisve nummis discriminandis certi ac firmi. Annales suos ab *Alexandri M.* obitu deduxit. Hujus obitus tempus annum æræ Seleucidarum duodecim annis anteceſſit, & *Seleucus I Nicator* duodecimo æræ istius anno Syriam obtinuit. Aliorum igitur Regum, qui ante *Seleucum* Syriam Asiamque possederunt, conquirenda erant numismata. Primus post *Alexandrum M.* uti totius imperii, ita Syriæ Asiæque, *βασιλεὺς* fuit *Philippus Aridæus*, *Alexandri M.* frater, cum quo subinde in tituli regii communionem venit párvulus adhuc princeps *Alexander*, *Alexandri M.* e *Rhoxane* posthumus, & fortasse etiam *Hercules*, ejusdem *Alexandri M.* ex *Barsine* concubina filius. Jam inter varios nummos, qui *βασιλέως Φιλίππου*, vel *βασιλέως Αλεξάνδρου*, titulum præ se ferunt,

Pag. 35.

ferunt, vix ullos certo indicio ad *Philippum Aridæum* ex ſententia Cl. Autoris referre licet, ad *Alexandrum* puerum omnino nullos; *Herculis* etiam iſtius nullum adhuc nummum eſſe productum, exiſtimat. Multos proſtare tradit nummos, *Philippi* & *Alexandri* nomine inſcriptos, imberbe caput referentes, pelle leonis tectum, quod qui *Alexandri*, aut *Philippi*, Regum ſemper eſſe cenſent, valde ex ejus ſententia falluntur. *Herculis Dei* potius caput in illis exhiberi, ſatis confirmare cenſet vultus binos, in *Philippi*, *Alexandri*, *Seleuci I*, atque *Antiochi I*, nummis plane inter ſe ſimiles, cum credi vix poſſit, omnes illos Reges ſimiles habuiſſe vultus. *Philippi* tamen nummos argenteos, qui elegantiorem fabricam, & *βασιλέως* titulum, magnamque cum *Alexandri M.* atque *Seleuci I* nummis ſimilitudinem, habent, *Philippo Aridæo* potius, quam patri *Alexandri M.*, tribuendos contendit. Poſt *Philippum Aridæum* cum omni regia ſtirpe e medio ſublatum, primus *Antigonus* cum filio *Demetrio Poliorcete* Syriæ atque Aſiæ præfuit. *Antigoni* iſtius ac *Demetrii* nummos ab aliis *Antigonorum* ac *Demetriorum* nummis diſcernit cornutum caput, quo proximi tantum *Alexandro M.* Reges in nummis exprimuntur. Victo ac ſublato *Antigono*, *Seleucus Nicator* Syriam Aſiamque obtinuit, *Phœnices* duntaxat ac *Cœle-Syriæ* parte litorali excepta. Hic igitur *Seleucus* eorum Regum, qui ab ipſo imperii ac ſtirpis autore Seleucidæ audiunt, ducit familiam. Inſititiorum Regum, id eſt, eorum, qui Syriam invaſerunt & occuparunt, nummi facile ab illis Seleucidarum diſcernuntur, cum eorum cognomina, bona rei nummariæ fortuna, oſtendant. Ad ipſos vero Seleucidarum nummos quod attinet, primum ſubſidium ab hiſtoriæ veteris ſcriptoribus erat petendum, ut Regum eorum nomina, & reſpondentes eisdem nummi, in qualemcunque ordinem disponerentur. Cognomina igitur Regum, titulosque eorum honorificos, ex ſcriptoribus antiquis Cl. Autor excerpſit, annotatis etiam annis, quibus quisque Regum imperium adiiſſe, eoque dejectus eſſe, perhibetur. Conſtituto ita qualicunque eorum catalogo; cum eodem numiſmata, ad rei illuſtrationem facientia, diligentiſſime contulit. Ut autem ad diſcernendos tot

Pag. 35.

ejusdem nominis Regum nummos firmo satis fundamento niteretur, e numismatum omni penu ea primum selegit, quæ certas æræ Seleucidarum notas præ se ferunt, utque lectoribus
Pag. 38. insignem erga *Macchabæorum Libros* venerationem inspiraret, tabellam confecit, qua, libros illos cum Chronologia, in numnis comparente, consentire, ostendit. Altera in parte hujus tabellæ anni omnes, ad Regum Syriæ historiam facientes, adscribuntur, quorum in *Libris Macchabæorum* fit mentio; altera parte annorum numeri exhibentur nummis illis insculpti, qui notitiam Cl. Autoris non effugerunt. Ex hac tabella simul intelligitur, nummos, Regum Seleucidarum epochæ notis insignes, primos sub *Antiocho III*, & postremos sub *Antiocho VIII* & *IX*,
39. comparere. Hujus rei rationem satis ingeniose Cl. Autor reddit. Regum nempe Syriæ numismata, quæ epochæ charactere insignia vidit, pæne omnia vel in *Phœnice*, *Tyri* potissimum ac *Sidone*, vel pauca *Apameæ* in *Cœle-Syria*, aut *Cyrrhi* in *Cyrrhestica* regione, percussa sunt. Jam vero *Phœnice* ac *Cœle-Syria* usque ad *Antiochi III* tempora *Ptolemæis*, Ægypti Regibus, paruit; porro, *Antiocho VIII* & *IX* fraternas lites ac civilia bella inchoantibus, *Phœnices* inprimis ac *Cœle-Syriæ* urbes, alia post aliam sese in libertatem vindicavit. Id pugnantes tum inter se Reges aut cogebantur dissimulare, aut ipsi ultro potentiores urbes privilegiis ac immunitatibus ornare, ut easdem partibus suis adjungerent. His observatis, in aperto est causa, cur ante *Antiochum III* & post *Antiochos VIII* & *IX* nummos, Regum epocha notatos, non deprehendamus, quia nimirum urbes illæ, quibus epochas nummis inscribere solenne erat, istis duntaxat, & qui inter eos intercedebant, Regibus erant subjectæ. Horum igitur, de quibus dictum est, numismatum ope, & una librorum *Macchabæorum* subsidio, jam certo discernere nummos, & e nummis veros vultus ac titulos septem *Antiochorum*, deinde *Seleuci IV*, & primorum duorum e Seleucidis *Demetriorum*, datum esse statuit. *Antiochus X*, quoniam εὐσεβὴς cognomen & a scriptoribus ei tribuitur, & idem in ære veteri reperitur, facile cognoscitur, etsi chronicus nummorum character desideretur. *Antiochus XI* etiam suis sese titulis in nummis

nummis manifestat; cum ἐπιφανὴς & φιλάδελφος in monetis soleat compellari. Cum *Vaillantius* nummos quosdam, βασιλέως Αντιόχϑ ἐπιφανῦς Διονύσϑ inscriptos, *Antiocho XII* tribuerat, ipse deinceps errorem retractavit. *Flavius* vero *Josephus* decepit virum doctissimum, qui, *Antiochum* illum *XII Dionysium* cognominatum esse, perhibet, cui tamen fides his in rebus eo minus habenda, quod & aliis Syriæ Regibus titulos affingat, de quibus nihil copiosa prodidere numismata. Allatis bene multis, huc pertinentibus, controversiis, & conciliatis cum numismatum fide *Macchabæorum* libris, Regum Syriæ chronologicam seriem, ac titulorum notitiam, ex Historicis veteribus primum affectam, nummorum ope perfecit, duosque Regum Syriæ exhibuit catalogos, quorum prior, ex *P. Riccioli Chronologia reformata* desumtus, Reges Seleucidas tantum continet. In sequenti vero, a Cl. Autore confecto, omnes Syriæ Reges ac tyranni comparent, etiam qui Seleucidæ non erant, quos ultimos tamen asteriſco notatos Lector inveniet. Adscripti sunt anni æræ Seleucidarum *Juliani*, in quorum nempe autumno incipit ejusdem numeri annus secundum Syro-Macedones, in vere autem annus ejusdem numeri secundum Judæos. Propositam hac ratione Regum Syriæ chronologicam seriem cum ab objectionibus eruditorum quorundam, aliter hac de re statuentium, vindicare constitutum esset; huic negotio *Partem Prolegomenorum quartam* Cl. Autor dicavit. Notum satis est præcox *Jo. Harduini* ingenium, qui in portentosis, & nemini eruditorum probatis, opinionibus proferendis atque defendendis mirifice sibi placebat. Is igitur in *Chronologia Vet. Test.* Syriæ Reges in alium longe, quam Cl. Autor, ordinem digessit. Ut ergo primo statim intuitu & de sua, & de *Harduini*, sententia lectori constaret, tabellam, in qua Regum Seleucidarum series ita, uti eam *Harduinus* fingit, comparet, e regione apponendam curavit. Statim vero, ut intelligatur, cujus pretii sint *Ignatiani* istius Sodalis prolata, exemplum quoddam illustrationis ergo afferemus. Vulgaris & recepta est sententia, *Seleucum Nicatorem* ultra quadraginta annos regno præfuisse, quam opinionem & Cl. Autor in suis Annalibus

Pag. 43. 49. 49. 50. 53.

libus *pag. 21* defendit. Sed aliter viſum *Harduino*, qui, eum annos LIV regnum tenuiſſe, ſtatuit, propterea quod in Regis *Seleuci* quodam nummo deprehenderat litteras Δ. N. quæ valore numerico LIV indicant, unde confici ſtatuit, ab æra *Seleucidarum* totidem annos *Seleucum* imperaſſe. Sed ele-
Pag. 55. ganter Cl. Autor regerit, ſtatui non poſſe, illas literas Δ. N. epochæ eſſe indices, cum in illis nummis ſæpenumero occurrant literæ, quarum explicatio Oedipo interprete opus habeat. Habere ſe nummum quoque affirmat ejusdem *Seleuci I*, cui litera ξ inſcripta ſit; ergo ſexaginta annos *Seleucus* imperitavit? Quam abſurdum vero hoc ſit ſtatuere, ex teſtimonio potiſſimum *Polybii*, ſententiæ *Harduini* prorſus contrario, oſtendit. Nihilo tamen ſecius eundem errorem erravit Academicus aliquis Pariſienſis, *de la Nauze* dictus, in peculiari *de Regno Seleuci Nicatoris* Diſſertatione, Gallico idiomate conſcripta, & *Tomo VII Hiſtoriæ Academiæ Regiæ Inſcriptionum* inſerta, qui inter alia etiam ad nummum illum literis Δ. N. inſignem provocat, cujus tamen ſententiam, una cum *Harduini* ſomniis, egregie
58-64. dedit depexam Cl. Autor. De *Seleuco II* etiam lis aliqua cum inter viros hoc in eruditionis genere verſatiſſimos, *Vaillantium* nempe & *Theophilum Beyerum*, orta eſſet, quorum ille, *Seleucum II* duas in *Arſacem*, Parthiæ Regem, ſibi rebellem, expeditiones bellicas ſuſcepiſſe, priorem quidem anno æræ Seleucidarum 76, alteram anno 85, quo ipſo anno captus ſit ab *Arſace Seleucus*, atque anno ſequente in libertatem ac regnum reſtiturus, paulo poſt eodem durante anno 86 equo lapſus vitam finierit, *Arſacem* porro ex *Juſtini* mente regnum ſibi tum plenius formaſſe, cum *Seleucus II* poſt primam illam expeditionem motibus Aſiæ domum revocaretur, ſtatuit; hic vero contendit, bellum unicum a *Seleuco II* adverſus Parthos eſſe geſtum, eundemque *Seleucum* anno æræ Seleucidarum 72 victum, in *Arſacis* poteſtatem veniſſe, ſequenteque anno 73 ab *Arſace* regnum Parthicum formatum, & æræ Parthicæ tertiæ initium datum eſſe, *Seleucum* vero poſt multos annos captivitate ſolutum, tum denique, eodem *Juſtino* teſte, motibus Aſiæ revocatum eſſe; Cl. Autor, argumentis horum duumvirorum diligenter

genter expenſis, mediam iniit ſententiam, ſtatuitque, *Seleucum II* bina adverſus *Arſacem* geſſiſſe bella. Prioris belli tempus ſtatuit annum æræ Seleucidarum Julianum 74 exeuntem, & ſequentem 75, quo *Seleucus* ab *Arſace* victus, & novis motibus, ab *Attalo* concitatis, revocatus eſt, dum nempe, abſente *Seleuco*, *Attalus*, *Eumenis* novus ſucceſſor, in Aſia regnum ſtabilire & amplificare cœpiſſet. *Arſaces* quoque interea novam æram inſtituit, dum regnum ſibi corroborat. His anno 75 & 76 geſtis, & rebus in Aſia vel deſperatis, vel a *Seleuco* compoſitis, (neutrum enim ſcriptores prodidere,) eodem anno in *Arſacem Seleucus* bellum inſtaurat, ab eodem capitur, ac regie habetur, denique circa annum 86 libertatem cum regno recuperat, ſed eodem anno equo lapſus vitam amittit. Egregie deinceps hanc ſuam ſententiam defendit, variasque adhuc hujus generis diſceptationes profert, quas ab ipſo lectore, quam a nobis, dijudicari malumus. Cum vero inter nummos, quibus Annales ſuos illuſtravit, & multi Hebraici inveniantur; non abs re putavit Cl. Autor, de illis *quinta Prolegomenorum Parte* ex inſtituto diſſerere. Nummos Hebræorum dicit nummos Hebraico charactere inſcriptos. Hebraicus vero character, quo ſignata deprehunduntur numiſmata, duplex eſt. Horum alter *Samaritanus* appellari ſolet, alter vero, quo *Judæi* hodienum ſacrum Codicem deſcribunt, *Aſſyrius* dicitur. Utriusque characteris formas ad calcem Operis, ubi Numiſmata adducta æri inciſa comparent, Tabula XVII exhibuit Cl. Autor, una cum Alphabeto alio *Samaritano*, quo ſacer Codex conſcriptus exſtat, nec non Alphabeto Rabbi *Arariæ* & *Vaticano*, quæ doctiſſimus *Villalpandus* edidit, & vetere *Alphabeto Græco*. Charactere *Samaritano* inſcripti ſunt nummi omnes, ſub *Macchabæis* ſignati, quales pro veris ac genuinis merito habentur; *Aſſyrio* autem charactere ſignati inter adulterinos rejiciendi ſunt. Inveſtigat deinde rationem, quare *Samaritanus*, & non *Aſſyrius*, character ad ſignandos nummos fuerit adhibitus; quæ utriusque denominationis ratio, quæque ipſius characteris vetuſtas, ſit. Hebræis nimirum, uti permultis aliis gentibus, character duplex erat, ſacer alter, quo legem ſcribebant, alter civilis

Pag 65.

68-73.

uſus, quo in nummis aliisque rebus conſcribendis utebantur. Hoc vel ex eo conficitur, quod nummi veteres *Hebræorum* alio inſcripti charactere inveniantur, quam ille eſt, quo ſacra Biblia conſtanti ſcribuntur more. *Aſſyrium* igitur characterem, quo in ſacris uſi ſunt, & hodienum utuntur, *Judæi*, a *Moſe* eos accepiſſe, & per traditionem ad poſteros propagaſſe, cenſet Cl. Autor, ſuamque ſententiam ex loco Rabbi *Obadiæ* a
Pag. 75. *Bartenora*, verbo tenus adſcripto, & qui hac in re utramque paginam facere videtur, comprobat. *Aſſyrius* iſte character a voce אשר, *beatum reddidit*, quod, qui legem *Aſſyrio* charactere ſcriptam ſervant, beati fiunt, uti *Bartenora* ſtatuit, dicatur, aut eo, quod *Abraham* eum ex Meſopotamia (Aſſyriæ, latius acceptæ, provincia,) in terram Chanaan attulit, non definit. Civilis vero character quare *Samaritanus* dicatur, poſtea ediſſerit. Ipſe character, vocabulo *Samaritanus*, multo eſt antiquior; cum Samaria ipſa circa annum ante æram Chriſti 923 demum ſit condita. *Aſſur-Haddon* Rex poſtea Chutæos, & alios ex Babylone, Media, & Perſia, Samariam deduxit. Novi iſti incolæ ſenſim etiam Chananæorum linguam & literas uſurparunt. Sub *Macchabæis* poſtea Principibus novi iſti Samaritani ſæpius victi, & pars eorum a Judæis ſubacta eſt. Subjecti ergo Judæis, Hebraico etiam ac civili charactere, apud eos introducto, uſi ſunt. Succeſſu temporis, victis ſub *Tito* & *Hadriano*, variasque in terras diſperſis, Judæis, civilis hic character apud eos exolevit, cum ejus regionis, in qua viverent, civili lingua & charactere uti cogerentur, quamvis alterum illum, in ſacris ſcilicet uſitatum, nunquam oblivioni darent. Samaritani contra, a Judæis quippe diverſiſſimi, ſuis in ſedibus a *Tito* & *Hadriano* relinquebantur, uſitatumque ſibi characterem civilem conſtanter uſurparunt, & inde character
77. ille, ex Cl. Autoris ſententia, *Samaritanus* audit. Ante *Macchabæorum* tempora Hebræos monetas percuſſiſſe negat, hanc ſententiam contra aliorum objectiones erudite defendens, &, anno æræ Seleucidarum 171 primos Hebræorum nummos eſſe percuſſos, oſtendens. Cumque multum interſit, numiſmatum illorum nomina & pondera noſſe, ſummo ſtudio hæc omnia expla-

explanat, quidque *ſiclus*, tam *iuteger*, quam *dimidius*, quid *tertia* & *quarta pars* ſicli, quidque *obolus*, Hebraice *Ghera*, fuerit, inſigni eruditionis apparatu commonſtrat. Æſtimat etiam nummorum Hebraicorum pondera; qua in re doctiſſimi *Villalpandi* & *Eiſenſchmidii* veſtigiis inſiſtit. Non tamen in eo acquievit, ſed, ut propria experientia illud confirmaret, quod alii dixerant, nummos quosdam Hebraicos, in præſtantiſſimis cimeliis inventos, ad libram Noribergenſem, pharmacopolis uſitatam, exegit, inſignemque ejusmodi nummorum apparatum, qui etiam ad calcem libri Tabula XVIII delineati comparent, attulit, & illuſtravit, appendicis etiam loco numiſmata Hebræorum adulterina, ut de fraudibus ejusmodi ſibi caveret lector, adjecit. Ipſos Annales ita diſpoſuit, ut binæ paginarum facies, quæ ſe mutuo reſpiciunt, hiſtoricam ſynopſin altera, altera nummorum, hiſtoriæ reſpondentium, deſcriptionem, exhiberet. Eſt illud conſtanter obſervatum, niſi cum vel numismata deficiebant, vel hiſtorica narratio nummorum recenſionem explere non poterat; tunc enim, quæ abundabat, materia in alteram quoque paginæ faciem excurrit, quemadmodum *pag. 21, 27, 31, 51, 57, 121*, factum eſſe, Lector deprehendet. Nonnunquam utraque paginarum facies Annales continet, nullis numismatibus appoſitis, v. c. *pag. 34* & *41*, nonnunquam & nihil præter nummos continent, v. c. *pag. 62* & *90*. Facies illa, quæ hiſtoricam ſynopſin offert, in quatuor columnas diviſa eſt. Earum *prima* numerum exhibet anni, ante æram Chriſti vulgarem currentis; *altera* numerum æræ Seleucidarum; *tertia* columna continet numerum anni periodi Julianæ; *quarta* denique hiſtoricam narrationem brevem ac ſimplicem complectitur. Infimum faciei ſpatium occupant ſcriptorum veterum indicata teſtimonia, ubi etiam nonnullæ eorum diſſenſiones proferuntur, &, quoad licet, componuntur, ex præſertim, quæ in aſſignandis cuilibet Regi regni, aut vitæ, annis enaſcebantur. Adjecit quoque Cl. Autor primum cujusvis Olympiadis annum, quod id valde commodum lectori crederet. Alteram faciem, nummis deſtinatam, in tres columnas diſpeſcuit. *Prima* nummi cujusvis modulum, (quorum tres diverſos ſtatuit,) &

Pag. 85.

87-91.

91.

metalli

metalli ſpeciem, notavit, *tertia* vero librum, aut cimeliorum poſſeſſores, nominavit, e quibus nummi depromti ſunt. Media columna nummorum epigraphen, & figurarum deſcriptionem, ſuppeditat, præfixo in fronte ejus Regis nomine ac titulis, cujus monetæ recenſentur. Infimo loco quædam notantur, ad nummorum illuſtrationem facientia. Ad calcem univerſi
Pag. 122. Operis genealogia Seleucidarum uno ſchemate proponitur, quam Inſcriptiones antiquæ, ad Annales Regum Syriæ illuſtran-
123. dos pertinentes, excipiunt, Regumque eorum nummi aliis ra-
136. riores recenſentur. Index deinde geographicus, poſteaque hiſtoricus, Opus claudit. Numiſmata, in Annalibus ſecundum tabularum ordinem citata, ultimo loco æri inciſa comparent. Gratulamur merito ſeculo noſtro tam præclarum Opus, eoque certius ſperamus, ſummam laudem apud veros & intelligentes harum rerum judices reportaturum eſſe Cl. Autorem, quo majoribus difficultatibus impedita eſt hæc ipſa Chronologiæ inveſtigatio.

CAJI JULII CÆSARIS DE BELLO GALLICO & Civili, nec non A. HIRTII aliorumque de Bellis Alexandrino, Africano, & Hiſpanienſi, Commentarii. Notas & animadverſiones addidit THOM. BENTLEJUS. Acceſſere conjecturæ & emendationes JACOBI JURINI.

Londini, ſumtibus Guil. Innys & Richardi Manby, 1742, 8 maj.

Alph. 1 plag. 17.

Hæc editio continet, præter *Cæſaris* Bellum Gallicum & Civile, *Hirtii* Alexandrinum & Africanum, incerti Autoris Hiſpanienſe, Epiſtolas *Jul. Cæſaris*, ex Epiſtolis *Ciceronis* collectas, & duas tabulas geographicas, unam Galliæ, alteram Italiæ, tabulam locorum belli Africani, & figuram pontis Rhenani. *Capite* ſtatim *I* ſermo *eorum una pars initium capit a flumine Rhodano*, videtur *Jurino* inconcinnus, quem concinnum fore putat, ſi legatur *earum* (partium Galliæ) *una pars* &c.

Mox

Mox verba *Cæſaris, eam partem Oceani, quæ eſt ad Hiſpaniam, Jurinus* legi vult, *quæ adluit Hiſpaniam.* Quid? ſi legamus: *quæ adit Hiſpaniam. Cap. VIII* probat *Jurinus Dionyſ. Voſſii* ſententiam de muro *Cæſaris. Cap. XIII* pro verbis: *ut magis virtute, quam dolo, contenderent, aut inſidiis niterentur*, reponi vult *Bentlejus: ut magis virtute, quam dolo atque inſidiis, niterentur & contenderent.* Cur non malimus legere: *ut magis virtute contenderent, quam dolo atque inſidiis niterentur.* Nam viri nervos intendunt, imbelles dolo, aut inſidiis, nituntur. *Cap. XIV. Bentlejus* ſuperſedere potuerat commemoratione, eſſe Criticos, qui expungi vellent ex hac oratione *Cæſaris: eas res, quas legati Helvetii commemoraſſent*, nomina *legati Helvetii.* Nam *Cicero, Curionem Lib. II ad Diverſ. Ep. 4* ailoquens, non ſcribit: *quod poſſit a me ſcribi ad te*, ſed *quod poſſit graviter a Cicerone ſcribi ad Curionem. Cap. XVII* pro *dubitare debeant Jurinus* legi vult *dubitari debere.* Sed primum, in longis orationibus ſolœciſmos exiſtere, nihil eſt novi. Deinde verbum *debeant* pendere poteſt a præcedente particula *quod.* Tum ab his verbis nova præceptio incepta dici poteſt, quæ fere conjunctivo modo exprimuntur a præſtantiſſimis Hiſtoricis. Ibidem *neceſſario rem coactus Cæſari enuntiarit* converti vult in *neceſſitate coactus rem Cæſari enuntiarit.* Omnino vox *rem* ejicienda, tanquam ſupervacua, vel cum *jam* commutanda eſt. *Cap. XVIII* geminationem verbi *factum* improbat *Bentlejus. Cap. XXIII* verbum *exiſtimavit* jubet *Jurinus* mutari in *exiſtimans. Cap. XXVI* verba: *tota nocte continenter ierunt*, delenda putat *Bentlejus*, ne tavtologia exiſtat, quæ tamen nulla eſt, cum proxima verba cauſam adventus in Lingonum fines declarent. *Cap. XXXI* pro: *qui ante fuerant ad Cæſarem, reverterunt*, rurſus mutata cupit *Bentlejus*, ut pro *fuerant* poſthac legamus *venerant.* Sed interpunctione loci hujus intelligentiam adjuvit jam *Cellarius. Cap. XXXIII* deleta cupit verba: *præſertim cum Sequanos a provincia noſtra Rhodanus divideret.* Verum poſt *Sequanos* nomen *unus* excidiſſe nobis videtur, quod ſententiam commodam efficit, & ab imprudente librario incommode omitti potuit. *Cap. XXXVIII* geminationem verbi *proceſſiſſe* concoquere non

poteſt *Bentlejus*, more ſuo non ſatis bono. Nam *Caſar* earundem vocum repetitionem non aſpernatur, ut e tot exemplis animadvertere potuerat Criticus noſter, item ut *Cellarius* dudum animadverterat. *Cap. XXXIX* exilium decernit idem vocibus: *magnum periculum miſerabantur, quod*, ſed ei *Cellarius* ſatisfacere potuerat. *Cap. LIII* pro verbis: *ſibi ſalutem petierunt*, amplectitur Editor illud *Heinſii pepererunt. Lib. II Cap. XXV deſertos* reſpuit, *defeſſos* obtrudit. Prætermiſſis multis Editoris monitionibus, quas nos Lectori parum profuturas putamus, monendum videtur, Editorem male *Cæſaris* ſermonem accepiſſe *Lib. III Cap. VIII*, cum pro *acceperant* & *mallent* reſcripſit *acceperint* & *malint*. Nam poſt præſentia Hiſtoricorum, pro præteritis poſita, ſæpe ponuntur plusquamperfecta & imperfecta. Qua de re Grammaticæ quædam Latinæ ſatis teſtantur. *Cap. XII Lib. III* negat Autor, bis intra 12 horas æſtum ſe incitare, & ad experientiam provocat. Sed experientia ſtat a *Cæſaris* partibus, ſi æſtus incitatio major intelligatur, non totum illud ſpatium ſex horarum, quo æſtus & inchoatur, & remittitur. *Cap. XIII* pro *ſcopulis copulas* reponit. Sed copulæ nomen a loco iſto alienum eſt, quia rem experientia compertam non indicat. *Cap. XX* rurſus ejectas vult Editor voces: *ex his regionibus*, cum tamen ſanitatem loci *Cellarius* & alii dudum vindicarint. *Cap. XXIII* verba: *adeo montibus anguſtis mare continebatur*, explicari putat, ſi *montibus abruptis* legamus. Sed locutio, *mare continetur montibus anguſtis*, valet idem, ac *mare coercetur montibus prope aſſitis. Anguſtum* enim eſt *parum latum, brevi ſpatio arctatum.* Nam e montibus in littus minime ſpatioſum & arctum facile tela adjici poſſunt, in ſpatioſum & longinquum tela minime adjici poſſunt. *Lib. VIII Cap. IX*, neſcire ſe, ait Editor, quid ſibi velint verba: *portis fores — impoſuit.* Sed *fores* fere *portis* adjungebantur, cum alia atque alia ratione claudi ſolerent. Nam *portæ* ſunt *loca pervia, patentia, non obſepta. Fores* autem ſunt coagmenta illa verſatilia, quæ iter intercludunt urbem intraturis. *Bel. Civ. Lib. I Cap. XXI* pro: *tanta erat ſumma rerum exſpectatio, Jurinus* legi jubet: *tanta erat ſummæ rerum exſpectatio. Cap. XXV Bent-*

XXV Bentlejus pro *collocatis* legit *colligatis*. *Cap. XXXVII* pro *legionibus III* ex *Capite XL* conflari jubet *Jurinus IV legionibus*. *Cap. LVII paſtores indomiti Jurino* non placent, ſed *paſtores Domitii*. *Cap. LXXIX* ineptias, *tum inquirebant*, ex *Oudendorpio Jurinus* convertit in *relinquebatur*, *ut*, ubi tamen præcedens *tum* in *unum* verti itidem vult. *Cap. LXXXI* veterem ſcripturam, *caſtra caſtris convertunt*, commutat cum *caſtra caſtris continuant*. Videt ergo Lector Notarum *Bentleji* atque *Jurini* & genus, & utilitatem, & acumen. Aliquæ autem etiam, quæ antiquitates explicant, interſperſæ ſunt. Si quæ vero contumelioſiores in alios *Cæſaris* Editores videantur, eas interpoſitas nos ſane, quo ſumus ſtudio æquitatis, nollemus.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΑΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΤΩΝ
Βιβλία Δ'.
id eſt,
XENOPHONTIS MEMORABILIUM SOCRATIS dictorum Libri IV, Græce & Latine, cum Notis integris ERNESTI, aliorumque ſelectis; nunc variis etiam novis obſervationibus adaucti & illuſtrati. Huic editioni accedunt Capitum, Verborum, & Phraſium, Indices locupletiſſimi.

Oxonii, impenſis Jacobi Fletcher, 1741, 8 maj.
Alph. 1 plag. $\frac{1}{2}$.

Dedicationi ſubſcriptum eſt nomen Editoris, *Boltoni Simpſonis*. Præfatio non multas novi hujus Editoris *Memorabilium Socraticorum* promittit annotationes, quas tamen bonas fore ſperamus, propterea, quod aliquæ a Viro quodam impenſe docto communicatæ ſunt. Ad ipſum libri principium comparet annotatio de nomine γραφῆς, pro *accuſatione* poſito, cum origine ſignificationis, e conſuetudine accuſandi Attica repetendæ. Mox φήμαις *ominum* poteſtatem tribuit Editor. Proxima nota ἐνόμιζεν in verbis, ὡς ἐνόμιζεν ἄριστ' ἂν πράχθηναι, putat in ἐνόμιζον convertendum. Sed hominis ſapien-

tis, si qua de re consilium rogetur, non est consultores ad propriam sapientiam & sententiam amandare, sed suam ipsius cum consultoribus communicare, & tamen iis arbitrium proprium relinquere. Ergo, ἐνόμιζεν legi, satius est. *Lib. I Cap. 1 §. 18* βιβλεύσας explicat per verba βιβλευτὴς ὤν. *Cap. VI §. 9* docet, Cl. *Gesnero* ῥᾴστως suspectum videri; sed rem ipsam non explicat. Locus corruptus est. Nos legimus: Ἐκπολιορκηθείη δὲ πότερος ἂν θᾶττον, ὁ τῶν χαλεπωτάτων δεόμενος μᾶλλον, ἢ ὁ τοῖς ῥᾳστοις ῥᾴστως ἐντυγχάνειν ἀρκοῦντως χρώμενος; *uter facilius expugnabitur, qui rebus difficillimis eget, an qui facillimis inventu modice utitur?* Potest igitur ῥᾴστοις etiam intrusum esse ab imperito. *Lib. II Cap. 1 §. 10* legi vult Editor: πότεροι ζῶσιν ἥδιον, οἱ ἄρχοντες ἢ ἀρχόμενοι; non πότερον. *Ibidem §. 18* affert conjecturam *Taylorii* de verbis: ὁ μὲν ἐκ σίας ταλαιπωρῶν, ἐπ' ἀγαθῇ ἐλπίδι φρονῶν εὐφραίνεται· οἷον &c. qui legat πονῶν εὐφραίνεται. Sed eam neque probat, neque improbat. Improbandam esse, tautologia indicat, & neglectio contrarietatis hic necessariæ. *Ibid. §. 20* ad *Hesiodi* Ἐργ. *v. 288*, a *Xenophonte* citatum, bene miratur Autor, in omnibus *Hesiodi* editionibus reperiri nomen ὀλίγη, non λείη, quæ scriptura tamen etiam in *Platonis de Rep. II* offendatur. *Cap. IV §. 2* locum Φίλον δὲ &c. multis corruptum videri, ait Editor, quocirca pro οἷόν τε substitui vult ὄντας. Sed ista correctio depravatio est. *Cap. V §. 2* etiam verba: Ἀρα, ἔφη, ὦ Ἀντίθενες, εἰσί τινες ἀξίαι φίλων, ὥσπερ ἐπὶ οἰκείων, tentat, mutando ἐπὶ in ἐσί. Sed sana non sunt tentanda. *Cap. VI §. 30* pro nomine παθημάτων belle μαθημάτων legit. *Lib. III Cap. 4 §. 3* ex *Caseliana* editione Φιλόνικες reponit in loco nominis Φιλόνεικος. *Cap. 14 §. 3* ἀσκήσεως nomen ex illo ἀθλήσεως corruptum putat. *Lib. IV Cap. 1 §. 5* pro vulgato ἔστε repositum videmus ἔντε, pro quo αὐτὰ malit Editor.

THE GERMAN SPY, &c.
hoc est,
PERVESTIGATIO GERMANIÆ, SEU Epistolæ

Digitized by Google

Epiſtolæ familiares hominis nobilis de ſuis Germaniæ inferioris itineribus, & Hamburgenſi aliquot annorum permanſione, ad amicum Anglum, continentes germanam novam & jucundam deſcriptionem urbium & oppidorum Hamburgi, Lubecæ, Bremæ, Verdæ, Stadæ, Tychopoleos, Slesvici, Altonaviæ, Roſtochii, Vismariæ, Suerini, Strelizii, Raceburgi, Travemundæ, Fridericopoleos, Huſumi, &c. ac proinde Ducatuum Bremenſis ac Megaloburgici & Principatus Verdenſis, &c. cum religione & moribus populi, publicis oblectationibus, characteribus mercatorum Anglorum & aliorum, Hamburgi, Lubecæ, Bremæ, Stadæ, Roſtochii, aliisque in oppidis Hanſeaticis, domicilia habentium; non prætermiſſo regimine civili & militari, commodis & politia, munitionibus, templis & ædificiis publicis, & rebus rarioribus, &c. præmiſſa brevi enarratione harum literarum, & notis, huic operi a THOMA LEDYARD, Armigero, interſperſis. Editio altera.

Londini, expreſſum pro Jo. Bailey, 1740, 8 maj.

Alph. 1 plag. 6.

Præfatio Editoris narrat, hunc Bibliothecam coemiſſe, in qua literas haſce repererit, ita, ut dies earum & conſul una cum nomine Autoris, & perſonarum, in literis memoratarum, deleta fuerint. Cum autem *Th. Ledyardus* Secretarius fuerit Legatorum Britannicorum in Germania inferiore; cum eo literæ hæ communicatæ ſunt, & ordinatæ ab eodem inde ab anno 1727. Initiales tamen literas nominum, quæ offenſionem habitura eſſent, *Ledyardus* immutavit. *Epiſtola prima* memorantur incommoda diverſoriorum Weſtphalicorum, & fabula de origine nominis *Pompernickel*, quod potius fruſtum panis ſignat, per *Nicolaum*, ſanctum illum ſcholarum præſidem, partum. Ut enim Venetiis habent *Marci panem*, ita in Weſtphalia jam olim ha-

buerunt *Nicolai panem*. *Epiſtola ſecunda* Monaſterii ſacerdotum & proſtibulorum multitudo materiem ſcribendi ſuppeditat, & notiſſima urbis illius fata. *Epiſtola tertia* Suſtium, Lipſtadium, & Paderborna; *Epiſtola quarta* Caſſellæ prædicantur & Bielefeldia, Hervordia & Osnabruga adumbrantur. *Epiſtola quinta* Mindam; *Epiſtola ſexta* Bremam; *Epiſtola ſeptima* eandem, & præſertim commodos civium Lutheranorum mores; *Epiſtola octava* Bremenſium origines, privilegia cum perſonarum, tum mercium, deſcribit. *Epiſtola nona* agit de cadaveribus quibusdam incorruptis, & de ædificio *Ruperto*, lunaticis aliisque ægrotis dicato. *Epiſtola decima* continet deſcriptionem Bremæ novæ, Oldenburgii, & Delmenhorſtii, & famoſi illius cornu Oldenburgici.

THOMÆ SCHWENCKE, PROF. ANAT. & Chir. Hag. Hæmatologia, ſive ſanguinis hiſtoria, experimentis paſſim ſuperſtructa. Accedit obſervatio anatomica de acetabuli ligamento interno, caput femoris firmante.

Hagæ Comitum, apud Jo. Martinum Huſſon, 1743, 8 maj. Plag. 15.

Poſtquam Cl. Autor inde a viginti annis animadvertit, ſanguinis indolem atque naturam neque a veteribus, neque a ſuperioris noſtrique ſeculi, Medicis ſatis, & quantum ejus rei dignitas poſtulat, eſſe exploratam; ipſemet in illud argumentum magna cura, multaque opera, excutiendum incubuit, idque tam felici ſucceſſu, ut permulta nunc experimenta in eleganti hoc libello expromat, quæ utique rei adhuc obſcuræ novam lucem affundunt. Non neglexit ea, quæ præſtantiſſimi viri eam in rem jam inſtituerant, experimenta, ſed in uſum ſuum hæc transtulit, & ſuo quodque ordine ac loco apte collocavit, adeo, ut ipſa ſæpe Autorum verba repetere non dubitarit. Ubi tamen ab aliis diſſentit, id ſine bile fit & conviciis. Si quando ſententiam non aperuit, id defectui experimentorum tribuendum

buendum esse, ingenue fatetur. Cum non omnia, quæ singularia attulit, repetere nobis per instituti nostri rationem liceat; summam tantum cujusvis capitis strictim attingemus. Ne igitur oleum perdidisse & operam videatur, non sine causa initio statim disquirit, quantum interfit ad cognoscendos curandosque morbos, indolem sanguinis paulo diligentius explorare. Quodsi enim pulsum cognoscere expedit, qui motu sanguinis, in arteriam impressi, eamque extendentis, excitatur, multumque pro natura extendentis & moti liquidi variat; quanto erit satius, humorem ipsum accuratius perspicere, qui extensionem illam efficit. Si linguam inspicere & urinam solent Medici; magis eorum interest, inquirere in sanguinem, a quo secernitur, præsertim cum vitium in sanguine statim has secretiones mutet, atque perturbet. Hinc vero de canalibus, partibusque, quas Cap. 2.
sanguis perfluit, tum & de motu sanguinis per vasa, ejusque di- 3.
versitate, exponit, pulsuum differentias & numerum diverso diei 4.
tempore, ejusque incrementum a motu, &, præter alia, nondum satis exculta, sanguinis quoque calorem & quantitatem, diligenter perquirit, repetitoque sæpius experimento cognovit, pulsum ab hora matutina sexta ad primam meridianam quovis minuto esse inter 55 & 65, undecima vespertina esse utplurimum 80, ante prandium vero esse inter 55 & 60, quo tempore stomachus vacuus inprimis creditur. Ex quibus patet, sanguinem ceteris paribus in minimo motu esse ab hora octava matutina, ad primam pomeridianam, ab hac vero post prandium, & hora undecima post cœnam, violenter moveri, & idcirco hominem matutino tempore ad primam meridianam esse temperatissimum, ad vesperam fieri calidiorem, sed undecima calidissimum. Post cursum, vel violentum corporis exercitium, uno minuto pulsus micant 130 ad 140, quo tempore hominem acutissima febre laborare, ex pulsu crederes. Calorem non sola quantitas mota intra vasa arterioſa & venosa excitat, nulla habita ratione qualitatis humorum, sed quantitas cruoris globulorum, cum multiplicata velocitate. Hinc, si quantitas globulorum cruoris & velocitas augentur, utrisque major calor & æstus efficitur. Ex his itaque demonstrare co- 6.
natur,

natur, tum naturalem ſanguinis calorem per thermometrum optime dijudicandum, tum calorem præternaturalem. Neque, ut priſcis temporibus ſæpius factum eſt, ex ſolo pulſuum numero, eorumque celeritate, morbos judicandos eſſe probat, cum, thermometro adhibito, neutiquam tales adfuiſſe, conſtiterit. Neque ſemper ad intenſiorem calorem excitandum requiri materiam peccantem, cui accendendo animi quoque pathemata, & plura alia, forent paria, augeri calorem pro modo & quantitate motorum, eumque calorem per varios morCap. 7. bos ope thermometri notavit. A moto hoc & calido ſanguine, vaſa perfluente, omnes partes nutriri, & a ſucco ac fonte ſanguinis depromto totum corpus fieri docet, eumque ſem8. per replere vaſa, ſive arterias, ſive venas, reſpexeris, non eundem tamen omnibus numeris eſſe ſanguinem, ſed venoſum ab arterioſo multum diſcrepare, ut effectibus, ratione, & ſpontanea ſanguinis ſeparatione in partes, facile animadvertitur. Eo fuſius argumentum hoc Noſter perſequitur, quo negligentius 9. huc uſque a plerisque fuit pertractatum. Quando ſponte ſeparatur, & in partes ſecedit, ſanguis, in cruorem & ſerum diſſolvitur. Hominis ſani & adulti cruor ſe habet ad ſerum, ut $\frac{1}{3}$ ad $\frac{2}{3}$, id eſt, binæ partes ſunt ſeri, una cruoris. Fibroſa ſanguinis ſubſtantia, quam nonnulli commenti ſunt, in vaſis hominis ſani & vivi non reperitur. Poſt mortem quoque, vel in ipſo mortis articulo, ſæpiſſime generantur polypi, &, ſi qui polypi in mortuis inveniantur, quos in vivis adfuiſſe, ob ſymptomatum concurſum credimus, inſunt ii plerumque in ventriculo cordis dextro, & ex ſanguine, placido curſu ex venis re10. cepto, fere ſtagnante, generantur. Quod ad indolem ſanguinis proprie attinet, totam maſſam ſanguineam in corpore vivo aſſerit eſſe ſubſtantiam globuloſam, globulos autem eos diverſæ eſſe magnitudinis ac denſitatis, ut hinc recte in varios ordines diſpeſcantur. Totus autem ſanguis temporis progreſſu abit in ſerum, modo experimentum non hieme in aere aperto inſtituatur. Atque hos ſanguinis & ſeri globulos, eorumque quantitatem, experimentis ob oculos ponere conſtituit, ac dein, humores ac liquida cruore longe ſubtiliora in corpore adeſſe, ex vaſis minori-

Digitized by Google

minoribus, cruorique, aut ſero, recipiendo ineptis, probat, ut ex his vaſis incredibilis horum fluidorum tenuitas eſſe videatur. Cruorem denſitate ſerum antecellit, utriusque autem ſpecifica gravitas difficulter determinatur, ob diverſitatem ætatis, ſexus, & conſtitutionis. Maxima tamen eſt denſitas in primo globulorum ordine, minor in ſecundo, atque ſic amplius. Poſthæc Cl. Autor ex quantitate elaſtici cruoris, motu auctо, & calore, diverſos effectus naturali in ſanguine, cruore, & ſero, percenſet, habita ubique ætatis, corporum, ſexus, reliquorumque neceſſariorum, ratione. Quanquam autem poſt dubitationes quasdam e medio ſublatas examen ſanguinis chemicum proponit, quo aquam, oleum amarum, colore aureum, ſal volatile, oleum nigrum fœtidiſſimum, carbonem denique in fundo relictum, in quo nihil ineſt ſalis, excepto ſale marino, qui in ſanguine illorum, qui iſtiusmodi ſale utuntur, deprehendi ſolet, provocavit, quorum pondus propterea non addidit, quod aliquo modo variet, bene tamen monet, per ejusmodi analyſin chemicam naturalem ſanguinis indolem non erui. Progreditur hinc ad notas characteriſticas, in ſanguine, e vena miſſo, poſt circulum & calorem auctum obſervandas, dataque hac occaſione de cruſta illa coriacea inflammatoria diſputat, quam neque ſerum, neque cruorem, indolis tamen utriusque hujus humoris aliquantum participem, & intermedium quoddam, eſſe contendit. Quoniam porro auctus in corpore calor, vel igne ad certum gradum extra corpus productus, non mediocriter naturalem ſanguinis conditionem & cruorem, ſerumque, mutat, nec has mutationes prætermittendas putat. Neque minus, qua ratione motus imminutus rubrum illum mutet humorem, vaſa corporis replentem, aut cruorem & ſerum ſeparatum, & quæ ſigna, in craſſamento atque ſero apparentia, id indicent, explanat, & in alias quoque notas, in ſanguine ſerove contra naturam obvias, inquirit. Finem denique imponunt experimenta quorundam medicamentorum, ſanguini, aut cruori, vel ſero, affuſorum, & ea quidem non nova omnia, & ab Autore primum profecta, nihilo tamen ſecius lectu gratiſſima, quod hic conjunctim, prout ex variis ſcriptoribus fuerunt collecta, exponantur,

Cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

tur, & mirifica varietate oblectent. Ex quibus nos quidem in præsentia notamus, Autorem, repetitis experimentis, cognoviſſe, nullum ex notis medicamentis tam pulchrum floridumque colorem conciliaſſe, quam ſalviæ ex aqua infuſionem, ſanguini calenti adjectam. Quæ ad calcem acceſſit obſervatio anatomica, de ligamento, caput femoris acetabulo connectente, interno, egregie hujus ligamenti notitiam illuſtrat. Sæpe miratus eſt Noſter, quomodo ligamentum ſic dictum teres e fundo ſinus acetabuli duplici, vel triplici, principio ad nonnullorum ſententiam oriretur, & in ſinum globoſum capitis inſereretur, omnem, qui fit in enarthroſi, motum ſine dolore, aut manifeſta læſione, ſubire poſſet, cum, caput femoris in ipſo acetabulo ligamentum illud ſatis craſſum preſſurum eſſe, in rotatili illo, vel alio quovis, motu fere videatur probabile. Magna proinde cura ſtructuram hujus articuli perquiſivit, &, qualem invenit, hic diligenter enarravit. Sigillatim ligamentum illud, quod perperam teres vocatur, ex Noſtri obſervatione, propriis ipſius verbis huc referenda, neutiquam ex ſinu cotylæ naſcitur, ſed tendinoſum ex multis fibris in parte inferna & anteriori oræ externæ, qua oſſea acetabuli ſubſtantia producta, augetur juxta foramen ovale, & ſitum obturatoris muſculi externum vicinum. Dein fibræ colliguntur, ac robuſtiſſima alba & nitente facie ſupra ſinuoſam partem iſchii margini externo oſſeo firmiter cohæret, infra cartilaginem, vel cartilaginoſum ligamentum, oras oris connectens, & cavum acetabuli augens, quaſi ſupra trochleam tenſum, atque illic loci per ſinum cotylæ inſculptum, quaſi gremio fotum, cavum intrat, dein adſcendens ad interiora, in capitis femoris oblique poſiti ſinum inſeritur, quem externe totum replet, ab interna vero parte minime. Parvus eſt hic ſinus, ſed profundus, inæqualis, & ſub medio globoſi capitis ſitus, ita, ut a parte ſuperiori fere $\frac{2}{3}$, & inferiori $\frac{1}{3}$, globoſi capitis diſtantia a margine abſit. Quæcunque hic ſtrictim attigimus, ea facile Lectores ad ipſum libellum curioſius pervolvendum invitabunt, cujus conſilii, non fore, ut ipſos pœniteat, merito ſperamus.

HER-

Digitized by Google

HERMANNI BOERHAAVE PRÆLECTIONES Academicæ in proprias inſtitutiones rei medicæ. Edidit, & notas addidit, ALBERTUS HALLER. Tomus quintus. Pars prima, reſpiratio, loquela, ſemen maſculinum; Pars ſecunda, menſtrua, conceptus.

Gottingæ, apud Abrahamum Vandenhœck, 1744, 8. Pars I Alph. 1 plag. 6, Pars II Alph. 1 plag. 13.

Pergit Cel. *Hallerus* in edendis *Prælectionibus Bærhaavianis*, & non ſolum præceptoris eruditionem, ſed etiam inſignem ſuam peritiam in detegendis obſervationibus anatomicis, & enodandis veritatibus phyſiologicis, nobis declarat. In hoc *quinto Tomo* omnia, quæ Phyſiologiam ſpectant, abſolvit, & ob rerum dicendarum copiam eundem in *duas Partes* diſtribuit. Nos vero, ut ideam operis exhibeamus, excerpta quædam ſelecta ipſis Autoris verbis expreſſa cum Lectoribus noſtris communicamus. *Pag. 1* reſpirationem dicit aeris communis per aſperam arteriam in vaſa aerea pulmonis adductionem, & ex iisdem ejusdem aeris alternam expulſionem. Quatuor in hac actione periodos diſtinguit. Prima eſt aeris derivatio in vaſa pulmonis aerea; ſecunda aeris in his vaſis retentio; tertia aeris adducti & retenti expulſio; quarta ſecunda quies pulmonis poſt exſpirationem. *Pag. 11* duplex cauſa eſt, quare pulmo dilatetur. Prima eſt aeris in aſperam arteriam & pulmones nixus, major renixu, quem opponit aer externus, pulmoni circumpoſitus. Altera cauſa eſt vacuum *Boyleanum*, factum inter pulmonem & parietes pectoris, dum aditus intra vaſa pulmonis aerea aeri externo liber ſupereſt. *Pag. 20* cavitas pectoris in viro ſanoque homine nulla eſt, uti neque cavitas pericardii aliqua in rerum natura datur. Nam aer, irruens in dilatabilem pulmonem, eum adeo pleuræ applicat undique, ut inter ſuperficiem pulmonis externam & internam faciem pleuræ nullum omnino ſpatium ſit, neque aere plenum, neque inane. *Pag. 47 Hoockii* pulcherrimum certe experimentum eſt, & ad veram reſpirationis indolem perſpiciendam maxime ido-

neum. Canem vivum reſupinum menſæ alligavit, thoracis utrumque latus aperuit unico ſcalpelli ictu, coſtas abſcidit forfice acutiſſima, ita pulmones concidebant, & animal mortuum videbatur. Quando nunc de vita videbatur actum eſſe, tunc aperiebat juguli tegumenta, tubum inſerebat in aſperam arteriam, per hunc follem, hunc inflando expandebat pulmonem, reviviſcebat animal; pergebat inflare, ut pulmo ſemper æqualiter diſtentus maneret, animal denuo mori videbatur; penitus fere mortuo, folle diducto, ſinebat collabi pulmonem, continuo canis reviviſcebat, aperiebat oculos, muſculos varios movebat, & ſanguis, per pulmones tranſiens, novos in corde ciebat pulſus. Quando pulmones collapſos relinquebat denuo animal, moriebatur, & perinde exſpirabat, quando continuo urgebat inflando. Tunc autem diſtendebat quidem pulmonem perpetuis & celerrimis follis ſuccuſſionibus, ſed aciculis vulnerabat pulmonem, ut in bronchia uſque vulneraret, & aer per ea ſpiracula egredi poſſet; continuo canem videbant ad vitam redire. Atque ita duodecies animal & mori coegit, & alternatim vitæ reddidit. Ex hoc experimento manifeſtiſſimum eſt, actionem pulmonis totam eſſe in mutatione magnitudinis atque figura vaſorum aereorum, qua alterne aucta & imminuta, liber ſanguini per pulmones tranſitus concediur, nullus futurus, ſi perpetuo idem ſtatus aerei pulmonis conſtaret. *Pag. 61* coſta vile aliquod corpuſculum videtur; ſed accede propius, videbis, inter duodecim coſtas ne unicam quidem reperiri, quæ fabrica, directione, magnitudine, connexione ſegmentorum cartilagineorum mutua, & articulatione ad ſternum vertebrasque, ſuæ vicinæ perfecte ſimilis ſit. Fabricam coſtarum & nexum cum ſterno & vertebris a *pag. 72* ad *82* accurate deſcribit Cel. *Hallerus*; poſtea uſque ad *pag. 91* in motum muſculorum intercoſtalium inquirit. *Pag. 116* motum alternum thoracis ex ſententiis variorum Autorum diſquirit, & *pag. 120* cauſam phænomeni ſequentem exhibet. Certum eſt, & poſt exſpirationem, & poſt inſpirationem, ſanguinem difficilius per pulmonem circumagi, hinc moleſtiam oriri, ſed omnes muſculi, qui cum dolore aliquo agunt, ex inſuperabili neceſſitate inſtinctus cito

quieſcunt

Digitized by Google

quieſcunt. In pleuriticis dictum eſt ſolo diaphragmate reſpirari, in inflammationibus ſepti hepatisve ſolo thorace. Ergo videtur alterna hæc neceſſitas unice fieri a relaxatis vi conſenſus animæ cum corpore muſculis ſepti transverſi & intercoſtalibus, quamprimum ex dilatato aliquandiu pectore minimum incommodum ſequitur. *Pag. 181* ad vocem producendam nervos recurrentes integros eſſe, & peculiarem quandam tenſionem in organis vocalibus efficere, oportet. His enim in canibus & porcis ligatis, tota vox perit, etſi eosdem motus muſculorum ederent, quos prius. *Ammannus* monebat, ſonum ope nervorum ita animari, ut totus alius fiat; potes enim in vicini aurem inſuſurrare voces articulatas, quas amicus audiat, vicinorum nemo, ſed idem potes etiam canere alta voce, quæ eminus percipiatur; ergo ajebat, hanc altam canoramque vocem fieri a quodam ſpirituum, ex communi ſenſorio advenientium, peculiari influxu in omnia totius corporis organa; canenti enim viderat omnia totius corporis oſſa contremiſcere. Quo facto, *pag. 182 ſeq. Hallerus* hiſtoriam nervorum laryngis tradit. *Pag. 198*, dudum ex conſenſu veterum notum eſſe, docet, vocem humanam vel gracilem eſſe, qualis flentis pueri, aut querulæ puellæ, vel gravem & maſculam. Sed plerique homines bene nati in poteſtate ſua habent, vocem ad minimum per ſesquioctavam mutare per gradus ſucceſſivos, dum a graviſſima, quam quisque edere poteſt ex imo pectore, ad graciliſſimum & puerilem ſonum adſcendunt. *Pag. 212* de voce & formatione literarum agitur ex inventis *Ammanni* & aliorum. *Pag. 279* arteria ſpermatica cum vena, quam in communi vagina ſociam habet, veris confunditur anaſtomoſibus. Viderant veteres, recentiores vero poſt circulationem ſanguinis inventam exploſerunt, ſed *Leal Lealis* priorum ſententiam renovavit, cum vidiſſet, in ariete, animale ſalaci, maximis teſtibus prædito, vivente, ad oculum ſanguinem ex arteriis ſpermaticis per laterales propagines in comites venas verum rubrum ſanguinem in medio itinere transmittere. Hanc obſervationem *Ravio* olim narravit *Bærhaavius*, oravit, ut experiretur. Deriſit ille *Lealem*, maturata tamen ſententia, poſt propria experimenta, faſſus eſt, eadem ſibi

visa esse. *Hallerus* quidem simile quid vidit, nempe ceram per arteriam hypogastricam repletam rediisse per venam seminalem. Sed id tribuit absolute viæ circulationis; & eadem ratione credit idem aliis eveniſſe, ut per ramos laterales arteriæ vena seminalis ceram acceperit, quod neque in mesenterio rarum est. Nam, si ex magnis truncis arteriæ magnæ anastomoses in venas paterent, facile demonstratur ob minorem resistentiam, cito desertum iri arteriam, venamque solam sanguinem accepturam. *Pag. 300* mira res est. Quo propior testi est arteria seminalis, quo remotior adeo ab aorta, eo eadem major est. Et pariter, quo venæ seminales a cava vena & emulgente remotiores, eo eædem ampliores fiunt, contrario modo, quam in omnibus aliis partibus corporis humani. *Pag. 372* videtur vermiculus, futurus homuncio, caput & spinam dorsi invisibilem repræsentare, eundem per tubam injectum, in ovum maturum, in ovario hærens, sed tuba amplexatum subire umbilicalia vasa, quæ forte in vermiculo & succum ex semine hauserant alibilem, & inutilem excreverant, adhærere similibus vasculis ovi, in cavitate fluitantibus, sic frenatum ad ovi parietes fœtum quietiorem reddi, ali ex ovi membranis, & forte ex liquore ejus gelatinoso, per os accepto, excrescere, cum ovo ad uterum devolvi. Ibi ovum exteriori vasculosa facie uteri villosæ carni adhæret; sic placenta nascitur, tuncque porro vermiculus ab ipso utero per ovum & umbilicum alitur. *Pag. 444* miles erat, cui vis ignis tormentarii amputaverat utrumque testem. Convaluit tamen, sed ita, ut jam pæne fœmina esset, corpore nempe, non animo. Manserat in viro musculorum robur omnium, nihil deerat eorum, quæ ad virilem naturam requiruntur, solis exceptis testibus, & tamen vox mutabatur, & barba cadebat. Inde discitur, mutationes illas, quæ contingunt pubescentibus, non ideo fieri, quod homo eam ætatem quatuordecim annorum ingrediatur, neque a mutata fabrica corporis; unicamque causam esse, quod semen nunc confectum adsit. In *Parte altera* ad menstrua progreditur. *Pag. 30* uteri fibræ in integro & sanguine distento utero nullæ apparent; tunc enim mera vasa videntur. Quando vero a partu sanguine spoliatus pallet,

pallet, tunc innumerabiles apparent; inde ſequitur, aut totum uterum nil eſſe niſi fibras, aut omnino nullas adeſſe. Quid ergo? Nonne *Ruyſchius* muſculum vidit? Adſunt utique, ſed fibræ non ſunt; quid ergo? meræ lacunæ fungoſæ, ſanguine plenæ, quamdiu uterus diſtenditur, tortuoſum autem vas, aut accumulatio vaſorum ſimilium, fibram refert muſcularem. *Pag. 92 Sanctorius* obſervavit, viros perinde ac fœminas menſes pati, non tamen ſanguineos. Sed, in viris omni menſe naſci ad ponderis ſtateram augmentum, & ad ſenſum minui perſpirationem, corpus languere per duos & tres dies, & appetitum torpere, ut plethoram enatam inedia homo cogatur auferre. Tandem ſudorem copioſum prodire, aut craſſam & multam urinam, atque ita morbum ſolvi, donec cum proximo menſe novus redeat paroxyſmus. *Pag. 151* fœmella cuniculi ad marem admiſſa fere certo concipit, ut raro omnino fallat, & quatuor quidem, vel quinque, fœtus ex uno coitu ſuſcipit. Quot fœtus concepit, tot poſt coitum bullæ in ovario eminent, quod certum eſt ex plurimorum experimentorum conſenſu. *Pag. 173 Harvæus* tubas rigidis ſuis finibus ad ovaria admotas vidit, & humanum uterum, in quo fimbriæ tubarum cum ovario concreverant; ergo non repugnat naturæ, recipi per tubam ovum, & ad uterum deſcendere. *Pag. 222* ovum majus & globoſius fit, & incipit mole ſua uteri capacitatem replere. Videtur autem tam diu liberum manere, donec adeo magnum fit, ut convexitate ſua uteri concavitatem attingat, tunc autem cum eo concreſcere. *Pag. 258* inter mille, quos viderat *Bærhaavius*, abortus, vix centum fuerunt exempla, in quibus non eo tempore contigerit illa calamitas, quando menſes tertia vice recurrere oportuerat; tertio nempe menſe geſtationis ſolent fœminæ percipere fluentem per vaginam ſanguinem, quaſi menſes decederent, tunc continuo, ſi rerum ſuarum peritæ fuerint, abortum exſpectant imminentem. In hoc malo plethora uteri, quam non potuit conſumere incrementum fœtus, tenelli hactenus, urget chorii ſuperficiem applicatam utero, & dimovet & effluit. *Pag. 296* canales omnes, qui recta ab origine ſua procedunt, faciunt, ut illæ liquidi ſui particulæ recta progre-

progrediantur, quæ motus ſui tenaciores ſunt. Si ſclopetum oneraveris fragmentis plumbi, quod metallorum poſt aurum ponderoſiſſimum eſt, tum cupri, ferri, lignique, & exploſeris ſclopetum in loco ita diſpoſito, ut locus obſervari queat, in quem globuli delapſi ſunt, invenietur, plumbeos globulos longiſſime progreſſos fuiſſe, ligneos autem ſclopeto jacere proximos. Ita ſanguis, qui per aortam deſcendit, incurrit in arterias iliacas, invenit laterales & retrogradas arterias umbilicales, eas ergo ſubit ea pars ſanguinis, quæ ex legibus hydraulicis motui ſuo continuando ineptiſſima eſt. *Pag. 339* incredibilis vis humorum eſt, quæ per uterum fertur; verum motus eorum humorum lentus eſt, & videntur calore, qualis incubationis eſt, foveri & mutari. Uterus mulieris, neque gravidæ, neque menſtruatæ, figura turbinata eſt, & cavitatis figura obtuſe conica. In eo ſtatu uterus non multum diſtat a vaginæ initio, ſive a pudendis externis. Quando vero mulier utero concepit, adſcendit continuo uterus, & removetur a pudendi externo orificio; hoc primum ſignum eſt facti conceptus. *Pag. 435* non bene fœminæ pueris proſpiciunt, quando lac, quo puer alitur, ad ignem prius excoquunt, fere per horam, donec imaginariam, quam accuſant, cruditatem deponat. Depravatur enim coquendo, amiſſa parte fluidiore, ſalubriori, multoque ſalubrius foret, ſi absque ullo igne unice cum panis mica parvulis propinaretur.

Beſchreibung des im Anfang des Jahrs 1744 erſchienenen Cometen.

id eſt,

DESCRIPTIO COMETÆ, QUI SUB INITIUM anni 1744 apparuit, meditationibus quibusdam illuſtrata; Autore GODOFREDO HEINSIO, Acad. Scient. Imp. Membro & Prof. Aſtronom.

Petropoli, e typographia Academiæ Imp. Scientiarum, 1744, 4. Plag. 13, Tabb. æn. 4.

Qui

Qui ſub initium anni proxime elapſi fulſit Cometes, vel eorum, qui maxime a rerum cœleſtium contemplatione abſunt, claritate & magnitudine ſua in ſe convertit oculos, effecitque, ut de horum corporum natura & affectionibus frequentiores vel inter indoctos fererentur ſermones. Cum vero duo ſint, quæ de corporibus cœleſtibus ſolent quæri, alterum orbita, qua circa ſolem feruntur, alterum natura, duratio, omniumque, quæ illis accidere videmus, cauſæ; utrumque quidem poſt immortalis *Neutoni* inventa in Cometis etiam ab Aſtronomis non omnino infeliciter tentatur, ſed prius, præter accuratiſſimas obſervationes, tædioſum calculum, aut operoſiſſimas figurarum deſcriptiones, poſtulat, quod vero ſecundo loco commemoravimus, paucioribus experientiis, maxime quæ per tubos haberi poſſunt, ratiociniisque, ex Phyſica petitis, nititur, & a pluribus intelligi poteſt. Poſtremum hunc laborem potiſſimum in præſenti ſcripto in ſe ſuſcepit Cel. Autor, jam apud nos dignissimus Mathematum Profeſſor, priorem non omnino quidem negligens, maxima tamen ex parte aliis, quibus accuratiſſimas obſervationes inſtituere datum fuit, relinquens. Ex libro, qui digniſſima ſcitu Phyſicorum de Cometis theoremata ſolide, perſpicue, doctеque, explicat, commemorabimus, quæ ſcopo noſtro ſuffectura videntur.

Confluxerunt in Cometa noſtro, quæ raro ſolent in eodem Cometa conjungi, mireque ad Aſtronomiam hanc ulterius perficiendam conſpirant. Acceſſit enim ad nos eo anni tempore, quo in hemiſphærio terræ boreali propter noctes longiores commode ſatis ſpectari potuit, deinde tempore, quo apparuit, in ea parte orbis ſui terra collocata erat, ex qua optime orbitam Cometæ motumque definire potuimus. Ex quo enim apparuit, ſimul tum Terræ, tum Soli, propior factus eſt, adeoque inſignia magnitudinis viſæ claritatisque augmenta accepit, ita, ut teleſcopiorum ope interdiu tranſitus ejus per meridianum ſpectari potuerit. In contemplando vero Cometa uſus eſt Cel. Autor egregio teleſcopio *Gregoriano*, quod, ab inſigni artifice Londinenſi *Short* confectum, longitudine circiter 4 pedes continet, foco ſpeculi concavi majoris digitorum Anglicorum

eorum 37 exiſtentes. Pro variis, quæ inter ſpecula minora & vitra ocularia fieri poſſunt, combinationibus, effici poteſt, ut objecti diametrum 110, 180, 230, 380, vicibus augeat. Sed augmento, quod 110 vicibus contingit, contentus fuit Cl. Autor, tum ut plura uno intuitu conſpici poſſint, tum ne Cometæ lux, ſatis jam debilis, nimis diſſipata, minus diſtinctam viſionem efficeret. Hujus inſtrumenti ope cumprimis caput Cometæ ſpectatum, pluribusque oſtenſum eſt, et obſervatæ ſunt variæ in atmosphæra ejus mutationes, quæ doctrinæ de origine caudæ multum lucis affundunt. Eas deſignari curavit, operique adjecit, ex quibus duas elegimus, cum Lectoribus noſtris communicandas; tum ſequemur obſervationes Cl. Autoris, hoc præmonito, ſtilum veterem in diebus deſignandis intelligi.

Primum viſus eſt Cometes veſpere 5 Jan. inter ſtellas Pegaſi, cœlo poſt longum nubilum tempus rurſus ſereneſcente. Caput Cometæ, tubo conſideratum, nucleum lucidum exhibuit, pallidis vaporibus veluti involutum, quas *atmosphæram Cometæ*, ut nucleum *corpus Cometæ*, appellat. Corporis diameter $\frac{2}{3}$ diametri Saturni annulo orbi æſtimata eſt, & atmosphæræ ſemidiameter a centro corporis ad concavitatem atmosphæræ 6 diametrorum Cometæ. Lux atmosphæræ ſatis quidem fortis prope corpus, licet corporis luce debilior, & recedendo a corpore magis magisque decreſcens, ut ſenſim evaneſceret. Omittimus intermedias obſervationes usque ad illam
TAB. III 25 Januar. Tunc tubus corpus Cometæ non circulare, ſed
Fig. 1. ovale oſtendit, ita, ut axis major, quæ fere $\frac{3}{4}$ diametri diſci Saturni continere judicabatur, hora 7 horizontis reſpectu verticalem fere ſitum obtinuerit. Corporis lux non uniformis fuit, ſed verſus ſuperiora fortior, quam verſus inferiora. Satis etiam bene terminabatur margo ſuperior, male contra inferior. Circa hanc inferiorem marginem inſigniter ſplendebat atmoſphæra, & verſus inferiora divaricabat ad diſtantiam diametro corporis æqualem, ſimilitudinem exhibens barbæ lucidæ, corpus infra adornantis. Reliquum atmosphæræ debilius hac barba ſplendebat, fortius tamen adhuc infra, quam ſupra, corpus. Die 31 Januarii corpus ovale comparuit, lumine

fere

fere Saturnum æquans, diameter, margo, ut ante. Barba, quam *Vaporem* posthac nominabimus, aliam faciem erat adepta. Divergebat enim margine inferiore corporis, quæ Soli erat obversa, atque ad distantiam duarum diametrorum majorum corporis, post ad utramque corporis partem in curva, versus regionem caudæ adscendens, altius tamen in plaga orientali, quam occidentali. Intensior erat lux prope marginem corporis, quam ad utrumque latus, ubi adscendebat, hic autem intensior, quam in curvatura inferiore. In superiore margine corporis similis barba lucida apparuit, ad orientem inclinans, & versus superiora divaricans. Reliquæ atmosphæræ lux debilior multo utraque barba. Inferior atmosphæræ pars curva erat, versus superiora latior. Superior barba evanuerat d. 2 Febr. Quarta die ejusdem mensis magna mutatio in vaporibus, modo dictis, cometicis contigerat. Cum enim antea inferiori corporis margini saltem adhæsissent; jam dimidium fere corporis circumdabant, ut obnubilaretur corpus quasi novo vapore, qui, a margine corporis computando, tertiam diametri majoris corporis partem latus erat, neque lucis intensitate corpori multum cedebat. Hunc vaporem circumdabat alia adhuc, lucis paulo debilioris, ab inferiore corporis margine ad duas cum dimidio diametros majores Cometæ se extendens, & utrinque in curva linea se attollens versus caudam duabus quasi columnis, quarum occidentalior, exiguam altitudinem attingens, in acumen desinebat, orientalis, multo magis adscendens, divaricabat in summitate, ac insigne intensitatis lucis decrementum patiebatur. Die 8 Febr. corpus fere ad summitatem usque vapore illo lucido circumdabatur, usque ad distantiam $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{2}$ diametri majoris corporis, a margine, eumque continebat alius vapor minus fulgidus, nec satis accuratis limitibus circumscriptus, alioque adhuc vapore incluſus, qui ad utramque corporis partem parabolæ ad modum adscendebat, duas columnas vaporum formans. Harum columnarum, ut ipsius vaporis, lux non penitus albida videbatur, ut ante, sed subfusco colore mixta, quam ab atmosphæræ terrestris conditionibus ortam, ea de causa

non eſt veriſimile, quod Cometes, ante in eadem altitudine obſervatus, ſimile quid non oſtenderit. Columnæ illæ altiores erant, quam ante, propiusque ad ſe in ſummitatibus accedentes. Nona Februarii die obſervatio facta eſt, qua arcus viſionis Cometæ definiri poteſt. Viſus eſt enim Cometes ab aliquo, inſigni viſus acumine prædito, $5^h\ 6'$, cum Sol circiter $4^h\ 41'$ occubuiſſet. Unde arcus viſionis $2^\circ\ \frac{3}{4}$ deducitur. Phænomena colorum, ante indicata, majori adhuc claritate et magnitudine, coloreque ſubfuſco fortiori, adhuc oculos feriebant.

TAB. III Fig. 2. Hæc ex obſervatis Cl. Autoris excerpſiſſe ſufficiat, in quibus ſe ipſum profitetur minus ad ἀκρίβειαν aſtronomicam, quam ad circumſtantias phyſicas, attendiſſe. Subjungit barometricas thermometricasque annotationes, durantibus Decembri, Januario, Februario, a Cel. *Kraftio* ex obſervatis in Academia communicatas, non quod his connexionis multum cum Cometa intercedere exiſtimet, ſed quod notatu dignum credat, per totum apparitionis Cometæ tempus inſolitam barometri utplurimum fuiſſe altitudinem, prætereaque non ingratum eſſe poſſit lectoribus, aeris atmosphærici pondus, inſignesque, quibus in borealibus regionibus magis, quam in auſtralibus, ſubjacet, mutationes, breviter ante oculos poſitas habere.

Jam propriis meditationibus Cl. Autor obſervata illuſtraturus, quid orbita Cometæ ſit, primo explicat, deinde monet, hujus Cometæ orbitam conſtructione aliqua geometrica quam proxime ſe determinaſſe, quæ etiam ſatis bene cum obſervationibus ſequentibus conſpiravit. Orbita, & quæ inde ſequuntur, ſatis, quantum ſcopo ipſius ſufficit, conſideratis, ad figuram magnitudinemque phænomeni progreditur. Ovalem formam, fatetur, ſe initio pro phaſi corporis, a Sole illuminati, habuiſſe, ſed aliam ſententiam ſuaſit conſtantia hujus formæ in variis Cometæ reſpectu Solis Terræque ſitibus, diameter maxima, verſus Solem vergens, & defectus phaſeos biſſectæ, aut falcatæ, etiamſi propinquius ſemper ad Solem accedebat. Conſtans igitur videtur, præditum fuiſſe Cometem figura ovali, unde ex analogia cum Iove et Tellure colligi poſſet, eſſe eidem motum circa axem ſui, ut major diameter ſit diameter Æquatoris.

Quod

Digitized by Google

Quod veram magnitudinem corporis attinet, ea ex apparente deduci debet. Judicabatur vero diameter apparens major Cometæ in perigeo quam proxime $\frac{4}{5}$ disci Saturni, qui cum circiter 30 secunda contineat, huic 24 debentur. Distantia vero Cometæ a nobis eo tempore erat circiter $\frac{3}{4}$ distantiæ Solis. Unde diameter Telluris vera ad majorem Cometæ diametrum erit in ratione 5 : 4, cum Terræ diameter ex Sole spectata arcum 20 secundorum subtensura sit. Igitur, posita Terræ diametro 1720 mill. Germ. erit major Cometæ diameter 1376, & minor 917, quæ ad priorem est in ratione 2 : 3. Atmosphæræ altitudo iisdem ex datis definiri potest. Ponatur enim, 4 Febr. 6 diametros Cometæ continuisse, & prodibunt 8256 mill. Germ., pro altitudine, atque plus quam 17000 pro crassitie, secundum directionem minoris diametri. Cauda vero, quæ 28 Jan. 28 graduum fuit, longitudinem 5000000 mill. Germ. effecit, quæ, quantumvis magna videatur, minor tamen adhuc vero esse poterit. Nam, cum cauda die 24 Jan. gradus 26 longa fuerit, Cometesque eo tempore magis adhuc a Tellure remotus, vera caudæ longitudo plus quam 7000000 mill. efficit.

Devehimur jam cum Celeb. Autore ad objectionem aliquam contra theoriam cometicam *Neutonianam*, quæ ab aliquibus pro invicto argumento, falsitatem ejus theoriæ demonstrante, habita est, defectum scilicet phasium in Cometa, quæ necessario orituræ videntur, si talis esset Cometæ circa Solem via, qualis a *Neutono* describitur. Sed ea objectio facile & ad oculum quasi refutari potest, considerando corpus cometicum vaporibus involutum, quod reflexione refractioneque radiorum totum illuminatum videri potest, cum re vera pars ejus saltem Solis radiis illustretur. Longiorem Cel. Autoris explicationem cum figura, brevitas hic addi non permittit.

Quæ de mutationibus, in cauda observatis, habet, huc redeunt. Aliæ ex theoria Cometæ consequuntur, & *theoreticæ* ab eo nuncupantur; aliis cum theoria Cometæ nullum intercedit vinculum, & has *externas* appellat. Huc referuntur crepusculi lux intensior, lunæ splendor, auroræ boreales, aer non satis serenus, Cometa prope horizontem existens, quæ

omnia breviorem caudam, quam alias apparitura erat, exhibent. Sed obſervator, acutiore viſu præditus, longiorem caudam aliis videt, imo idem obſervator de exacto caudæ termino dubius eſt, cum ſenſim ſe in æthereis regionibus perdat. Hæc ſimul in cenſum veniunt, quando theoria caudæ *Neutoniana* ad obſervationes examinanda eſt, reperiunturque in præſente Cometa quædam, quæ primo intuitu parum theoriæ favere videntur. Nam cauda die 28 Jan. 20 gr. longa, deinde fere ſemper decrevit, ut 9 Febr. ſaltem 11 gr. occupaverit; at ex theoria creſcere debebat ob Cometam continuo propius ad Solem accedentem; neque videtur ea diminutio omnis in circumſtantias externas, Lunæ v. g. ſplendorem, rejici poſſe, cum cauda ob propinquitatem Solis ſimiliter inſigni ſplendore fulſerit. Hæc eo deducunt Cel. Autorem, ut, ſupereſſe quædam adhuc, doceat, nondum ſatis huc uſque conſiderata, quæ poſſint longitudinem caudæ inſigniter immutare. Huc ſpectat diſſipatio vaporum prope finem caudæ, quæ tanta eſſe poteſt, ut vapores, nimium a ſe diſtantes, oculos noſtros non amplius ferire poſſint. Præterea æther, qui cœleſtibus regionibus ineſt, licet tam tenuis, ut denſis corporum mundanorum maſſis plane non reſiſtere videatur, poteſt tamen reſiſtere vaporibus adſcendentibus, aerique cometico, idque eo magis, quo velocius Cometa, ad Solem accedens, movetur, denique in vicinia Solis vapor gravitans verſus Solem velut novus planeta alia via circa Solem movetur, quam ea eſt, quam Cometa deſcribit.

De Atmosphæra cometica quæri poteſt, unde vapores ejus oriantur, quo pacto ad tantam altitudinem adſcendere, ibique veluti natare, poſſint, & quomodo cauda ex iis oriatur. Quod ad primam quæſtionem attinet, cuivis facile in mentem veniet, vapores ex corpore Cometæ effluere, neque tamen impoſſibile omnino judicari debet, eosdem ex æthere, in quo Cometa verſatur, in atmosphæram tranſire poſſe, quod *Mairanus* in libro ſuo de Aurora boreali ſatis probabilibus argumentis confirmat. Attamen in præſenti Cometa nihil eſt obſervatum, quod ſententiam hanc confirmet. Nam eo tempore, quo miræ in atmosphæra viciſſitudines obſervabantur, a die ſcilicet

25 Jan.

25 Jan. uſque ad 9 Febr. multum remotus erat Cometa a lumine zodiacali, quod pro atmosphæra ſolari habetur, licet poſtea non negandum, eum huic atmosphæræ immerſum fuiſſe. Quo igitur ſententia, vapores ex corpore Cometæ adſcendiſſe, magis adhuc confirmetur, aliquid etiam monendum eſt circa alteram quæſtionem, modusque explicandus, quo adſcendere ſuſtinerique poſſunt vapores. Hic vero convenit, eam de adſcenſu vaporum in genere ſententiam amplecti, quam etſi hic omnino explicari locus non permittat, tamen hypotheſeos veriſimillimæ loco aſſumere licet, vapores adſcendentes particulas eſſe corporis, in aere ſolutas, eademque ex cauſa in atmosphæra adſcendere & ſuſtineri, ex qua metalla in menſtruis ſpecifice levioribus diſſolvuntur. Notum eſt, chymicas ſolutiones ex cohæſionum viribus poſſe ac ſolere explicari, cum ſoluti corporis particula valde exigua minus ponderis habeat, quam quod vi cohæſionis menſtrui ſuperandæ ſufficiat. Itaque hac occaſione varia, quæ ſolutiones, earumque ſpeciem, evaporationem, tangunt, dilucide eleganterque Cel. Autor explicat. Sit globuli alicujus, v. g. aurei, pondus abſolutum $= P$ pondus in menſtruo, puta in aqua regia, tanquam fluido ei decedens $= a$, erit pondus, quocum deorſum in menſtruo urgetur, ſeu *pondus relativum*, $= P - a$, adeoque, ſi ponatur globulus innatare menſtruo, ſitque vis cohæſionis menſtrui $= C$, erit ob æquilibrium $C = P - a$. Porro denſitates globuli & menſtrui ſint in ratione $D : d$, erit $P : a = D : d$ & $P - a : P = D - d : d$ & $P - a = \frac{D - d}{D} . P = C$. Porro ſit c vis cohæſionis aeris, ρ gravitas abſoluta globuli aquei, vim cohæſionis aeris æquilibrantis, & denſitas aquæ ad denſitatem aeris in ratione $\delta : \theta$, erit rurſus $c = \frac{\delta - \theta}{\delta} . \rho$. Ergo $C : c = \frac{D - d}{D} . P : \frac{\delta - \theta}{\delta} . \rho$. Jam ponatur uterque globulus, aureus & aqueus, ejusdem molis; erunt pondere abſoluta, ut denſitates, ſeu $P : \rho = D : \delta$. Ergo $C : c = D - d : \delta - \theta$. Si exempli

pli loco adhibeantur aurum, aqua regia, aqua, aer, erit $D = 19.640$, $d = 1.234$ $\delta = 1.000$ $\theta = 0.001$ $D - d = 18.406$ $\delta - \theta = 0.999$, ergo $C : c = 18.406 : 0.999$, aut fere $18 : 1$. Si denſitas menſtrui evaneſcat fere præ denſitate globuli ſuſtinendi, ponendo $d = 0 = \theta$, habetur $C : c = P : p$. Hoc locum habet, ſi ponatur menſtruum utroque caſu aer, globuli autem v. g. unus ex aqua, alius ex ſpiritu vini. Præterea duo diverſa aeris genera concipi poſſunt, ſola cohæſionis vi diverſa, ſic, ut aer A, vi cohæſionis c, ſuſtinere poſſit globulum aqueum diametri α, & aer B vi cohæſionis K, globulum aqueum diametri β. Unde vires cohæſionis erunt ut pondera abſoluta, hoc eſt, propter eandem materiam, ut globuli, hoc eſt, in triplicata diametrorum. Ergo $c : K = \alpha^3 : \beta^3$. Sit A aer imaginarius, idemque, quem ante conſideravimus, & B aer naturalis, qui ponatur aquæ globulum ſuſtinere diametri ſubquintuplæ ejus, quem ſuſtinet A, ut ſit $\alpha : \beta = 5 : 1$. Erit

$c : K = 125 : 1$. Erat vero ante

$C : c = 18 : 1$. Ergo

$C : K = 18 \times 125 : 1 = 2250 : 1$, ſeu vis C, quacum aqua regia globulum aureum ſuſtinet, 2250 vicibus fortior exiſtit vi K, quacum aer naturalis ſuſtinet globulum aqueum diametri ſubquintuplæ. Ex his patet, ad denſitatis diſcrimen, quod inter menſtruum & corpus ſolvendum intercedit, non eſſe reſpiciendum, eodemque modo, quo aqua regia aurum 16 vicibus gravius ſolvit, ſolvere poſſe corpus, 50, vel 100, vicibus gravius, ſi tale daretur, dummodo poſſit corpus in particulas ſat minutas diſcerpi, quarum pondus abſolutum cohæſionem menſtrui non ſuperet. Huic autem negotio calor multum conducit. Quodſi imminuatur vis cohæſionis menſtrui, dilutione puta, aut, ſi aer ejus loco ſit, rarefactione; patet ratio, cur ſoluta præcipitentur; præterea, ſi partes ſolutæ diverſas habeant magnitudines, & menſtrui loco materia fungatur, quæ ut aer magis magisque adſcendendo rareſcit, evidens eſt, craſſiores partes ad certam altitudinem ſubſtituras, levioribus altius ſe attollentibus. Hocque modo ipſe æther, cœleſtes regiones implens, vapores continere poteſt. Decet enim hunc ætherem ita concipere, ut

perinde

perinde ac aer noſter elaſticus ſit gravisque, ſed verſus Solem, ſaltem infinities rarior. Hæc ex ipſa aeris natura conſequi credit Cl. Autor. Poſito enim aere planetæ elaſtico, & prope eum ſpatio vacuo, illud elaſticitate aeris replebitur. Quare in eo loco atmosphæra planetæ in ætherem abibit, in quo major fit aeris verſus Solem, quam verſus Planetam, gravitas. Itaque, cœleſtem ætherem vapores ſolutos continere poſſe, non ſolum poſſibile, ſed facti etiam, eſſe videtur. Nam zodiacale lumen utique pro atmosphæra Solis viſibili habendum eſt, ſed, cum atmosphæra Solis, æther ſcilicet, verſus eum gravitans, ſine dubio totum ſyſtema ſolare expleat, neque tamen ejusmodi ſplendore oculos noſtros feriat, conſequens eſt, ut eo in loco, in quo zodiacale lumen comparet, vapores ſint, vel ipſi igniti, vel Solis lumen ad nos reflectentes. Omne enim corpus, aeri innatans, heterogeneum & ſubtile, vapor appellari poteſt. Sed, quæ de vaporibus his, modoque, quo caudam formant, fuſius deducit, nolumus omnia perſequi. Unum id addemus, rationem aſſignari, cur Planetæ, Mars præcipue, Tellus cum Luna, Venus, & Mercurius, caudati non appareant, ſiquidem & atmosphæris gaudent, & in ea a Sole diſtantia poſiti ſunt, in qua Cometis caudæ jam a calore Solis augentur. Huic objectioni ſic obviam iri poteſt: Telluris noſtræ vapores non tenues ſatis ſunt, ut altius adſcendere, ab aereque valde ſubtili ſuſtineri, poſſent, Lunæ vapores deeſſe, tuborum ope inſtitutæ obſervationes colligi ſinunt. Variabiles illæ in Planetis maculæ, quas teleſcopia detegunt, ſi nubes ſunt, indicant vapores craſſiores, quam ut multum adſcendere a Planeta poſſint, ſiquidem ita compactos eos eſſe oportet, ut ſatis fulgidum Planetarum lumen non transmittant. Præterea Planetarum, in orbitis parum eccentricis motorum atmosphæræ, æquabiliorem multo Solis actionem ſentiunt, quam cometicæ, quibus ſubito a Sole calefactis, oportet utique elaſticum aerem magno cum impetu ſe expandere, vaporesque ſecum abripere. Denique de atmoſphæra Cometæ agitur, quam re vera multo majorem ſtatuit, quam a nobis videri potuerit, extremis ejus partibus ob raritatem ſuam ſenſibus noſtris ſe ſub-

ducentibus. Inde vero dubium removeri poteſt, an non reſiſtentia ætheris extremos atmoſphæræ limites perpetuo ſit turbatura. Quod, licet negari vix poſſit, tamen a nobis, qui extremam atmoſphæram non ſpectamus, animadverti nequit. Appendicis loco elementa, ex quibus orbita Cometæ definitur, a Cel. *Eulero* ſibi transmiſſa, adjicit, quæ & hic exhibebimus:

Diſt. perih. a Sole = 21898 poſita media
Terræ a Sol. diſt. = 100000

Semilatus rect. Traject. Com. = 43712
Diſt. per. a nod. adſcend. = 151° 38′
——————— deſcend. = 28° 22
Longit. heliocentrica
nodi adſcend. = 1. S. 16° 20′ 45″
deſcend. = 7. S. 16° 20′ 45″
Inclin. orb. Com. ad Ecl. = 48° 30′
Cometa per perihel. tranſiit A. 1744 Mart. 1. 16 h. 28 } ſtil.
— — nod. deſc. — — — 3. 20. 40. } nov. tempore med. in merid. Berol.

Ex his, quæ Cel. *Eulerus* ope theoriæ ſuæ Cometarum invenit, in eademque poſt explicavit, nihil adhibuit Cl. Autor, quam perihelii a Sole diſtantiam, quæ *Eulero* eſt proxime 0, 22, Noſtro 0, 32 diſt. med. a Terra, ſatis exigua pro natura rei differentia, ut pateat, cum ſucceſſu adhiberi poſſe Cl. Autoris methodum, ſi ex paucis obſervationibus, *nudo* oculo inſtitutis, quam proxime ſaltem orbita deſideretur. Hæc ſpecimenis loco ex doctiſſimo libro adducta ſufficiant, in quo Phyſica potiſſimum Cometarum ita perſpicue ſolideque explicatur, novis etiam meditationibus ſubinde augetur, ut, tantum ea in re huc uſque ab aliis factum eſſe, non meminerimus. Gratulamur Virum celeberrimum jam poſſidenti Academiæ noſtræ, &, ut diu is gloriam ejus doctrina ſua ſcriptisque augeat, ex animo vovemus.

PRO-

Digitized by Google

PROBLEMA GEOMETRICUM, PROPOSITUM publice ab Anonymo Geometra.

Propoſito puncto lucido *F* invenire omnes curvas *AMBN* hujus naturæ, ut ſinguli radii ex *F* egreſſi poſt duplicem reflexionem in *M* & *N* in idem punctum *F* revertantur. TAB. III Fig. 3.

Primum quidem perſpicuum eſt, omnes ellipſes, quæ in *F* habeant alterutrum focum, quæſito ſatisfacere. Sed præterea dantur innumerabiles aliæ curvæ, eadem indole gaudentes, quarum inveſtigatio limites analyſeos non parum extendere videtur.

CHRISTIANI WOLFII, UNIVERSITATIS Halenſis Cancellarii, Monitum de libro, qui nuperrime in Batavia prodiit ſub titulo: La Decouverte de la Verité & le Monde detrompé à l' égard de la Philoſophie & de la Religion.

Cum haud ita pridem in Novellis, quæ Hagæ Comitum publicantur, legerem, prodiiſſe ibidem ſumtibus Autoris librum, cui titulus: *La Decouverte de la Verité & le Monde detrompé à l' égard de la Philoſophie & de la Religion*, & me eundem approbaſſe; miratus ſum, qua fide dicatur, me approbaſſe librum, quem MStum nunquam videram, multo minus legeram, immo cujus ne quidem titulus mihi notus erat. Poſtquam vero ex amico intellexeram, *Hæfeldum* eſſe Autorem; memoria mihi ſublit, ante aliquot annos hunc Berolino, literis commendatitiis inſtructum, ad me veniſſe, & a me petiiſſe, ut ſubſcriberem libro, ſuis ſumtibus edendo, in quo inſufficientiam principiorum Philoſophiæ *Neutonianæ* & *Carteſianæ* demonſtraturus ſit, qui vero tunc temporis nondum erat ſcriptus, ſed ſcribendus. Quoniam inſtitutum Autoris non inutile judicabam ad reprimendum ſectæ ſtudium veritati indagandæ inimicum; facile adduci me paſſus ſum, ut, commendationi ſatisfacturus, ſubſcriptioni nominis adjicerem hæc verba: me iſtiusmodi librum non indignum judicare, qui imprimatur.

matur. Cum vero Autor Lipſiam veniſſet, ibidemque aliis propius innotuiſſet; certiorem me factum memini, quod is ſpem, quam forſan de eo conceperim, non ſit impleturus. Eum enim conviciis inceſſere viros ſummos, quorum eximia & eminentia in Remp. literariam merita ſuſpicienda & laudanda, nec ab hoc propoſito abduci poſſe, in religione vero illorum placita ſequi, quos Fanaticos vocant. Ego, qui a cenſendis aliis ſemper alienus fui, multo minus autem unquam probavi morem, aliorum laudi ac famæ detrahendi, quemadmodum ex operibus meis, quæ publice proſtant, abunde patet, haudquaquam ferre poſſum, ut virorum, quorum in ſcientiam merita eminent, fama laceretur, ſi vel maxime contigerit, eos in nonnullis aliquid humani paſſos, a vero aberraſſe. Immo me publice jam non ſemel profeſſum memini, iterumque profiteor, quod gratiam rependam etiam iis, qui errore ſuo in viam rectam me perduxerunt. Quod autem ad religionem attinet, a Fanaticorum principiis animum habui ſemper alienum, &, quemadmodum, quod Philoſophi eſt, in Theologia naturali veritatem religionis naturalis, & ejus conſenſum cum Scriptura Sacra, demonſtravi, nequaquam vero, eam reformandam eſſe, ſtatui, ita ex adverſo Theologiam revelatam totam Theologis pertractandam reliqui, etſi partim in Horis ſubſecivis, partim alia ſubinde occaſione ſeſe offerente, docuerim, quomodo methodus demonſtrativa, quam ad Philoſophiam adhibui, ad Theologiam quoque revelatam applicari poſſit, ut *Antiſcripturariis* abundantius ſatisfiat, &, quænam inter diſcordes Theologorum ſententias cum iis, in quibus una eſt concordia, cohæreat, evidentius pateat. Quæ denique mea ſit de arte regnandi ſententia, abunde dudum expoſui in Politica, quam olim idiomate patrio in lucem edidi, & ea forma indutam, quam cetera Opera Latina habent, ſuo tempore Latino ſermone orbi erudito ſiſtam. Quodſi ergo Autor illius libri, de quo quæſtio eſt, quædam de inſufficientia principiorum Philoſophiæ, quæ dicitur, *Neutonianæ* & *Carteſianæ* recte monuit, quæ ad reprimendum ſectæ ſtudium faciunt, ea probo, quæ vero non ſine convicio

convicio in viros ſummos dicta ſunt, ea maximopere deteſtor. Aſt, quæ de religione ac regimine civili, nec non præſenti rerum publicarum in Europa ſtatu, dicta ſunt, vel poſthac dicentur, cum de hiſce nihil dixerit Autor, ſubſcriptionem petens, adeoque ne ſomniare quidem poſſit, quaſi ea approbaverim, ea ad me nullo modo pertinent, nec quidquam eorum meum facio. Injuriam mihi faceret, qui talia mihi imputare vellet, quæ cum doctrinis meis conſiſtere minime poſſunt. Neque enim aliquid præclari ab Autore in hoc genere ſperare poſſum, qui ſatis perſuaſus ſum, raro Deum hominibus maledicis, & in alios injuriis, dare facultatem præclari quidpiam præſtandi.

NOVA LITERARIA.

Quid novi & præclari Florentiæ paret *Jo. Bapt. Zannonius*, Typographus haud ignobilis, jucundum erit Lectori ex Programmate publico, haud ita pridem a *Zannonio* in lucem emiſſo, accipere. Nimirum ita ille: *Cum primum Typographiæ condendæ animum applicui, cogitare cœpi de edendo eximio aliquo opere, quo eruditorum virorum favorem mihi conciliarem, & prelis meis decus inſigne parerem. Eapropter a Clariſſimo Viro, Amico meo,* Jo. Targionio, *Med. D. & Bibliothecæ Publ. Magliabechianæ Præfecto vigilantiſſimo, petii, ut, ſi inter cimelia ditiſſimæ ejusdem Bibliothecæ aliquid luce publica dignum reperiſſet, typis meis elargiretur. Plura ille Anecdota venuſtiſſima, ac ſummopere fructuoſa, oſtendit; & præterea mecum perhumaniter communicavit propoſitum ſuum, edendi Syllogen Epiſtolarum, ad Cel.* Antonium Magliabechium, *nonnullosque alios, ſcriptarum a Viris in omni doctrinæ genere claris, quæ innumeræ, & avtographæ, aſſervantur inter MSta ejusdem Bibliothecæ. Mirum quantum ea res mihi placuit; tum quia ſimiles alias Collectiones Epiſtolarum in maximo pretio apud eruditos, hocce præſertim florentiſſimo ſeculo, haberi noveram; tum vero, quia Epiſtolæ illæ, ad* Magliabechium *ſcriptæ, locupletiſſimum*

eruditionis omnis penu cenſeri jure merito poſſunt. Cum enim Vir hic ſummus, & magnum patriæ noſtræ ornamentum, ſolidam, longe lateque diffuſam, & cui æqualem nulli ſperare fas eſt, doctrinæ famam ſibi comparaſſet, concordibus eruditorum ſuffragiis Reip. literariæ Dictator quodammodo conſtitutus, de novis ſingulis arcanisque literariis certior factus, & oraculi inſtar ab omnibus conſultus diu fuit. Eapropter Sylloge hæc Epiſtolarum, ad ipſum ſcriptarum, complectitur Hiſtoriam literariam abſolutiſſimam dimidii circiter Seculi, cujus maximam partem fruſtra alibi quæras. Ut enim brevi multa complectar, patebunt ex hiſce Epiſtolis arcana plura, ad vitam & mores doctorum virorum illius temporis pertinentia, quæ lectori non minus voluptatem afferent, quam documento erunt. Cognoſcet ſiquidem immenſos labores, ab illis exantlatos, & methodos adhibitas in perficiendis præclaris operibus, ut poſterorum commodis inſervirent; eoque indicio plura illorum opera affecta, necdum confecta, & in privatis Bibliothecis deliteſcentia, expiſcari poterit. Cauſas quoque ſimultatum, inter claros viros ſuſceptarum, cauſas item ſiniſtræ quorundam fortunæ, intelliget; mores aliorum aureos, & ad omnem civilis vitæ partem conformatos, amabit; aliorum vero nequitiam, ruſticitatem, & δοξομανίαν, execrabitur. Nova præterea in Aſtronomicis, Mathematicis, & Phyſicis, reperta; antiqua monumenta, in lucem prolata; Codices antiquos, ab oblivione vindicatos, ſciet; principum virorum munificentiam erga bonas artes admirabitur; Academiarum, Bibliothecarum, & Muſeorum, initia, & progreſſus, vel & interitus, ediſcet; ut verbo dicam, ſtatum literarum per ea tempora in ſingulis Europæ provinciis cognoſcet, unde earum progreſſus, vel decrementa, recte æſtimare modo poſſit. Nil mirum igitur videri debet, ſi ab ipſomet Magliabechio *plures clari viri flagitarent, ut haſce Epiſtolas, ad ſe ſcriptas, typis edi ſineret; idque rurſus obnixis precibus ab* Ant. Franc. Marmio, *D. Stephani Equite, &* Magliabechianæ *hæreditatis curatore, expoſcerent. Quapropter maximam apud eruditos gratiam inire me poſſe ratus, ſi labores meos a talibus, tamque deſideratis, cimeliis*

meliis auſpicarer, facile ab ipſo Targionio *impetravi, ut propoſitum urgeret, & typis meis concederet in publicum emittendos theſauros boſce literarios. Commodum ille manus admovebat recenſendo Catalogo Scriptorum Epiſtolarum eruditarum, qui MMD circiter ſunt. Una igitur eademque opera ſeligere cœpit, & deſcribi curavit, Epiſtolas luce publica dignas; eas nempe ſolummodo, quæ aliquid opis afferre poſſent ad illuſtrandam Hiſtoriam, ſive Literariam, ſive Eccleſiaſticam, ſive Civilem, ſive tandem Naturalem; plurimis omiſſis, quæ non niſi gratiarum actiones, vel encomia tantum, vel mercaturam librariam, vel futiles & vulgatiſſimas quasdam res, continent. Ut autem aliqua in magno acervo ſervaretur methodus, Scriptores ſingulos juxta natalis ſoli ordinem in totidem manipulos diſtribuit, eorumque Epiſtolas chronologica ſerie digerit; ex quo illud etiam utilitatis promanabit, ut ſingula hæc corpora Hiſtoriam literariam provinciæ ſuæ complectantur. Ego vero moræ impatiens rem differre nolui, uſque quo delectus omnis abſolutus eſſet; ſed circa initium hujus anni prelo commiſi Epiſtolas illas, quæ primæ ad manus erant; jamque ad umbilicum produxi, & brevi prodire ſinam, Volumen primum, hoc titulo:* Clarorum Belgarum ad *Ant. Magliabechium*, nonnullosque alios, Epiſtolæ, ex Avtographis, in Bibliotheca *Magliabechiana*, quæ nunc publica Florentinorum eſt, aſſervatis, deſcriptæ. *Tomus primus. Complectitur hic I* Gisberti Cuperi *55 Epiſtolas ad* Magliabechium; *1 ad* Jacobum Tollium; *1 ad* Lud. Ant. Muratorium; *& 1 ad* Ant. Mariam Salvinium; *II* Nicolai Heinſii *10 ad* Magliabechium; *18 ad.* Carolum Datum; *1 ad* Caſſianum a Puteo; *1 ad* Lucam Holſtenium, *& 1 ad* Andr. Cavalcantem; *III* Jo. Georgii Grævii *16 ad* Magliabechium; *& 2 ad* Jac. Gronovium. *In Præfatione Editor rationem inſtituti ſui fuſius expoſuit, & eruditorum commodis inſerviens, annotatiunculis pluribus loca Epiſtolarum obſcuriora illuſtrare anniſus eſt, & indicem rerum memorabilium ad calcem addendum curavit, quod in aliis etiam Tomis faciet. Primum hunc* Belgarum *proxime ſequetur* Tomus primus Epiſtolarum Clarorum Venetorum, *in quo continentur*

I Hen-

I Henrici S. R. E. *Card.* Noriſii *Epiſtolæ 104 ad* Magliabechium; *1 ad F.* Ant. Pacinium; *1 ad F.* Chriſt. Lupum; *1 ad F.* Paulum Marianum; *& 1 ad F.* Dom. Ant. Gandulphum; *II* Juſti Fontaninii *49 ad* Magliabechium, *& 14 ad* Ant. Franc. Marmium; *III* Franciſci Blanchinii *4 ad* Magliabechium; *IV Fr.* Vinc. Coronelli *9 ad* Magliabechium; *V* Jo. Ant. Aſtorii *13 ad* Magliabechium; *VI* Laur. Pataroli 8 *pariter ad* Magliabechium. *Manum etiam operæ admoverunt* Tomo II Epiſtolarum Clarorum Belgarum, *in quo* Jacobi Gronovii *Epiſtolæ deſcribuntur; eodemque tempore excuditur* Tomus I Epiſtolarum Clarorum Saxonum, *a* Leibnitianis *inchoatus. Parem celeritatem in aliis omnibus Collectionis hujusce Tomis adhibebo, prout ad editionem parati erunt, adeoque intra paucos annos universum corpus abſolvere me poſſe confido. Volumina ſingula XXVI ad minus foliis conſtabunt, formamque præ ſe ferent octavam, utpote commodiorem, & minus ſumtuoſam; centum exemplaria in charta majore, quam* de' Frati *vocant; cetera in charta* Leoncina *vulgo dicta, imprimi curavi. Pretium ſtatui quinque Romanorum Denariorum, quos Julios vocant, exemplaribus in charta ampliore, ſeu* de' Frati; *ceteris vero, in charta* Leoncina *impreſſis, quatuor tantummodo Juliorum. Corpora ſingularum Nationum ſeorſim diſtrahentur pro emtorum lubitu; omnia autem ſimul conjuncta conficient corpus abſolutiſſimum, in cujus commodum, ſi eruditi laboribus meis faverint, Indicem generalem ampliſſimum adjiciam. Optandum ſane fuiſſet, ut conjunctim edi poſſent Epiſtolæ elegantiores, quas* Magliabechius *ad Amicos hoſce ſuos ſcripſit. Harum nonnullæ in Bibliotheca publica Florentinorum aſſervantur, quas ſuis locis edemus; reliquæ prope dixerim infinitæ apud hæredes Amicorum* Magliabechii *deliteſcunt. Eos igitur enixe rogatos volumus, ut conatus noſtros adjuvare, & Epiſtolas illas nobiſcum communicare, non dedignentur, ut tam ſplendida acceſſione Sylloge noſtra perfectior evadat; ex quo ſane ingenti beneficio nos ſibi in perpetuum devincient. Valete. Dabam ex Typographio meo a. d. 7 Cal. Majas 1745.*

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLV.

Pars II.

DISSERTATIONES IN LIBRUM JOBI, AUTORE SAMUELE WESLEY, Rectore de Epworth in Diœceſi Lincolnienſi,

Londini, typis Gulielmi Bowyer, proſtant venales apud C. Rivington & S. Birt, Londinenſes, R. Clements & M. Fletcher, Oxonienſes, C. Crownfield & W. Thurlbourn, Cantabrigienſes, bibliopolas, 1736, fol.

Alph. 6 plag. 13, cum Mappis geographicis & Figuris 9.

Cum ad Scripturam ſacram rite interpretandam linguarum atque antiquitatum cognitio, Hiſtoriæ priſcæ & Geographiæ accuratior notitia, veri rectique ſcientia, plurimum faciat; eos, qui per has artes atque ſcientias ingenium ſuum circumtulerunt, egregii quid in præſtantiſſima hac eruditionis ſacræ parte præſtare poſſe, nemo prudentiorum facile diffitebitur. Ut quis aliorum lucubrationes in concinnum ordinem redigat, deque aliorum ſententiis ſapienter pronuntiet, ad id quidem non proletaria doctrina, nec vulgaris judicii vis, requiritur. Sed enim, qui librum aliquem enarrare aggreditur, qui a primis fere naſcentis eccleſiæ temporibus eſt exaratus, eundemque, ubi ab interpretibus deſtituitur, ex ſpiſſis antiquitatum tenebris, ex hiſtoria omni, antiquiſſimarum gentium inſtitutis, omnique adeo eruditionis apparatu, luce quadam nova conſpergit, ac ſingula momenta defixa meditatione ſubigit, majorem longe induſtriam, ſagacitatem, ac doctrinam,

oſtendit. *Jobum* ob dictionis indolem, ſtili ſublimitatem, ac inacceſſam fere antiquorum populorum hiſtoriam, intellectu difficilem admodum atque impeditum eſſe, ad unum fatentur omnes. Ætati igitur noſtræ hæc debetur felicitas, quod duumviri præſtantiſſimi ſunt inventi, qui omnem eruditionis copiam, qua præ aliis pollent, eo converterunt, ut lux limpidior *Jobo* noſtro inferretur, ex quibus Cel. *Schultens* beneficio linguæ Arabicæ *Jobi* dictionem, eruditiſſimus *Wesleus* vero ex Hiſtoria priſca librum ipſum, cummaxime illuminare ſunt aggreſſi. Quid poſterior in libro hoc explanando præſtiterit, cum noſtrum ſit in præſentia docere, primo, quibus adminiculis fuerit uſus, brevibus indicabimus, inde ſelecta quædam capita, quantum inſtituti noſtri ratio permittet, enotabimus. Per multos annos *Jobum* in fontibus diligenter lectitavit, cum verſionibus Græcis, Chaldaica, Syriaca, Arabica, vulgata, *Junii* & *Tremellii*, *Piſcatoris*, ac Anglicanis, dedita opera conflixit, quo verum ſenſum erueret. In auxilium advocavit Geographos antiquos pariter atque recentiores, Chronologos, Alcoranum ſemel atque iterum perlegit, in quo haud pauca reperiantur, quæ ad Geographiam, Hiſtoriam, & dogmata, veterum Arabum ſpectent. Commentarios neglexit fere, niſi quod ex Patribus nonnullos ac *Poli* Synopſin in conſilium adhibuerit, multis autem ſe difficultatibus expediviſſe, ac ulteriorem meditandi occaſionem præbuiſſe, fatetur, *Frider. Spanhemium* in *Hiſtoria Jobi*, quem librum aureum appellat, *qui plus contineat, quam immenſa aliorum volumina, totum reſplendentem infinita doctrinæ criticæ copia.* Non quidem continuum ſiſtit Commentarium, ſed ſelecta tantum illius capita Diſſertationibus LIII eſt complexus, quibus concinnandis ubi per plurimos annos inſudavit, illas ſenex ſeptuagenario major in publicam eruditorum lucem tandem prodire juſſit. Subjiciuntur collationes textus Ebraici cum variis verſionibus, & orientalibus, & occidentalibus. Inſunt tabulæ aliquot geographicæ, *Maundrelliana*, exhibens iter ipſius Hieroſolymitanum, Pentapoleos, maris rubri, cum adjacentibus provinciis Arabiæ.

Diſſertatione I quæritur, num liber *Jobi* contineat veram *hiſtoriam*,

hiſtoriam, an vero ſit totus *parabolicus* ac *dramaticus*, fictus in exemplum patientiæ, ac documentum ſingularis providentiæ. Poſteaquam igitur veræ hiſtoriæ criteria indicaverat, objectiones, quæ contra veritatem hiſtoriæ promuntur, expedit. Divina ſapientia factum fuiſſe obſervat, ut, quæ hiſtoriam fatorum *Jobi* conſtituunt *Cap. I, II, & Cap. XLI, 7*, ad finem uſque pedeſtri ſermone ſint perſcripta. Num ſermones intermedii ab alio quodam in poema converſi, iidemque amplificationibus nonnullis fuerint circumſcripti ornatique, quod *Huetius* arbitratur, non definit. Ad objectionem, difficile eſſe cogitatu, qui Deus ſuos dæmoni ad libitum divexandos tradere poſſit, reſpondet: 1) quodſi etiam ſcriptores ſacri adhibitis ſchematibus ænigmatice loquantur, id tamen veritati hiſtoricæ non obeſſe; 2) nobis non omnem ſpirituum *πολιτείαν* eſſe perſpectam; 3) difficultatem evaneſcere, ſi dicatur, diabolum cum filio Dei egiſſe, per quem pater cum genere humano, primis parentibus noſtris, aliis, omnia transegerit. Conjecturam hanc inde firmat, quoniam Chaldæus ad minimum ter nomen יהוה & אלהים per דיי מימרא reddidit. Pro veritate autem hiſtoriæ, & quod *Jobus* re vera exſtiterit, pugnant verba *Ezech. XIV, 14, 20, Jac. V, 11*, quæ ſenſum haberent nullum, ſi *Jobus* in viventium numero plane non fuiſſet, prouti etiam *Paulus 1 Cor. III, 19*, ex *Cap. V, 13*, ipſius verba excitat. Pag. 7-9.

Diſſertatio II eſt de *autore libri*, quem, refutatis variorum ſententiis, qui vel *Elihu*, vel *Moſen*, vel alium quem, nominant, ipſum *Jobum* fuiſſe aſſeverat, nec valere objectionem, α) ſic ipſum nimis benigne de ſe loqui *Cap. I, 1*, & alibi, quia ſcriptus ſit ex inſpiratione divina, ipſum Deum hoc illi teſtimonium impertiviſſe *v. 8*, fidem hiſtoricam id requiſiviſſe, ut & res & verba accurate referrentur. Nec *Moſen* præterire laudes & vituperia ſua *Num. XII, 3*, quem ad modum & *Jobus* meminit temeritatis & patientiæ, Deoque gloriam dedit *Cap. XXX, XXXVII, XXXVIII, XLII, 3-6.* β) Addi mortem ipſius, cum & *Moſis* libri finiantur narratione mortis ipſius, nec tamen ipſi abjudicantur. Non additum hoc eſſe a *Moſe*, quia per 80 aut circiter annos *Jobus* illi ſuperſtes fuerit, ſed a Pro- 9-14.

phetis ſequentibus, cum liber in canonem referretur; forteaa circa tempus judicum, quoniam ante canticum *Hannæ 1 Sam. II, 7, 8*, nihil ex illo in Scriptura allatum legimus.

Pag. 15, 16. *Diſſertatio III* de *dramate Jobi* agit. Carminis genus, quo utitur, non *epicum* eſſe, inde probat, quoniam in illo Poeta ſemper loquitur, perſonarum tam narrationes, quam fata, recenſens, ſed *drama*, & quidem *tragicum*, quod auditorum mentes, miſericordia & terrore ſatis ante depreſſas, læto tandem ſucceſſu erigit. *Grotius* jamdum, *Sherlockius*, alii, maxima ex parte drama eſſe agnoverunt. Inde ſecundum regulas criticas virtutes dramatis enarrat. α) Actionem eſſe ſatis regularem, unam, integram, magnam, quæ infortunia *Jobi* cum læto illorum exitu complectatur. β) Interlocutores eſſe Deum, qui non ficte, nec parabolice, ſed vere, actioni interfuerit, principem ſpirituum malorum, a Sabiis, Arabibus, Chaldæis, aliis, cultum *Jobum*, ejusdemque amicos, perſonas mutas bene 17, 18. elohim, Sabæos, Chaldæos, &c. allegoricas θάνατον, ἅιδην, πύλωρον ἅιδου, &c. γ) Decoramenta & machinas eſſe totum cœli ac terræ κόσμον, characterem atque ἦθος ſingulis perſonis congruum adjungi, Deo, diabolo, amicis, *Jobo*, qui conſtantiam ſemper ſervet, &, licet nonnunquam in peccata fuerit prolapſus, ſervat tamen perſonam poeticam, quam *moralem* appellant, quia mortalium eſt nullus, qui non aliquando pro- 18-20. labatur. δ) Cogitationes (*les ſentiments* dicunt Galli), conceptus, convenire perſonis, & quidem quales in dramate occurrunt, affectus eſſe commodos, ὑποτυπώσεις exhiberi luculentas, quales de equo, behemot, leviathane, aliis, γνώμας 20-22. intercurrere graves & aptas. ε) Stilum eſſe, qualis tragœdiam deceat, gravem, ſublimem, ardentem, aliquantulum ſuper naturam & communem vitam, certe ſupra vulgi ſermonem, prudenter elevatum, non autem tumidum. Inde eſſe, quod crebris figurarum coloribus illuminetur, dialecti variæ immiſceantur, Arabica, Chaldaica, Syriaca. ζ) Morale præcipuum fuiſſe, divinam ſtabilire providentiam, tum in genere, tum in ſpecie, & falſum eſſe illud, bonis ſemper bene, malis male, in hac vita eſſe debere. Quo evicto, concidebat illud

lud de duobus ſempiternis principiis boni & mali, quod tum temporis plurimorum animos habebat. Pag. 22-26.

Diſſertatione IV. digreditur Autor ad carmen *paſtoritium*, diſtinguens inter carmen *paſtorale* & *amatorium*, omne paſtorale, docens, in Sacra Scriptura eſſe amatorium, ſed non omne amatorium eſſe paſtorale. *Pſ. XLV* eſſe epithalamium, ſed conciſum, & quaſi epitomen Cantici canticorum. Canticum canticorum non eſſe paſtorale tantum, ſed & amatorium, quod locutionibus & ſententiis, ex utroque depromtis, probat. 27, 28.

Sententiam *Sanctii*, exiſtimantis, Canticum canticorum eſſe epithalamium, unde *Theocritus* primum, & ab illo alii Poetæ, epithalamii leges didicerint, non omnino rejiciendam eſſe. Imitatum autem eſſe in idyllis ſuis paſſim dictiones & ſententias, in Cantico occurrentes, plurimis exemplis monſtrat, licet illas aliquando ad amores minus caſtos traduxerit. 28-33.

Peſſime autem feciſſe *Whiſtonum*, aſſeverantem, Canticum ſcriptum fuiſſe a *Salomone*, ad ſenium devergente, cum in omnem luxum ſe effudiſſet, eſſe mere amatorium, idque humanum, a Spiritu S. non inſpiratum, nec *Salomonem* unquam inter Prophetas a Judæis numeratum, nec ad illius locutiones ſcriptores ſacros alluſiſſe, nec Conſtitutiones Apoſtolicas, quas divinis libris æquiparet. Quæ omnia ipſe ſigillatim diluit. 33-38.

Concedit quidem, eſſe epithalamium, ſed non merum, ſecundum literam tantum accipiendum, cui arcanior ſenſus non ſubſit, quod nec ipſe *Grotius* omnino diffiteatur, adſtruens hoc locutionibus, quæ non niſi ſpiritualiter intelligi poſſunt. 38-41.

Nec tamen totum eſſe allegoricum, referens ſolum amores ſpirituales inter Chriſtum & eccleſiam, ut nulla ratio habita fuerit connubii inter *Salomonem* & filiam *Pharaonis*, ſicque typus cum antitypo compoſitus fuerit. 41, 42.

Sunt, qui opinantur, oracula divina omni cultu, omnibus gratiis, deſtituta eſſe, cum ſcriptores ſacri orationis ornatum vel ignorarint, vel deſpicatui habuerint; contra vero barbarie ſquallere. Ex adverſo demonſtrat Noſter, tum temporis, cum *Jobus* ſcripſerit, Rhetoricen & Poeſin Europæis gentibus, ipſis etiam Græcis, cultam haud fuiſſe, in eccleſia vero Dei politiores literas, imo & comtiores dicendi & ſcribendi formulas, floruiſſe.

Cumque a figuris vel grammaticis, vel rhetoricis, vel poeticis, multum ornatus orationi accedat, omnes in *Jobo* obvias *Dissertatione quinta* ordine enarrat, *sexta* paralleliſmum locutionum & ſententiarum *Jobæarum* & *Homeri* ex *Jac. Duporti* Gnomologia Homerica in medium producens.

Pag. 43-48.

Dissertatione VII inquirit in rationem nominis, quod alii ab אוב, quaſi *magus* & *ſapiens*, alii ab איוב quaſi *dolens, gemens, ululans*, aut *exoſus*, alii ab איב, *odio habere*, arceſſunt, quoniam non ſolum impiorum oſor exſtiterit, verum etiam ab illis odio ſit habitus. Ipſi potius placet ſententia *Spanhemii*, dictum eſſe a יאב, ἐπιπόθειν, *amare, deſiderare*, unde *Suidæ* per τριπόθητος redditur, ex יאיב autem per metatheſin literarum eſſe איוב, uti Jabetz dictus יעבץ ex rad. עצב *1 Chron. IV, 9*, ut ſic denotet omnium amorem, ſpem, deſiderium. Sed addit, dubium vix eſſe, quin vel ipſe, vel alii, nomen hoc mutarint. *Jobum* noſtrum eſſe *Jobabum*, cujus mentio *Gen. XXXVI, 33*, antiqui fere omnes, Chriſtiani, Judæi, Muhamedani, judicant, contrarium evincere allaboraverat *Spanhemius*, cujus argumenta omnia ponderat Noſter, nec videt, quare non is ipſe & rex, licet forte unius tantum civitatis, eſſe potuiſſet. In fortuna florenti appellatum eſſe *Jobabum*, in afflicta & proſtrata *Jobum*, in reſtituta priſtinum nomen rediiſſe, ut nuncupatus fuerit *Jobab jubilans*, & hoc nomine inter reges Idumææ comparere.

49 52.

Dissertatio VIII agit de *Joctane*, ejusdemque poſteris, quem communem fundatorem Arabum fuiſſe, & forte primum coloniam emiſiſſe, ac Euphratem transmiſiſſe, ferunt, cujus exemplum imitati videntur filii. Illius memoriam adhuc ſervari inter Arabes, quibus nominetur *Cahtan*, & urbs regia in hunc uſque diem *baiſath Jektan, domus*, ſeu *habitatio, Jektan*. Sedes ipſius aſſignat *Moſes Gen. X, 30, Meſcham, Muzam*, portum ſinus Arabici, nominat *Plinius Lib. VI Cap. 23*, & *Sepharam*, mons Saphar, pariterque oppidum, in Sabæa adhuc ſupereſt. Hujus filii XIII totidem coloniarum ductores memorantur *v. 26 29. Almodadum* in mediam Arabiam felicem penetraſſe,

52-58.

traſſe, in qua, teſte *Plinio*, adhuc ſuperſtes *Helmoderiten. Scheleph*, vel *Schaleph*, veſtigia ſuperare in Σαλαπηνεις, *Ptolemæo* memoratis. *Chatzar-maueth*, a quo dicta natio in Arabia thurifera, nomenque remanſiſſe in *Adramytho* in Æthiopia, Ægypto, itemque Æolide, unde ſinus *Adramiticus*, pariterque *Hadramuth*, tertia Turcarum in Arabia regione. *Jarach luna*, unde gens forſitan dicta, quæ cultui lunæ fuit dedita *Job. XXXI, 26, 27. Jerachæi Agatharchidi* dicuntur *Alilæi. Alila Herodoto Lib. III* eſt *Venus Urania*, & *Bochartus* conjectat, νῆσον Ἱερεάχων in Arabico ſinu eſſe inſulam Jerachæorum. *Hadoram*, cujus reliquiæ ex ſententia *Bocharti* in *Corodamo*, promontorio, ad fretum maris Perſici. Autor huc reducit Rammæos apud *Plinium*, priori voce ablata. *Uzal* forte nomen habet ab אזל, *receſſit*, quia procul a patre in mediam Arabiam coloniam duxerit, cujus meminit *Ezechiel XXVII, 19. Diklab palma*, ſeu *palmetum*, ex *Bocharti* ſententia in Arabiæ felicis aditu ad mare rubrum; hinc memorari civitatem *Phoinicon* & *Phoiniconomem* in oppoſito litore Troglodytarum. Videri igitur probabile, *Diklab* cum comitibus ſuis primo civitatem prope palmetum condidiſſe, indeque nomen regioni adhæſiſſe, quæ poſtea forſan appellata fuerit Panchaia, aliam ex illis coloniam ad Perſicum uſque ſinum penetraſſe. *Obal*, Arabibus *obil*, eſt nomen cameli. *Bochartus* arbitratur, ab hoc nomen habere *Abaliten* ſinum, *Plinio* memoratum, *Ptolemæo* dictum *Analiten*, Obalem autem ex Arabia in Africæ partem Trogloditicam per anguſtiam freti migraſſe. Apud LXX pro Obal legi Γαμαελ *1 Chron. I, 21*, & apud *Plinium* in Arabia nominari fontem *Emiſcabalem. Abimael*, interprete *Bocharto*, eſt *pater Malitarum*; hos autem eſſe unam ex provinciis Arabiæ. Ex *Scheba* natales ducere *Sabæos*, qui vel late ſumantur pro quatuor populis, qui Arabiæ πέζαν occuparunt, *Sabæis* nempe, *Minæis*, *Catabanis*, & *Chatramotis*, vel ſtricte pro illis, qui prope maris rubri litora ſedes habuerunt. *Ophirem Bochartus* locavit inter Caſſanitas prope Sabæos, in qua terra Ophir *Salomonis* quærenda non ſit. *Havila*, cujus nominis cum plures exſtiterint, & horum ſedes fuerint permixtæ, illas Autor definit.

definit. *Jobab*, distinguendus ab illo Idumæo, dictus a *jubilando, clamando*, in omen futuræ victoriæ & triumphi. *Bochartus* inde Ιωβαρίτας deducit, ubi cum *Salmasio* Autor legendum censet Ιωβαβίτας. Hujus posteros, illorumque reliquias, forte inter Omaritas inveniri conjectat.

Pag. 58-65. *Dissertatio IX posteros Chanaanis* recenset, eorundemque sedes diversas indicat. Sub finem illius quæstionem, quare Deus, cum totam Chananæorum terram Israelitis promiserit *Gen. XV, 18*, coll. *XXII, 16*, *Jos. XIII, 2-6*, illam tamen ipsis non dederit *Judic. III, 5*, ita disceptat, promissionem hanc fuisse *conditionatam*, suspensam ab observatione præceptorum divinorum, & ne cum Cananæis connubia conciliarent *Jos. XXIII, 12, 13*, quibus conditionibus cum non steterint, promissis divinis excidisse.

66 80. *Dissertatio X* in eo occupatur, ut, quinam per *Hycsos*, *Josepho* ex *Manethone contra Apion. Lib. I* memoratos, intelligendi sint, investiget. Illos non fuisse Cananæos, qui ante Israelitarum in Ægyptum ingressum impressionem fecerint, quæ sententia est *Scaligeri*, *Marshami*, *Usserii*, *Cumberlandi*, sed Israelitas; *Manethonem* multas attexuisse fabulas, ut Judæis invidiam conflaret, crudelitatemque, quam hi ab Ægyptiis fuerint perpessi, in Judæos transtulisse. Nomen *Hycsos*, *pastores reges*, esse vocem hibridam, extusam ex appellatione *Abrahami*, qua ipse נשיא אלהים *Gen. XXIII, 6*, fuit nominatus, quo titulo etiam insignitus ab angelo *Jacobus Gen. XXXII, 29*. Per *Salatin* forsitan intelligendum esse *Josephum*, qui pastores illos primus posuerit in Gosen; memorari inde quinque generationes, quæ a *Josepho* ad exitum usque numerari possint.

80 83. *Dissertatio XI* est de *gentibus*, quæ nominantur *Gen. XIV, 5-7*, זוזים, a זוז *movendo*, vel *robore*, dictitatæ. Immanis staturæ gigantes Autori fuisse videntur, quoniam cum Rephaim conjungantur, qui nihil differant a Zamzummim *Deut. II, 20*. Locus habitationis ipsis assignatur *Ham*; non enim cum LXX & vulgato, quos sine ratione sequatur *Usserius*, provocans ad Samaritanum, legendum esse בְּרֹם. *1 Paral. IV, 40*, legi Cham; ח & ה sæpe invicem converti in Samaritano Codice, cum punctis

punctis vocalibus deſtituatur, æque legi poſſe בְּזֻזִם, ac בְּזוּזִם. *Emim*, ab אים, unde איום, *terribilis*, dictos, fuiſſe populos validos, ipſoque vultu terribiles. Sedes illis aſſignatur שוה קריתים, *planities*, ſive *vallis*, *civitatum*, de qua nihil certi definiri poſſe fatetur. *Horim* ex *Devt. II, 10, 11*, illas terras olim tenuiſſe videntur, quas poſtea *Eſau* cum poſteris occupavit. De quatuor gentibus his obſervat, recto ordine locari a *Moſe*, omnes fuiſſe giganteæ ſtaturæ, *Chami* proſapia oriundas, quæ licet a *Chedorlaomero* primum debellatæ, poſt a Moabitis, Ammonitis, Idumæis, multis cladibus affectæ fuerint, illarum tamen reliquias ad *Jobi* uſque ætatem ſuperfuiſſe. *Avim*, qui nominantur *Devt. II, 23*, ab עוה dictos, quoniam forte vitam perverſe traxerint, locatos fuiſſe videri in Philiſtæorum terra, עזית quippe legi *Gen. XXXVI, 35*. De *Chatzorim* notat, fuiſſe gentem magnam ſane, ab auſtro Palæſtinæ ad ſeptentrionem uſque diſſeminatam. Locum *Jer. XLIX, 28-33*, illuſtrat, urbemque Chatzor ac gentem *Nabuchodonoſorem* penitus exterminaſſe, nomen tamen in nonnullis Canaanis urbis etiam poſt captivitatem Babylonicam remanſiſſe *Neh. XI, 27, 33. Gen. X, 14*, memorantur *Patruſim*, *Caſluchim*, itemque *Philiſtæi* & *Caphtorim*, qui poſteriores coloni fuerint, a prioribus emiſſi. Philiſtæos non a פלט, *evadere*, *eripere ſe*, nomen habere, ſed potius, quod *Cumberlandus* exiſtimat, a *Peliſcha*, quæ vox in verſione Samaritana *Gen. XIV, 6*, pro loco ponatur, hanc autem convenire cum *Peluſio*, cujus ſitus cœnoſus & paludoſus. A *Peluſio* igitur, unde a patribus ſuis Patruſæis venerint, nomen adoptaſſe. *Caphthorim* regionem inter *Peluſium* & Palæſtinam olim coluiſſe; qui quare a LXX & vulgato exponantur per Cappadoces, diſquirit; Caphthor & Rimmon ejusdem eſſe ſignificatus; inde multa loca in Palæſtina Rimmonis nomine inſigniri, terram autem Caphthorim, ſive Caſiotin, veriſimiliter fuiſſe terram Rephaim, ſive gigantum. In tranſitu illuſtrat locum *Jer. XLVII, 4*. Per אי intelligit inſulam *Pſ. XCVII, 1, Ezech. XXVI, 18*. Nilum enim, mare mediterraneum, lacum Sirbonidis & paludes, efficere peninſulam, ubi de Philiſtæis dicit, fore, ut exſcindantur, voce להכריח per paronomaſiam

Pag. 83, 84. 84, 85. 85, 86.

maſiam alludi ad Crethim, qui ex Philiſtæis fuerint *Ezech. XXV, 16. Anakim* dici ab ענק, *torque aureo*, quo ornati fue-
Pag. 86- rint, hoſtibus forſitan erepto, quorum diverſa nomina pro-
93. fert, in eorundemque ſignificatum inquirit. Pugnam, quæ inter *Num. XXXIII, 31, 32,* & *Devt. X, 6,* occurrit, quæque tanti viſa eſt *Grotio, Capello,* & *Whiſtono*, ut corruptelam aliquam ineſſe cenſuerint, ita tollit, ut per *Moſeroth* integram regionem, per *Moſera* urbem in illa regione, intelligat, prouti ſolitudo Pharan incluſit civitatem El-Pharan & forſitan maritimam Pharan. *Hor Hagidgad* denotare *ſpeluncam*, aut *refugium turmarum*, ſive *latronum*, qua occaſione notat, Cyclopes dictos eſſe a *foramine cavernarum* ſuarum. Quis populus per כוב *Ezech. XXX, 5*, deſignetur, ſe ignorare fatetur, niſi forte ex כובב ſit contractum, ut *Job* ex *Jobab*, inde procul dubio Cauchabeni.

93-97. *Diſſertatione XII* quæſtio inſtituitur de filiis *Abrahami* ex *Hagare* & *Ketura*. *Hagarem* forte *Abrahamo* a *Pharaone* datam *Gen. XII, 16*, eamque fuiſſe proſelytam. *Iſmaelis* ſedes fuit Pharan, quæ regio a mari rubro ad confinia Canaan ſe protenderit. In illa ſitam fuiſſe urbem Pharan ad auſtrum & ſinum Arabicum inter Elaniticum & Heroopolitanum, Iſmaelitarum emporium, ſi non ab ipſo *Iſmaele* conditum, tempore *Davidis* ſatis cognitum *1 Reg. XI, 18*, cui hodierno die eſt *Fara*. Montem Pharan contiguum fuiſſe Sinai; hinc Schechinam inde a monte Sinai etiam de monte Pharan conſpectam fuiſſe *Devt.*
97-99. *XXXIII, 2*, & civitatem Thema *Habac. III, 3*, monti Pharan adjacuiſſe. *Iſmaelis* filium natu primum, *Nebaioth*, forte nomen tuliſſe a matre Ægyptia, a quo ortum duxerint Nabathæi, nominati *1 Macc. V, 14*, pariterque *Dionyſio*, *Ptolemæo*, *Strabo-ni*, *Plinio*, *Euſebio*, *Hieronymo*, aliis, qui a Libano ad Petram, & inde ad ſinum uſque Arabicum, terminos ſuos protenderint. Filium natu ſecundum, *Kedar*, inde forte nomen tuliſſe, quia ipſe & poſteri ejus nigri, aut ſubfuſci, coloris fuerint, cujus etiam ipſorum tabernacula *Cant. I, 5*. Ab illa Kedareni natio irrequieta & prædatoria, nomades maxime & ſcenitæ, de quibus *David* quæritur *Pſ. CXX, 5*, qui quoniam *Jeſ. LX, 7*, cum

Naba-

Digitized by Google

Nabathæis conjunguntur, vicini fuiſſe videntur. Ex *Jeſ. XLII, 11*, apparere, *Sela*, ſive *Petram*, Arabiæ a Kedarenis non longe abfuiſſe. Reliquorum filiorum *Iſmaelis* nomina in ſequentibus Pag. 100-
inveſtigat, illorumque ſedes, quantum fieri poteſt, indicat. 102.
De *Jetbure*, ejusdemque poſteris, quorum mentio *1 Chron. V, 19*, notat, ipſos *Iſmaelem*, patrem ſuum, ad vivum retuliſſe, qui fuerint feroces, latrones famoſi, & prædones, unde *Antonius* ipſos in corporis ſui ſatellitium legerit, quique ſagittandi arte peritiſſimi fuerint. Hinc gradum promovet ad liberos *Abra-* 102-104.
hami, ex *Ketura* ſublatos, quam, quia nomen a *ſuffimento*, vel *incenſo*, habet, ex Arabia forte aromatifera oriundam fuiſſe, ſuſpicatur, diſtinctam ab *Hagare*, quam *Abrahamum* recepiſſe, magiſtrorum aliqui autumant. Ex illa procreati ſunt *Abrahamo* filii ac nepotes numero 15, qui pone Iſmaelitas a mari rubro ad ſeptentrionales limites Palæſtinæ habitarint. Horum no- 104-110.
mina ex interna ſua ſignificatione ordine interpretatur. Cujus interpretationis ipſius hoc tantum ſpeciminis loco adducemus, quod de ſexto filio *Schuach* in medium profert, ipſum nomen ſortitum fuiſſe a שׁוּחַ, *inclinari*, *declinari*; innui igitur troglodytas, qui in ſpeluncis ac foraminibus latitarint, quibuscum conveniant סֻכִּיִּים, a סכך, *tegere*, dicti, unde LXX τρωγλοδυται. A *Schuach* autem plura loca & populos nomina accepiſſe, portum *Suez*, *Suchalitas*, *Plinio* memoratos, *Suchen*, *Socguſum*. Ex quibus *Keturæ* filiis cum numeroſi populi or- 107.
tum traxerint, promiſſionem *Abrahamo* factam de multiplicando ſemine ipſius ex parte impletam fuiſſe, ſenſum autem my- 110.
ſticum excludendum non eſſe.

Diſſertatio XIII ſtatum *Pentapoleos* delineat. *Strabonem* ex ſententia *Salmaſii Sirbonem* cum *Asphaltite* confundere, ipſi non probatur, 1) quia lacum utrumque ſatis diſtinguat, 2) utrumque locum appellari poſſe *Sirbon* a שׂרף, *uſſit*, cum uterque fuerit fœtidus & urens. Difficultatem, quæ ex verbis *Gen.* 112.
XIII, 10, emergit, ubi dicitur *& ſicut Ægyptus venientibus in Tzoar*, ita tollit, ut ſtatuat hyperbaton, ſive hyſteron proteron, frequens in Scriptura, hoc ſenſu: *& vidit regionem Jordanis, quæ venientibus in Tzoar univerſa irrigabatur*, &c. inter

utrumque enim terminum ad minimum totius deserti spatium fuisse. Situm Pentapoleos ita definit. Ad superiorem lacus partem ponit Sodomam, huic proximam fuisse Gomorram, inde Adamam, tum Zeboim, tandem Tzoar, a parvitate dictam. Mitzar *Ps. XLII, 7*, esse montem, prope quem structa urbs
Pag. 112. Tzoar. Ad partem australem lacus sitam fuisse Engedi, anti-
114. quitus dictam Chazezon Thamar, inde forte appellatam, quia olim in tabernaculis, sub palmarum arboribus structis, habitarunt, totam quippe regionem consitam fuisse palmetis, vineis, arboribus balsamiferis, & aliis; ad vineas illius alludere *Salomonem Cant. I, 14*, ad arbores balsamiferas *Ezechielem*
114, 115. *XLVII, 10.* In terram hanc non fulmina solum missa esse de cœlo, verum etiam motu esse concussam *Job. XXVIII, 9-11*, idem testante *Strabone Lib. XVI*; inde vero erupisse fluvium, ac
116. urbes illas inundasse *Job. XXVIII, 11.* Ante destructionem Sodomæ Jordanem ex sententia *Cellarii* & aliorum non in mare Arabicum, sed potius per Syrbonidem in mare mediterraneum, sese exoneravisse. Post conflagrationem totam illam regionem factam fuisse grave olentem & valetudini noxiam, *Diod. Sic. Lib. XIX pag. 733, Plin. Hist. Nat. Lib. V Cap. 17*, ut hinc
117. etiam *Abrahamus* sedes mutasse videatur *Gen. XX, 19.* Reliquias civitatum illarum per multa annorum millia superfuisse, testimoniis *Josephi*, *Alcorani Cap. 15*, *Strabonis*, *Maundrelli*,
118. probat. Quod recentiores referant, partibus statuæ salis avulsis novas accedere, id forsitan fraudibus accolarum in acceptis esse referendum, qui novas columnas ex rupibus exsciderint. Terram hanc & lacum ultimis temporibus in pristinum statum
118-121. suum restitutum iri *Ezech. XVI, 46, 53, 55, XLVII, 1-10*, quod ipsum etiam innuat *Jobus XIV, 7-12.*

Dissertatio XIV ostendit, *Jobum* ad res priscas Israelitarum ante ingressum in Ægyptum sermonem suum accommodasse, nec minus fata, quæ ipsis in Ægypto obtigerunt, passim tan-
121-142. gere, quod ipsum locis adductis it probatum. Ex illis quædam tantum notatu digniora delibabimus. Per *diem illum Cap. I, 6*, intelligit sabbatum, quod cum inde ab orbe condito ob-
131, 132. tinuerit, dubium vix esse, quin *Jobus* idem illud celebrarit. Ad

Ad diviſionem maris rubri, Iſraelitarum tranſitum, & Ægyptiorum internecionem, reſpici *Cap. XXVI, 12*, per *Rahab* eſſe intelligendam Ægyptum, prout Rahab Ægyptus & Leviathan, id eſt, *Pharao*, ſæpe conjungantur *Pſ. LXXIV, 13, 14, LXXXIX, 11.* Jordanem olim fluxu ſuo quatuor lacus feciſſe, vel reliquiſe, Samachonitem, Tiberiadem, ſive Tarichææ, Sodomæorum, & Sirbonidem, ubi Jordanus in mare mediterraneum ſe exonerarit, ab interitu vero Sodomæ & Gomorræ alveum ejus eſſe exſiccatum in deſerto. Hùc reſpici haud ſemel apud *Job. XIV, 11, XXVIII, 4.* Olim moris fuiſſe, ut calami figerentur, quo peregrinantes viam proſequi potuerint, arena terras operiente, qui *Jeremiæ* dicantur צִיֻּנִים, item תְּמָרוּרִים, *palmæ*, columnæ, palmarum inſtar in altum aſſurgentes, ac peregrinantes, ingenti numero congregatos, iter feciſſe, quas ſocietates *caravanas* poſterior ætas appellarit. In quas digitum intendere *Jobum VI, 18, 19*, clarius id liquere ex *Gen. XXXVII, 25.* Pag. 139. 141. 141.

Diſſertatio XV perſequitur hiſtoriam *Eſavi*. Illum primum habitaſſe in monte Seir, qui duplex fuerit, minor in tribu Judæ *Joſ. XV, 10*, initio non longe ab Hebrone, ubi pater & avus & poſtea *Jacobus* vixerant, ſedem habuit *Gen. XXXVI, 6, 8*; unde facile intelligi poteſt, quo modo *Jacobus* ab illo meruere, ad eundemque nuntios mittere, potuerit *Gen. XXXIII*, victis vero poſtea, non autem omnino proſtratis ac exterminatis, Horitis, montem auſtralem Seir ſibi vindicavit *Devt. II, 12.* Probabile eſſe admodum, *Eſavum*, redeuntem a fratre *Jacobo*, 400 illos viros in monte Seir reliquiſſe ad Horitas, gentem ferocem, frænandos. Poſt id tempus bella multa ſtrenue geſſiſſe, amplasque ſibi poſſeſſiones paraviſſe, quas auctiores reddiderint poſteri, adeo, ut illorum imperium ad tria maria proceſſerit, Perſicum, Arabicum, mediterraneum. Nec dubium eſſe, quin terra Utz in ditione Edomi fuerit *Thren. IV, 21*; nec enim adeo anguſtam terram fuiſſe, cum plures reges habuerit *Jer. XXV, 20.* Pro הימים *Gen. XXXVI, 24*, cum *Bocharto* legendum eſſe exiſtimat האימים, quod ſcribitur cum א *Gen. XIV, 5*, vel ſine illo *Devt. II, 10, 11. Anam* ſcilicet magna 144, 145. 146.

Pag. 147-149. virtute irruiſſe in Emim, illosque percuſſiſſe. Reges, qui Idumææ præfuiſſe dicuntur *Gen. XXXVI, 31 39*, Horitas fuiſſe, ex poſteritate *Seir*, contra *Cumberlandum* negat, cum illi, ab *Edomo* victi, terræ reges dare non potuerint. Quod *v. 31* dicitur, *illi fuerunt reges, antequam in Iſraele reges fuerunt*, non ſcriptum eſſe a *Moſe*, ſed a *Samuele* forſitan adjectum, *Moſen* non niſi ad *Jobabum* pergere potuiſſe, quo regnante ipſe forte vi-
150,151. vendi finem fecerit. Qua ratione vero *Edom*, ejusque poſteri, alias, itemque alias, provincias regno ſuo adjunxerint, in ſequentibus docet; veritati etiam propius eſſe id, quod de Erythra narrat *Xenophon*, ipſum ad ſinum uſque Perſicum penetraſſe,
151-153. ejusdemque ſepulcrum ibi ſupereſſe, de *Edomo* intelligendum.

Diſſertatio XVI complectitur *periplum maris rubri*. Appellatur illud ים סוף, *mare fruticoſum*, non ſolum a papyraceis arundinibus, ad litus illius naſcentibus, ſed & a ſilvis ſubtermarinis corallii, algæ, & aliorum fruticum. Græcis appellatur *ἐρυθρὰ θάλασσα Exod. X, 9*, ab *Edomo*, qui non longe ab hoc ſinu primas ſedes nactus, medii ævi ſcriptoribus *ſinus Arabicus*, ab Arabibus accolis, recentioribus *mar del Mecca*,
155. *Calzen*. Illius ſinus maxime celebres ſunt *Heroopolitanus* & *Elaniticus*, non ex ſententia *Bochartı* ab Horitis, ſed potius *Pharaone*, ejusque magnatibus, heroibus, ibidem ſubmerſis, dictitatus. Adhæc nominatur apocopa & clysma. Prius notat abſciſſionem, poſterius ſubmerſionem, in quo utroque nomine ingreſſus & egreſſus Iſraelitarum, Ægyptiorum contra ſub-
156,157. merſionis, memoria eſt ſervata. In ſequentibus de ſtationibus Iſraelitarum & præcipuis locis, quæ ſinus hic alluit, diſſerit.

157-164. *Diſſertatio XVII* explanat *faciem ſinus Perſici* cum adjacentibus regionibus, urbibus, ac inſulis, quas efficit. Antiquitus dicebatur *mare orientale*, oppoſitum *occidentali*, id eſt, mediterraneo. *Joel. II, 20*, nominatur ſinus Perſicus, quia Perſidem alluit; alia nomina tum priſca, tum recentia, addit & explicat. Urbes, quas nominat, ſunt *Baſora*, portus & emporium nobile, ad influxum Euphratis & Tigridis in ſinum Perſicum, qui inde *Golfo de Baſora* nominatur; *Charax*, quam nativitate ſua nobilitavit *Dionyſius Periegetes*, ab *Alexandro*, qui illam

Illam incolis implevit, *Alexandria*, item *Pellenium*, dicta, reſtituta a *Paſine*, regis alicujus Arabiæ filio, cum a flumine multum paſſa eſſet, unde *Paſinium vallum*, ſive *Paſinicharax*, eſt nuncupata, *Perſepolis*, de cujus ruderibus, magnificentiæ teſtibus, inſcriptione, *Semiramidis* ſepulcro, quædam habet.

Diſſertatio XVIII luſtrat *Arabiam petræam*. Illa num ab *occidente*, ſitu ſuo, an vero diverſorum populorum commixtione, *Jer. XXV, 20*, ſit dicta, non definit; nomen ſaltem Chronicorum demum libro in ſacris occurrit. *Petræam* dici a metropoli *Petra*, reſpondente priſcæ appellationi Ebraicæ *Sela*, niſi forte etiam priſca appellatio ducta a ſolo lapidoſo & confragoſo, quod rupes vaſtæ undique cingunt. Illius ſpectat montes *Saphar*, dictum a pulchritudine, ad diſtinctionem forte montium nigrorum κατακεκαυμένων, *Caſium*, in quo delubrum *Jovis Caſii* & tumulus *Pompeii*. Ex urbibus nominat *Luſam*, quæ etiam ſcribitur *Louſa* & *Louza* & *Eleuſa*, quam pro Nyſa, *Bacchi* patria, habet, cum ſitus faveat, & *l* in *n* apud Græcos & orientales haud raro convertatur. In Scholiis Græcis ad *Devt. I, 1*, pro Ἰδουμαίας ὀρέων reſcribi vult Ἰδουμαίας ὀρέων. Diſtinctionem inter Libanum & Anti-Libanum antiquis temporibus non obtinuiſſe, rationibus non contemnendis adſtruit. Damaſcum habet urbem antiquiſſimam *Gen. XV, 2*, non autem ſtructam ab *Elieſere Damaſceno*, quod *Hieronymo* & aliis viſum, ſed potius *Arame*, filio *Utz*, ſitam in regione amœniſſima, ut hinc Arabici ſcriptores jactitent, ſolem hic habere diverſum adſpectum & benigniorem influxum, quam ullo alio in loco, unde *Julianus* Imp. illam maximi fecit, & *Muhammedes* pro paradiſo aliquo reputavit, huc etiam exemplar aliquod αὐτόγραφον Alcorani miſiſſe fertur. Inde luſtrat Trachonitidem, Ituræam, Auranitidem, montem, diverſa principum Midianitarum nomina exponit, ortum Jordanis, ejusque curſum, ſpeculatur, ac montem Panæum deſcribit.

Pag. 164-171. 172. 173, 174. 175, 176. 177, 178. 178-181.

Diſſertatio XIX deſcriptionem *Arabiæ deſertæ* ſiſtit. Illius quoniam in ſacra Scriptura diſtincta mentio non fiat, indicio id eſſe, cum Arabia petræa olim confuſam eſſe. Limites illius ponunt Geographi ad ſeptentrionem Thapſacum, ſive Amphi-

Amphipolin ad Euphratem, ad orientem montes Chaldæos; facies illius satis tristis, nisi quod ad ripam Euphratis aliter se habeat, ubi densæ sunt arbores, frequentes urbes, pagi, ca-
Pag. 181, stella. Incolæ fuerunt Agræi, Agareni, sive Hagaritæ, juxta
182. quos habitarunt Saccæi, quos non a *Suacho* ortum suum cum *Spanhemio* habere existimat, sed a שך, vel סך, *tugurium*, sive *tabernaculum*, quia scenitæ fuerint, quin forsan eosdem esse, quos *David* appellat *Meschech Ps. CXX, 5.* Basanæam & Batanitidem eandem esse, contra *Spanhemium* probat, cum situs, qualis describitur a *Josepho*, *Eusebio*, *Hieronymo*, faveat, nec objectionem valere, Basanæam fuisse fertilem, Batanæam sterilem, quia terra non ubique locorum ejusdem indolis fue-
183. rit. Inde notat lapsus aliquos, a *Bocharto* circa Maachah & Au-
184, 185. sitiden admissos. Lilith, quæ nominatur in paraphrasi Chaldæa *Jeb. I, 15*, fuisse reginam & forte Chaldæam.

Dissertatio XX contemplatur *Arabiam felicem*, ita dictam, quia aromatibus, thure, casia, auro, abundet, cujus incolæ
185. ob aromatum odorem doloribus capitis sæpe affligantur. Arabibus nominatur *Yaman*, *Jaman*, sive *Alieman*; illam olim habitarunt Sabæi, Minæi, Chatramotitæ, & Homeritæ. Celebriores urbes sunt *Jemama*, sive *Jamama*, a qua tota regio nomen tulit, *Sanaah* locuples, cœli ac soli temperie insignis, ut Damasco haud inferior habeatur, sed omnium celeberrima *Mariaba*, quæ antiquæ Sabæ successit, quæ aliquando gravem inundationem passa, ut incolæ omnes perierint, ad quam rui-
186-188. nam forte alluserit *Jobus XIV, 19.* Reginam Sabæ, quæ ad *Salomonem* accessit, quamque Arabes appellant *Belkir*, vel
188, 189. etiam *Maqueda*, fuisse reginam Sabæ, sive Mariabæ. In Arabia hac multos repertos esse Judæos, forte eo delatos, urbe a *Vespasiano* eversa, vel ab *Hadriano* eo translatos, vel ortum duxisse ab Idumæis, qui post *Joannis Hyrcani* tempora Judæorum sacra amplecti sint coacti.

189, 190. *Dissertatione XXI* Autor digreditur ad *Magos*, qui ad Christum recens natum venerunt, quos ex Arabia venisse arbitratur, quia, quæ attulerunt, thus, myrrham, & aurum, ex Arabia habere potue-

potuerunt, quos regulos fuiſſe conjicit, quales in Arabia plures fuerint. Pag. 191-195.

Diſſertatio XXII eſt de *Chamo*, *Chuſch*, et illius poſteris. Hic docentem videas Autorem, *Chuſch*, *Chami* filium natu primum, in partibus orientalibus initio conſediſſe, inde vero in feliciores ſedes, Arabiam ſcilicet, penetraſſe, in qua ampliſſimum regnum condiderit. Per *Cuſch ben Jemini Pſ. VII, 1*, intelligendum eſſe *Doeg*, qui, licet Edomita dicatur, potuerit tamen eſſe *Cuſchita*, quia gentes illæ conterminæ, illum dici *ben-Jemini*, quia forſitan proſelytus factus, inſertus tribui *Ben-Jamin*. Abyſſinos 197.
nomen habere ab Arabico *habeſch*, multitudinem hominum, ex diverſis tribubus collectam, denotante, hos originis Arabicæ eſſe, ex convenientia linguæ Amharicæ & Arabicæ probat. Abyſſinos 197-201.
regem & primores regis ſe appellare Iſraelitas, tradere ipſos, reginam Sabæ ex *Salomone* filium, nomine *David*, genuiſſe, qui Hieroſolymis inſtitutus, inde vero cum nobilibus Judæis et nonnullis ſacerdotibus cum lege fuerit remiſſus, ſectari ipſos Judæorum mores, tum in religione, tum in rei publicæ ac militaris forma. Judæos inter illos poſſediſſe amplas et pulchras regiones, proprium habuiſſe principem, in communi vitæ conſuetudine uſos fuiſſe dialecto Talmudica, qui videntur ipſi primum ingreſſi cum *Menilcheleko*, filio *Salomonis* ex Sabæa regina, poſt auctі per exules, qui tempore *Schiſchak*, *Nabuchodonoſoris*, & *Veſpaſiani*, Judæa exceſſerint, quique, cum, imperante *Conſtantino*, Chriſtiana religio per Abyſſinorum terram invaleſceret, 201-205.
ſuam religionem ac ritus retinuerint.

Diſſertatione XXIII Autor commentatur de *triplici Idumæa*. Conſiderat igitur montem Seir, urbes *Kadeſch*, quæ non Cadytis *Herodoti*, cum urbs illa deſcribatur tanquam ampla, capta a *Pharaone Neco*, ut hinc non alia, quam quidem Hieroſolyma, intelligi poſſit, *Bozram*, ex qua forſitan oriundus *Jobus*, *Themanem*, *Dinhabam*, quæ eadem putatur *Dizahab Devt. I, 1*, 206-215.
alias.

Diſſertatione XXIV diſputat de *cardinibus cœli* & *bene kedem*. Ebræi & orientales faciem mundi habent orientem, cujus rationem hanc dant Judæi, quoniam *Adamus* faciem obver-

terit orienti. *Bene kedem* occupasse totum illum tractum, qui a Charran Mesopotamiæ ad Arabicum usque sinum protenditur; horum igitur nomine intelligendos esse Midianitas, Amalekitas, Saracenos.

Dissertatio XXV recenset *liberos Jobi*, ac illorum fata. Huic
Pag. 212- ante calamitatem nati fuerunt septem filii, tres filiæ, *Job. I, 2;*
215. convivium die suo, id est, natali, celebrasse *v. 4.* Filii ipsius non videntur fuisse scenitæ ex *v. 18, 19*, cum potius in domibus & palatiis habitarint. Inde Autor explicat nomina filiarum, quæ ipsi versis in melius rebus procreatæ, memorata *Job. XLII, 14*, quæque possessiones nactæ fuerint inter fratres, ac terris illis nomina dederint, *Jemimam* regioni Jemimæ, imo universæ Arabiæ, nomen imposuisse, a *Kezia* appellatum esse montem Casium, vel Cassium, *Keren Happuch* memoriam remansisse in Carna, urbe Minæorum, ex sententia *Strabonis*, maxima, quæ aliis dicitur *Samargard*, inde *Aquila* nomen hoc reddit Κερνασφέκ. Quod filiabus cum filiis hæreditatem dederit, id factum forte
215-219. fuisse more apud Arabas usitato, cujus vestigia deprehendantur in Corano.

Dissertatione XXVI sermonem instituit de *Jobi uxore*, quam non *Dinam*, *Jacobi* filiam, quod magistri contendunt, sed
220,221. Arabem, fuisse judicat, ac post ærumnas superstitem exstitisse.

Dissertatio XXVII amicorum Jobi nomina exponit, et,
222-231. quibus terris oriundi fuerint, edocet.

Dissertatio XXVIII agit de *inimicis Jobi*, ex quibus nominantur primo *Scheba Cap. I, 15*, inde Chaldæi *v. 17*. Hos Sabæos non arbitratur natales duxisse ex *Scheba*, *Abrahami* ex *Keturæ* nepote, sed potius ex progenie *Chami* & *Cuschi Gen. X, 16*; hos primum nominari, quia viciniores fuerint, inde Chaldæos. Hac occasione disceptat, quid Chaldæus sibi velit, nominando *Li-*
232,233. *lith*, reginam Samargard & Bartlinn, procul dubio illam fuisse reginam Babylonicam, sive Chaldæam.

Dissertatio XXIX investigandæ *patriæ Jobi* est destinata. Arabem fuisse, fatentur omnes, ob Arabismos frequentes, constantem Arabum traditionem, ritus illorum in libro eius occurrentes, sublime dicendi genus, & quæ huius generis sunt alia. *Sed*,

num

num Arabia felix, an deserta, an petræa, patria ipsi sit assignanda, in partes discedunt eruditi. In Arabia *felici* quærunt *Villalpandus*, itemque *Guil. Temple*, quorum argumenta examinat & refellit. Pro Arabia *deserta* pugnant *Bochartus*, *Spanhemius*, *Cellarius*, alii, sed nec horum sententia ipsi probatur. Qui in Arabia petræa sedem *Jobi* locant, hi rursus in duas secedunt partes, quorum alii *septentrionalem* illius partem, ubi olim Idumæa fuerit, patriam *Jobi* nominant, sed nec illis pollicem premit, potius in australi parte iuxta Idumæam sedem suam constitutam habuisse pertendit, & quidem speciatim *Jobi* habitationem fuisse in Aulone magno. Et, si qua fides habenda traditioni hodiernæ, viris antiquitatum peritissimis, & eruditis Scholiastis, dici posse *El-Paran*, sive urbem, sive terebinthum, sive planitiem, aut campestria, Paranis, sedem *Jobo* præbuisse; ita enim habere Scholia Græca ad *Gen. XIV, 6*, edit. Londin. 1653: τερεβίνθε Schol. δρυὸς, ἡ πόλις αὕτη τοῦ Ἰὼβ, & *Hesychium* τερεβίνθος πόλις Ἰώβ. Duos igitur amicos, *Bildadum* & *Zopharem*, probabilius in Arabia felici, *Eliphazum* in Idumæa, sedem habuisse, *Elihu* non longe ab ipso habitasse, imo forsan, quod Judæi dicunt, ex illius schola prodiisse. Ad Arabiam petræam, & quidem partem illius australem, *Jobum* passim in libro suo alludere. Pag. 234, 235. 234 244.

Dissertatione XXX Autor de *tempore Jobi* disquisitionem instituit. Ipsum 210 annos vivendo exegisse, quot anni ipsi dantur in *Seder olam* & *baba bathra*, maxime habet probabile. Quodsi enim post calamitates vixit annos 140, *Cap. XLII, 16*, ipse 60 annos habuit, quando afflictiones ipsum oppresserunt, denique 7, vel 8, annos in calamitatibus exegit, numerus hic facile efficietur. Ipsum autem circa *Mosis* tempora in vivis fuisse, probat ex eo, quod ipse passim ad res, quæ Israelitis, Ægypto excedentibus, obvenerunt, fissionem scilicet maris, alludat, Ægyptum venire sub nomine *Rahab*, *Pharaonem* appellare Leviathanem & draconem. Quam suam sententiam deinde fusius explicat, & illorum opinionem, qui ipsum vel *Mose* anteriorem, vel superiorem, faciunt, refellit. Ipsum etiam librum suum, vel ex amicis aliquem, conscripsisse; quæ vero de morte ipsius sunt adje- 244,245.

ata, subjunxisse forte *Elihu*, vel alium quendam virum divinum, librum forte ab *Elimelecho* & *Naemi*, agentibus in Moa-
Pag. 245- bitide, repertum, indeque in solatium familiæ suæ relatum
255. fuisse.

Dissertatio XXXI ostendit *scientiam Jobi in arte militari*,
255-258. quam ut declaret Autor, varia armorum bellicorum nomina exprimit et explicat.

Dissertatio XXXII declarat *Jobi jurisprudentiam*, & quidem habita ratione legum ac consuetudinum, quæ inter Arabas viguerint. Σκοπελισμὸν, inter Arabes supplicium satis frequens, innuere *Job. V, 23, XXXI, 38, 39.* Cum inter Arabas juris fuerit, ut filiæ in parentis bona æque ac filii succederent, filiabus possessiones inter fratres suos dedisse *Cap. XLII, 15.* Ad morem judiciorum, accusationes, defensiones, libellos supplices, ex-
258-261. promissionem, passim respicere, imo forensia verba subinde adhibere, productis exemplis demonstrat.

Dissertatione XXXIII commentatur Autor de *metallis, arboribus, fratricibus*, apud *Jobum* obviis. Illis interspergit conjecturam aliquam de Ophir *Salomonis*, quam forte in Arabia quærendam esse suspicatur, cuius nominis vestigia quædam superstint in
261-264. Aphara *Arriani*, Σωφιρ & Σωφιραμ LXX, itemque Maphirite regione in inferiori Arabia.

Dissertatione XXXIV diversa *gemmarum* nomina, quæ apud *Jobum* occurrunt, illustrat. Notat *Salmasium*, qui nomina gemmarum, quæ tamen vel Ebraicæ, vel Arabicæ, originis sint, ex Græcia vult arcessita. Inde vim nominum פתדה *Cap. XXVIII, 19*, ספיר *Cap. XXVIII, 6*, topazii *v. 19*, quod non cum *Salmasio* petendum a τοπάζειν, *quærere*, sed ab *opbaz* potius, derivari, cum *t*, per prothesin præmisso, שהם *vers. 16*, זכוכא *v. 17*, ראמות *v. 18*, גביש *v. 18*, quæ vox a multis redditur *unio*, ex גב, *excelsum*, *eminens*, unde גבן, ex quo *gibbus* & *gibbosus*, quoniam conchæ, uniones inclusos habentes, rupibus altis accrescunt, vel quoniam uniones in pinna, sive concha, ut verrucæ eminent, vel a גבה, *se extollere*, *elevare*, *excellere*. Quod Latinis *unio* ex nonnullorum sententia dicatur, quoniam singuli tantum in concha reperiantur, id falsum esse demonstrat, cum

apud

apud Britannos aliquando duo, vel plures, licet minores, in una concha inveniantur, in una concha maris Indici aliquando ultra 100 offendi, nonnullos teſtari. Illos ab urinatoribus multo cum periculo ex fundo maris extrahi, eosdemque in India & Arabia reperiri, præſertim in ſinu Perſico & Arabico; inde eſſe Erythræos lapillos, Autoribus familiares; omnium nobiliſſimos eſſe illos, qui in ſinu Perſico ad inſulam Baharen extrahantur, quam ab illis forte nomen accepiſſe cenſet; *babara* enim Arabibus eſſe *lucere*, & Chaldæis *babir lucidum* eſſe. Pag. 264-270.

Diſſertatione XXXV conſiderat *calamitates*, quæ non memorantur in prologo libri, quas tamen *Jobus* paſſim delineare videtur. 271.272.

Diſſertatione XXXVI agit de *conſtellationibus* & *meteoris*. Ponit ſcilicet, *Jobum*, & populares, itemque Ægyptios, & Chaldæos, Aſtronomiæ deditos fuiſſe, de ipſius autem peritia teſtari librum ipſius, cumprimis locum *Cap. IX, 9*, cujus voces omnes, quæ in illo occurrunt, explicat. Per עָשׁ quod *Cap. XXXVIII, 32*, עיש a עִיש *coire*, *congregari*, ſcribitur, congregationem ſtellarum, quam Græci ἄρκτον, Latini *urſam*, ſive *plauſtrum*, ſive *currum*, appellant, per כסיל *orionem*, ob ſuam in tempeſtatibus ciendis inconſtantiam, per כימה *pleiades*, a כמה, *deſideravit*, quoniam illæ tempore verno oriantur, quod omnibus deſiderabile, per הדרי תימן *penetralia auſtri*, auſtrales ſtellas, interque illas ſyrium, intelligendum eſſe judicat, quoniam illis, qui in hemiſphærio ſeptentrionali degunt, occultantur, indeque penetralibus incluſæ eſſe videntur. *Cap. XXXVI, 32*, & *XXXVII, 21, 22*, lumen boreale innui judicat. Poſteaquam igitur diverſas meteori hujus ſpecies enarraverat, & *Plinium* ipſum *Lib. II Cap. 25, 26, 33, 34*, ad hoc Φαινόμενον reſpicere docuerat, notiones, quæ in citatis *Jobi* locis occurrunt, ad meteoron hoc plane admirabile accommodat. 272-273. 273-279.

Diſſertatione XXXVII agit de ave *phœnice*, occaſionem ipſi ſuppeditante loco *Cap. XXIX, 18*, ubi vocem חול nonnulli convertunt per phœnicem. Nomen non derivat cum *Bocharto* a *bene-Anak*, ſed ענב *Ezech. XXVII, 17*, quam *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotio*, efferant Φάννας. Inde, ubi illa, quæ de

phœnice paſſim habentur, in medium protulerat ac examinaverat, exiſtimat, *manucodiatam*, ſive *avem paradiſi*, ſub fabula illa latere, licet non ſit una in ſpecie ſua, quæ inveniatur in in-
Pag. 279- ſulis Moluccenſibus, ſpeciatim inſula Ara, & inde forte in
284. Arabiam avolare, vel tempeſtatibus eo deferri.

Diſſertatione XXXVIII in diſquiſitionem mittit, quæ *Jobus* de *behemot* & *leviathan* habet. Poſtquam igitur illorum ſententiam diſcuſſerat, qui, elephantem intelligi, volunt, ipſe, deſcriptionem, quæ *Cap. XL* inſtituitur, *hippopotamo*, in fluvio Nilo non longe a *Jobi* patria degenti, quadrare, ſtatuit, quocum animal, quod nautis Anglis *mors* dicitur, multum ſimilitudinis habeat.
284-289. Per *leviathanem* intelligit *crocodilum*; quare argumenta *Bocharti* pro illa ſententia ulterius ſtringit & confirmat. Obſervat tamen, per behemot & leviathan myſtice repræſentari regem Ægy-
829-301. pti, itemque *Nabuchodonoſorem*, Babyloniorum imperatorem, in nonnullis vero locis ſuſtinere ſymbolum ipſius dæmonis.

Diſſertatione XXXIX in *originem mali* inquirit. Proponit igitur ſententiam Chaldæorum ac aliorum de duobus principiis
301-312. æternis, cui ſi non *Bælius* adſtipulatus fuerit, ſaltem, ex ratione refutari poſſe, negarit.

Diſſertatione XL in *primos natales idololatriæ* penetrat, quam ante univerſalem eluvionem *Cainum* introduxiſſe, poſt illam *Chamum* renovaſſe, exiſtimat, ſolem fere tanquam ſymbolum Dei veneratos fuiſſe, prout patres Deum ſub ſchechina apparentem divinis profecuti ſint honoribus. *Καχεζηλίας* multa dæmonem in profano cultu uſum fuiſſe, quod igne ex ſacrificiis proſiliente, oraculis, ſacrificiis humanis, & his ſimilibus, probat.
312-320. Cultum ſolis & lunæ inter Arabas obtinuiſſe, ex *Cap. XXXI*, *26*, *27*, apparet.

Diſſertatione XLI de *Sabæis* ac *Sabaiſmo* commentatur. Nomen derivat a *Saba*, filio *Cuſch*, nepote *Chami*, qui autor impiæ religionis inter ipſos exſtiterit. Coluerunt ſtellas & planetas, ſolem ſupremum Deum habent, planetarum imagines portatiles ſub certa conſtellatione ſunt fabricati, in quas incantatione magica ſpiritus aliquos impuros devocarunt, quas ad bona impetranda ac mala averruncanda facere ſibi perſuadebant.

Sacrorum

Sacrorum præſes ipſis dicebatur *Chumar* a כמר, quoniam atratis indutus erat veſtibus, quod nomen poſtea omnibus ſacerdotibus Baalis eſt accommodatum *Zeph. I, 4.* Hi canem nigrum, & quicquid nigrum erat, colebant, diabolum, principium omnis mali, Deo coæternum habuerunt, quæ ſententia tranſiit ad Gnoſticos, Valentinianos, Maſſalianos, Euchitas, Bogomilos; illorum etiam, qui Sabæorum inſtituta ſectantur, ingens numerus ſupereſt in monte Libano, ejusque confinibus, qui dicuntur *Duruzim*, *Durzii*, ſive *Druſi*, *Kalbii*, *Yezidæi*, *Sheitani*, ſive *Satanici*, *Chamſi*, quorum numerum ad 200000 aſſurgere, ſunt, qui affirmant. Illorum ritus pluribus deinde perſequitur. Pag. 321-328.

Diſſertatione XLII explicat ſententiam *Zoroaſtris*. Duorum principiorum illorum fieri mentionem in *Jobo*, per lucem vitæ *Cap. XXXIII, 28*, Deum omnis lucis, omnis bonitatis cauſam, intelligendum eſſe, cui oppoſitus diabolus lucis ac Dei inimicus, a Deo creatus, ſed non malus. *Zoroaſtris* ſyſtema non eſſe idem, quod Sabæorum, quam ſententiam fovet *Bèlius*, qui ſtatuit *Oromasden* Deum bonum, omnis lucis autorem, eique adverſum *Arimanium* diabolum, creatum a Deo, ſed bonum, malum autem factum ſua culpa. Cum autem illius ſectatores poſtea in partes diſceſſerint, ut 70 ſectæ ſint numeratæ, mirum non eſſe, illorum aliquos ad impiam Sabæorum doctrinam prolapſos eſſe. Inde præcepta virtutis ex *Zundaveſta* proponit. 329-333.

Diſſertatione XLIII docet, deſcriptiones *behemot*, *leviathan*, equi, ac aliorum animalium, adeo accuratas, tantoque artificio ex interna ſua natura exornatas eſſe, ut non facile tales apud ullum Poetam reperiantur. 334-340.

Diſſertationem XLIV inſcripſit de ὀφιολατρείᾳ, quam inter Chaldæos, Ægyptios, Phœnices, Græcos, atque Romanos, obtinuiſſe, luculentis teſtimoniis confirmat. De *Cneph*, Ægyptiorum Deo, notat, illum judicari vulgo ſerpentis ſpeciem retuliſſe, ſed probabilius videtur ipſi, ingentis culicis formam repræſentaſſe, cum Græcis κώνωψ culex, & rete ad culices arcendos comparatum κωνωπεῖον dicatur. *Exod. VIII, 17*, non *pediculos*, ſed *culices*, intelligendos eſſe. 344, 345.

Diſſer-

Dissertatione XLV investigat voces שאול & ἅδης. Occasione illa notat, vocem *Cerberus* forte ortum suum ducere ex קירבור, vel באר, *murus putei*, qui murus igneus, canis ignivomus, janitor inferorum. Inde vim vocum בור, באר, item שחת, & Græcarum φθορὰς ac διαφθορὰς, declarat.

Pag. 345-348.

Dissertatione XLVI versatur circa contemplationem *magiæ*. Posteaquam igitur distinctionem inter magiam *naturalem* & *diabolicam* præmiserat, quæ posterior pactum cum pessimo genio, si non *formale*, saltem *virtuale*, involvat *Deut. XVIII, 11, Jes. XXVIII, 15, 18*, docet, illam se ex Chaldæa, matre omnis magiæ ac superstitionis, diffudisse ad Arabas, Ægyptios, Chananæos, Persas, Medos, Assyrios, Græcos, Asiaticos, indeque ad Europæos & Romanos; speciatim demonstrat, ex Chaldæa & Mesopotamia ad Ephesios deveniſſe, quorum γραμματα satis famosa. Ex illis nonnullas voces barbaras superare apud *Clementem Alexandrinum* & *Hesychium*, hoc inclusas versiculo:

Ἄσκι, κατάσκι, τέτρας, λίψ, ἄσι, δαμναμενεὺς,

cujus singulæ voces in processu expendit. Apud Arabas illam viguisse, dubium esse nullum. Necromantias vestigia quædam animadverti in libro *Jobi*, סמרירי יום, *sacerdotes diei*, non esse nisi Chaldæos, genethliacos.

348-352.

Dissertatione XLVII agit de *Bileamo*, cujus nominis rationem ubi dederat, de patre ipsius docet, binominem fuisse, hinc esse, quod filius *Beor Num. XXII, 5, XXXI, 8, Jos. XIII, 22, XXIV, 9, Mich. VI, 5*, & τῦ Βοσὸρ *2 Petr. II, 15*, dicatur, nisi Bosor locum natalem indicet. Patria fuit Syrus *Num. XXIII, 7*, speciatim Mesopotamia oriundus *Num. XXII. 5*. Urbs patria ipsi fuisse dicitur Pethora *Num. XXII, 5*, per quam non intelligenda sit Pacoria, ad Euphratem sita, cum hæc recentior longe, condita demum a *Pacoro*, Parthiæ rege; alii, Borsippen & Barsiten eundem locum esse, conjectant, dictam a בור & ספן, *putrus occultus*, quoniam magi in abditis speluncis sacra faciebant, Barsiten a בור & סות, *persuadere, consulere*. Fuisse ipsum falsum Prophetam, qui vero tum temporis a Spiritu sancto fuerit illuminatus. In vaticinio suo *Cap. XXIV, 15 seq.* exhibere

bere prophetiam, ſe protendentem ad omnes populos, Dei inimicos, ad ultima uſque tempora, quam ipſe ordine explanat, ac implementum indicat, de Rechabenis ac Eſſenis quædam inſpergens, conſideratione non indigna. Pag. 352-376.

Diſſertatio XLVIII complectitur *ἀντίσοιχα* ex Scriptura Sacra, Perſis, Magis, Ægyptiis, Græcis, Romanis, Saxonibus. 377, 378.

Diſſertatio XLIX modum ſcribendi inter veteres eruit. Vel maxime occupatur in explicandis verbis *Jobi Cap. XIX, 23, 24.* De voce חרת, quam interpretes plures omittunt, notat, deſignare gravem ac vehementem animi commotionem, quæ tamen non ita commoda voce exprimi poſſit. Plumbo veteres uſos fuiſſe docet, ut in illo res, quas oblivioni eripere volebant, exprimerent; quoniam autem etiam plumbum igne liqueſcit, ideo vult petræ inſculpi; Arabas autem multa petræ ac ſaxis impreſſiſſe, paſſimque στήλας lapideas, inſcriptionibus ornatas, excitatas fuiſſe, teſtimonio *Plinii* confirmat. 379, 380.

Diſſertatio L eximium oraculum *Jobi Cap. XIX, 25, 26, 27,* de *goele* & *reſurrectione* illuſtrat, illudque non de liberatione aliqua ex calamitatibus corporis, ſed potius ſpirituali redemtione, intelligendum eſſe, contra *Grotium* evincit. 381-387.

Diſſertatio LI de *nupero modo interpretandi Scripturas* inſcribitur. Præmittit Autor, ingens eſſe diſcrimen inter Socinianos & Arianos, quorum hi longe ſint integriores illis, loca Scripturæ, quæ de Chriſto agunt, de illo interpretando. Inde, quid de *Grotii* interpretamentis habendum ſit, expromit. Has autem poſitiones probandas ſumit: 1) Locos Scripturæ ſacræ plurimos, qui de Deo extra omnem controverſiam dicuntur, ad Chriſtum a Judæis antiquis & eorum Targumim, itemque a Patribus ante-Nicænis, ſemi-Arianis, imo rigidis *Arii* ſectatoribus, applicari; 2) Deum nunquam apparuiſſe, vel locutum eſſe, patribus antiquis, ſed per filium illis apparuiſſe, locutum & operatum eſſe; 3) utramque hanc propoſitionem a ſcriptoribus Novi Teſt. probari. 387-395.

Diſſertatione LII diſſertat de *fide Jobi & Elihu*, qua de

Pag. 395-402. catusa per singulos fidei articulos it ac demonstrat, de illis *Jobum* & *Elihu* persuasos fuisse.

Dissertatione LIII ostenditur, textus nonnullos a LXX nimis caute conversos esse, & additamenta fini *Jobi* addita esse. Mutationes instituisse vel ob metum Ægyptiorum aliorumque infidelium, vel ut honori gentis suæ consulerent, vel denique ex pietate & κακοζηλίᾳ præpostera, quod ipsum in medium prolatis exemplis comprobat. Hoc autem non eum in finem facit, ut versio hæc in contemtum adducatur, cum maximi sit usus, sed ne qui eo audaciæ prolabantur, ut versionem hanc Ebræo textui vel æquiparent, vel anteferant. Inde pergit ad additamenta *Jobi*, cumprimis notabile illud, quod *Cap. II, 9*, insertum, occasione forte sumta ex contextu, licet πάθει suo & oratoriis luminibus non destituantur. Sed maximum omnium esse illud, quod in fine libri legitur, cujus variantes lectiones cum diversis interpretibus ac editionibus confert. Illud nonnulli ab ipso Spiritu sancto profectum esse autumant, quod in gratiam versionis vulgatæ facit *Bonfrerius*, alii spurium omnino, ab incerta manu adjectum, habent; Noster, media via incedendum esse, existimat, ejusdemque autoritatem devterocanonicam esse judicat. Quod de resurrectione *Jobi* cum illis, quos dominus sit suscitaturus, dicitur, hoc statuit cum *Spanhemio* a Judæo quodam hellenista ex *Jobi XIX* esse
402-413. expressum, quo Sadducæorum hæresis reprimeretur.

Sic igitur brevibus lineis argumentum eximii hujus Operis indicavimus. Ut, quas subjungit Autor, collationes variarum interpretationum pariter percurramus, institutum nostrum non patitur, nec tanta cum utilitate Lectoris est conjunctum. Ex iis autem, quæ in medium produximus, cuique facile constabit, quid de Opere hoc sit judicandum. Tantam lucem ex prisca historia affundit *Jobo*, quanta in illa temporum antiquissimorum caligine exspectari poterat. Si conjecturis subinde Autor indulget, id vitio ipsi ferendum non est, quia, ubi certa documenta deficiunt, suspicionibus uti nos posse, quisque facile largietur. Optandum tantum esset, ut eruditissimum hoc Opus extra Britanniam typis iteraretur, quo illud pluribus usui esse posset.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. GOTTING. im Jahre 1739 wöchentlich herausgegebener hiſtoriſcher Müntzbeluſtigung eilffter Theil.

hoc eſt,

PARS UNDECIMA HISTORICARUM DELICIARUM ex Numis, A. 1739 ſingulis hebdomadibus editarum.

Norimbergæ, impenſis viduæ Chriſtophori Weigelii, ſenioris, 1739, 4.

Alph. 2 plag. 10.

Deliciis hiſce denuo delectamur, atque oblectationis noſtræ veſtigia ſpargimus merito longe lateque. *Tomum* hunc Cel. Autor Antiſtiti ſacræ Gandersheimenſi inſcripſit, cui, invita & refragante domo Brunſuico-Luneburgenſi Sereniſſima, dignitatem Principatus imperii eſſe propriam, ſibi perſuaſit. Præfatione continuavit ſyllogen Numorum uncialium, quos noſtrates ſolent Thaleros appellare. Continuatio hæc in ſuo genere eſt præſtantiſſima, eaque jam nona. Exhibentur ea deſcriptiones Thalerorum, quos feriendos curarunt familiæ Principum juniorum, nominatim ab *Arembergo*, *Aversbergo*, *Croy*, *Dietrichſtein*, *Eggenberg*, *Furſtenberg*, *Hohenzollern*, *Lamberg*, *Lichtenſtein*, *Lobkowitz*, *Lowenſtein*, *Mansfeld*, *Naſſovia*, *Ottinga*, *Friſia* orientali, *Piccolomini*, *Portia*, *Salm*, *Schaumburgo*, *Schwarzburgo*, *Schwarzenbergo*, *Turre* & *Taxis*, *Trutſohno*, & *Waldeck*, dictorum. Solent paſſim unciales, a Comitibus, Principum horum progenitoribus, percuſſi, ſimul afferri. De ſingulis horum Principum originibus Autor perdocte & ſuccincte exponit. Communicabimus cum Lectore potiora. Cœperunt hæ Deliciæ jam in Gallicum converti ſermonem, quæ ratio eſt, cur ſoli facem præferre, vel vino lectiſſimo hederam ſuſpendere, nolimus. Numus ſepulcralis Landgraviæ Haſſo-Caſſelanæ, † 1711, 16 Jun. ex *Jacobo*, Duce Curonum, natæ, *Carolo* A. 1673 nuptæ, aperit ſcenam. Excipit eum numus, quo *Georgius II*, Angliæ Rex, Elector Pag. 9.
Brunſuico-Luneburgenſis, conſortem thalami Reginam *Wilhelmi-*

nam Carolinam A. 1738 memoriæ ſempiternæ conſecravit. Et digna eſt profecto tanta tamque venerabilis Regina, cujus me-
Pag. 17. moriam perpetuo colant eruditi. Sequitur uncialis *Mauritii*, Comitis Teclenburgici ac Bentheimenſis, ad A. 1657 referendus. Recenſet Cel. Autor ad Numum illuſtrandum hiſtoriam
19. Comitum Teclenburgicam, exorſus a *Simone*, qui *Henrici Leonis* fuit & hoſtis & amicus. Adjungit *Franciſci Wilhelmi*, Comitis Wartembergenſis, Cardinalis & Epiſcopi Ratisbonen-
25. ſis, Osnabrug. Mind. ac Vind. Thalerum ultimum, A. 1661 cuſum. Operæ pretium eſt, virum illum, in Hiſtoria eccleſiaſtica memoratu digniſſimum, propius noſſe. Egregia eſt vitæ illa expoſitio, quam Deliciarum architectus ſubjunxit numi fi-
33. guræ. Quinto loco comparet uncialis, A. 1666 a ſenatu populoque Hannoverano cuſus, quem cum Autore communicavit Vir antiquitatum patriæ peritiſſimus, *C. U. Grupe*, qui commentario etiam illum per literas illuſtravit. Jus feriundi numos *Otto* ac *Wilhelmus*, Duces Brunſuico-Luneburgici, Han-
35. noverano ſenatui A. 1322 vendiderunt. Confirmarunt *Wenceslaus* & *Albertus*, Duces Saxoniæ, id juris ac privilegii A.
40. 1371 & 1373. Reſervarunt autem ſibi Duces jus præſcribendi regulam & normam monetandi, nec non arbitrium, juſſu ſuo in oppidis ſuis cudendi numos. Juri monetæ annexum erat quondam jus cambii publici, ſeu tabulæ numulariæ, quod exigebat, ut ii, qui in loco, cui erat jus monetæ, permu-
41. tare deberent numos alienos numis ejus loci. Rex Daniæ *Chriſtiernus II*, in Norwegiam redux, A. 1531 ex argento templorum numum angulatum juſſit conflari, quem *Kœlerus* repræſentavit, ac vita Regis adjuncta illuſtravit. Sequitur vitam *Chriſtierni* infelicem rarior Thalerus *Joannis Georgii* ſenioris, Marchionis Brandeburgici & Ducis Jægerndorfenſis, ad A. 1611.
57. Succedunt ei duo groſſi veteres cruciati Boruſſici, prior 24 infelicis Magiſtri Teutonicæ familiæ *Marianæ Henrici*, Domini *de Plauen*, poſterior *Henrici Reuſſ*, Domini in *Plauen*, Magiſtri
59. Teutonici 29. *Henricum* priorem illum A. 1413 ab infeſtis Equitibus Ordinis dignitate ſua amotum eſſe, nemo facile ignorat. At, quomodo fama ipſius ab obtrectationibus ſit vindican-

da,

da, nemo adhuc ſolidius *Kalero* oſtendit. Attentionem de- Pag. 65.
inde excitat Numus mnemonicus, in *Juſti Chriſtophori Bœhmeri*, Abbatis Loccumenſis, A. 1732 defuncti, memoriam percuſſus. Repetitur viri ad ſeram poſteritatem commemorabilis vita, in nucem veluti redacta. Tum ſequitur imago numiſmatis, quod *Nicolaum Juel*, Equitem, Regisque Daniæ Archithalaſſum, & pugnam ejus adverſus Suecos navalem A. 1677, Cal. Julii, refert. Pugnam eandem feliciter adverſus Suecos depugnatam repræſentat maximum Numiſma *Chriſtiani V*, Danorum Regis, cujus icon hic æque exhibetur. Porro offert ſeſe uncialis *Caroli II*, Ducis Sabaudorum, A. 1553 cuſus, ejusdemque vita. Excipit eum Thalerus rarior *Nicolai*, Ducis Sabionedæ ac Principis Stiglianenſis, ad A. 1666 rejiciendus. Perplacuit commentarius, quo numus mnemonicus, P. *Quesnellii* memoriam referens, illuſtratur. Rarior eſt Florenus, poſtulationis dictus, *Rudolphi*, Epiſcopi Ultrajectini, anno circiter 1440 cuſus. Miri Epiſcopum hunc vexarunt fortunæ acerbioris fluctus, quos Autor perdiligenter recenſet. Eximius adſpectu eſt Thalerus *Joannis Alberti I*, Ducis Meclenburgo-Suerinenſis, ad A. 1549 relatus. Memoria dignum eſt Numiſma Marchionum, Culmbacenſis & Onolzbacenſis, *Georgii Wilhelmi* & *Wilhelmi Friderici*, A. 1712 percuſſum, quo repræſentatur transactio, inter utramque domum inita Guntzenhuſæ, de ordine eundi ac jure directorii circularis communiter adminiſtrandi. Raritatem præfert Thalerus *Thonæ*, Baronis *de Ehrenfels*, A. 1621 percuſſus. Genus ipſius, quod olim Bavariam illuſtravit, centum abhinc annis exſtinctum fuit. Attentionem meretur Thalerus oppidi Eimbecæ, A. 1625 cuſus. Miramur, Autorem in adjecta de Eimbeca oppido hiſtoria haud meminiſſe Diplomatis *Conradi III*, quo *Henricus Leo* jam partem Eimbecæ confirmatam obtinuit. Rarius eſt Numiſma *Maximiliani*, Domini Pappenheimenſis, Landgravii Stülingenſis, Mareſchalli hæreditarii imperialis, qui initia ſuperioris Seculi illuminavit. Specialem præbet uſum Numiſma, in memoriam ſecularem fundatæ *Krauſſiorum* munificentiæ, quæ Norībergæ

71.

89.

105.

113.

121.

129.

137.

153.

161.

TAB. IV viget, A. 1739 cusum. Rarissimum est Numisma *Joannis Albini*
Fig. 1. *Schlick*, Comitis *de Passaun*, atque conjugis *Joannæ*, Dominæ Wildenfelsensis postremæ. Jucunda sunt ea, quæ Consiliarii *Büchneri* literis de familia *Wildenfelsiorum* enarrantur. Numus,
Pag. 170. qui exhibet memoriam victoriæ, de Comite *de Bossu*, atque clas-
TAB. IV se Hispanica, reportatæ A. 1573 a Frisiis occidentalibus, memo-
Fig. 2. ratu inprimis dignus est. Succedit ei Numus Episcopi putatitii
Pag. 177. postremi Caminensis, *Ernesti Bogislai*, Ducis Croyensis ac Ar-
185. schotani, quem ipse A. 1684 in memoriam mortis suæ excogi-
193. tavit, fierique fecit. Quod sequitur, Numisma spectandum præbet *Justum Lipsium*, Professorem Lovaniensem, A. 1598 cusum. Adjunxit Autor pro merito vitam viri, fama, quam corpore,
201. præstantioris. Numus hunc excipit *Balthasaris de Promnitz*, Episcopi Vratislaviensis, qui familiam suam admodum ditavit, ad A. 1551. Controversiam Cel. Autor de dominatu Plesse Silesiaco docte expositam adjecit. Marca succedit integra Lu-
209. becensis A. 1549, & dimidia Hamburgensis A. 1506. De pondere & pretio marcæ Lubecensis erudite disseritur in subjecta expositione. Commendat Numus mnemonicus *Benedictum*
217. *Ariam Montanum*, A. 1560 cusus, virum gloria Bibliorum Antwerpiensium polyglottorum illustrem. Excipit hunc Numus
TAB. IV *Cosmi II*, Ducis magni Florentini, rarior, referens fidus felici-
Fig. 3. tatis, A. 1569 cusus. Rarum est Numisma Imperatoris *Fri-*
Pag. 225. *derici III*, A. 1468 auspiciis anni novi equites Romæ creantis.
233. Hunc excipit Thalerus Principis Monacensis, A. 1561 percussus, Principis *Honorati II Grimaldi*, callide Hispanos deserentis, ac ad Gallos transgredientis. Deinde exhibetur icon Thaleri, jussu *Joannis Christiani*, Ducis Silesiæ, Lignitii, & Brigæ,
249. A. 1621 cusi, ejusque vita. Huic succedit rarior Numus Episcopi Losannensis, *Aimoni de Montfaulcon*, ante A. 1517 cu-
257. sus. Hic deformatam Ecclesiæ Romanæ conditionem graphice delineavit. Rarus est Thalerus Cardinalis & Episcopi Constan-
265. tiensis *Marci Sitticonis de Hohen-Ems*, ad A. 1573. Visum pascit Numisma, indignissimum Comitem stabuli Galliarum *Carolum*
273. *Albertanum*, Ducem *de Luynes* cognominatum, referens. Raritate sese commendat Numisma *Ulrici de Rambschwag*, Equi-

tis

tis Joanneo Ordini adſcripti, & Commendatoris Wirciburgenſis, ad A. 1569 referendum. Miranda ſedulitate Cel. Autor familiam viri præſtantiſſimi equeſtrem in dias luminis auras produxit. Sequitur Numus, ſeu *Ortug, Stenonis Sturii* junioris, qui regnum Sueciæ adminiſtravit, A. 1512 fuſus, quem ab *Elia Brennero* etiam exhibitum fuiſſe, alibi indicavimus. Commemorabile eſt Numiſma, quod memoriam herois *Ludovici*, Ducis Borbonii, Principis Condæi, ſervat, A. 1668 percuſſum. Succedit ei Numiſma, ejusdem Ducis honori ſacrum, referens prælium, ab eo ad Senef A. 1674 feliciter commiſſum. Sequuntur illud duo Numi rariores *Nicolai Sturen*, qui A. 1527 adverſus Regem *Guſtavum* ſeditionem ſtuduit excitare, quemque Sueci appellant *Dale-Junckaren*; nec non duo angulati & unilaterales Numi, cuſi A. 1524 Paviæ, quam urbem tunc *Franciſcus I* obſidebat. Excipit hoſce Numus mnemonicus, juſſu Capituli cathedralis Paderbornenſis A. 1719, ſede ibi vacante, percuſſus. Exponit Autor ad illuſtrandum numum vitam *Caroli M. Hathumari*, Epiſcopi Paderbornenſium primi. Sequitur Numus, repræſentans memoriam *Antonii* Comitis *de Shaftsbury*, A. 1681 e carcere Tower Londinenſi liberati, olim ſtatui publico præſidentis, Deiſtæ, & Aſtrologiæ judiciariæ ſtudioſi. Succedit icon rarioris Thaleri, A. 1623 a ſenatu populoque Rotevillenſi feriri juſſus. Privilegio monetæ Rotevillam ornavit *Maximilianus I* A. 1512, 15 Febr. Urbs ipſa jam A. 771 ſub ditione Regis Francorum *Carolomanni* in pago Bertoltisbara exſtitit. Judicium Rotevillenſe initia debet *Conradi III* privilegio. Sed vocat nos alio rarior Thalerus *Joannis* Comitis *de Hoja*, Epiſcopi Monaſterienſis, Adminiſtratoris Oſnabrugenſis ac Paderbornenſis, A. 1572 cuſus. Quæ de autoritate Concilii Tridentini, a Pontificiis ipſis repudiata, Autor intexit, eis tradimus, qui illam venerantur. Raritatem ſane tuetur Numus Regis Anglorum *Wilhelmi Conqueſtoris*, inter annos 1067 & 1087 factus. Elegantiam vero & ſoliditatem ſpirat expoſitio vitæ *Wilhelmi*, ab Autore adornata. Curioſo ſpectatore dignus eſt Metallio, qui imaginem *Theophraſti Paracelſi* ad A. 1539 exhibet. Prædicanda eſt Autoris moderatio, vitam *Paracelſi*,

Pag. 281. 297. 305. 319. 330. 346. 353. 358. 361. 369.

cujus

cujus excellens ingenium magnis nobile erat vitiis, addentis.
Pag. 377. Pulchritudinem præfert Numiſma, quod repræſentat *Jacobum Sadoletum*, Epiſcopum Carpentoractenſem, poſt A. 1536 cuſum. Opera *Sadoleti* A. 1737 & 1738, 4, Veronæ fuiſſe in lucem edita, vitamque ejus illis præfixam, quæ hic denuo ſuppeditatur, meminimus. Excipit illam rarior Numus ſepulcra-
385. lis, exhibens *Annam Descars*, Cardinalem *de Givry*, & Epiſcopum Metenſem, A. 1612 factus; & uncialis ſingularis, A. 1627 cuſus, ſervans memoriam *Caroli Gonzagæ*, Ducis Niverniæ ac Rheteliæ, ſacri Imperii Principis. Nivernia ætate *Cæſaris* di-
394. cta fuit Noviodunum, & Comitibus ſuis, florente Regum Gallicorum ſtirpe prima & ſecunda, gaviſa eſt, de quibus Cel. Autor diligenter diſſeruit. Numus ſequens ſervat memoriam *Arnaldi* Cardinalis *de Oſſat*, adminiſtri rerum ſtatus Galliæ, † 1604. Excipit eum Numus Capituli cathedralis Hildeneshemenſis, A. 1724, ſede Epiſcopali vacante, cuſus. Autori lubuit contendere, Epiſcopos Hildeneshemenſes ante *Carolum IV* regalia ab Imperatoribus haud obtinuiſſe, nec Epiſcopatum Aulicæ a *Carolo Magno* fuiſſe fundatum. Poſterius ita eſt comparatum, ut a nemine poſſit in dubitationem revocari. *Prius* vero ſuffragio haud nobis licet corroborare. Seculo enim jam undecimo Epiſcopi Hildeneshemenſes cœperunt obtinere a Regibus Comitatum haud unum, jura venandi ac foreſti, ſtuldidii, &c. Seculo XII ipſi jam exercuerunt jus cudendi numos regale, advocatiæ regalis Ringelheim jura, &c. *Fridericus II* Imperator A. 1223 vocavit *Conradum*, Epiſcopum Hildeneshemenſem, *dilectum ſibi Imperii ſui Principem*. Jam A. 1221 aliquot Germaniæ Præſules *Henrico* Regi ſupplices miſerunt literas, ut dignaretur *Conrado* illi, recens electo, regalia pro more impertiri. Epiſtolam edidit *Jo. Fr. Schannatus Vindem. liter. Collect. I pag. 191.* Ipſe *Fridericus II* A. 1224 literis datis *Conrado* filium *Henricum* Regem & alia imperii negotia commendavit, ut videre eſt apud eundem *pag. 194.* Ipſe *Conradus* jus advocatiæ contulit in eccleſiam Ohlsburgenſem, *pag. 202*, immo advocatiam in villicationes S. *Mauritii* in Monte prope Hildeneshemium, a Comitibus Woldebergicis ſibi reſignatam, eccleſiæ

Digitized by Google

ecclesiæ S. *Mauritii* impertivit, *pag. 203. Sigfridus*, Episcopus, A. 1281 testatur, sese castellis advocatos præficere. Ipse A. 1294 una cum reliquis Imperii Principibus paci regiæ sese jurejurando adstrinxit. Nonne *Henricus VII* Imperator jam A. 1310 Comitatum Dasselensem, regalibus juribus fœcundum, in feudum perpetuum contribuit? Hisce ex argumentis, ni fallimur, efficitur cogiturque, Episcopos Hildeneshemenses jam ante ætatem *Caroli IV* regalia jura ab Imperatoribus suscepisse. Sed hæc hactenus. Accedunt supplementi loco Deliciis *Kælerianis* Numi tres: unus, qui *Ludovici XIV* cum Helvetiis A. 1663 renovatum fœdus delineat; secundus, quo *Christina Ludovica*, vidua, Ducis Sereniſſimi, conjugisque, A. 1735 defuncti, *Ludovici Rudolphi*, memoriam conservavit, posteritati omni jure summo venerandam; tertius, renovans memoriam Brisaci, per *Bernhardum*, Ducem Vinariensem, A. 1638 expugnati. Propediem dabimus, si Deus voluerit, summam *Partis XII* Deliciarum Cel. *Kæleri*, quem meritissimis plausibus excipiunt Tagus & Indus. Pag. 417. 433.

MONITA ISOCRATEA, JACOBI FACCIOLATI studio collecta & explicata. Editio altera, locupletior.

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfre, 1741, 8. Plag. 6.

Ad mores formandos comparatus hic liber est; quo nomine magnum is, & majus, quam ingentia volumina, habere pretium, recte Cel. *Facciolato* dicitur. Huic recte etiam probatur *Senecæ* illud *Ep. 94*: *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non aliter, quam scintilla, flatu levi adjuta, ignem suum explicat.* Hinc idem, præeunte *Plutarcho*, proverbia maximi facit, quippe in quibus maximæ res, minutis signis expressæ, contineantur. Istas rationes secutus, excerpsit atque illustravit monita LXXX, ad privatæ vitæ institutionem, ex Oratione *Isocratis* prima; monita LXVII de officio Principis erga civem ex Oratione *Isocratis* secunda; & monita XL de

officio civis erga Principem, ex Oratione *Isocratis* tertia. Primam illam Orationem ad *Demonicum*, jam diu cenſuerunt eruditi, non eſſe illius *Iſocratis* Athenienſis, *Theodori* filii. *Harpocration* eam refert ad *Iſocratem Apolloniatem*, *Amiclæ* filium, ſenioris diſcipulum, cujus ferebantur Orationes quinque, ut ſcribit *Suidas*, inter quas προπεμπτικὸς λόγος forſitan hæc ipſa, quæ alio nomine παραίνεσις dicitur. *Dionyſius Halicarnaſſeus* autorem ejus facit juniorem quendam *Iſocratem*, ſodalem ſuum. Similitudine autem ſermonis, quæ plurimis in locis apparet, inducti ſunt alii, quorum princeps *Hermogenes*, ut eam ipſam *Iſocrati* ſeniori tribuerent, præſertim cum ille quoque ad privatæ vitæ inſtitutionem ſcripſerit, ut ſignificat dictus modo *Dionyſius* περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων. Ad eundem *Theodori* filium, adverſus *Henr. Stephanium* diſputans, duas reliquas refert Noſter. Nos autem ad ipſas ſententias, atque inprimis ſubjectas annotationes, accingimur, quarum nos nonnullas excerptas, veluti per lancem ſaturam, apponemus. Ad verba ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλὸν, notatur *pag. 15*: Hoc tradu&tum eſt inter *Publii Syri* mimos *n. 793*: Quod facere turpe eſt, dicere honeſtum ne puta. *Iſocrates* ſumſit fortaſſis ex *Herodoto de Perſis Lib. I ed. Steph. pag. 27*: Ὁκόσα δέσφι ποιέειν θέμις ἔξεστι, ταῦτα ἐδὲ λέγειν ἔξεστι. *Pag. 17* ad verba: Μάλιστα δ' ἂν εὐδοκιμείης, ἐν φαίνοιο ταῦτα μὴ πράττων, ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττουσιν ἐπιτιμᾷης, ſcribitur: Idem monebat *Thales* apud *Diogenem Laertium Lib. I n. 36*, unde ſumſit *Iſocrates* &c. ad *Or. II pag. 56 ſeq. n. 26*, *per iram*, inquit *Cicero*, *nihil recte fieri*, *nihil conſiderate*, *poteſt*. Nam iratus videre nequit mediocritatem illam, quæ eſt inter nimium & parum. Iccirco autem videre nequit, quia, ut ſcribit *Plutarchus* de ira, ὡς δι' ὀμίχλης τὰ σώματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται. Decet igitur, ut ait idem *Cicero* in *I Offic. Cap. 25*, eos, qui præſunt reipublicæ, eſſe legum ſimiles, quæ nunquam iraſcuntur. Multa ſunt exempla ſapientum virorum, qui noluerunt caſtigare eos, quibus eſſent irati, ob id ipſum, quod eſſent irati. *Pag. 64 ſeq.* ad verba *n. 49*: μὴ τὸς μὲν ἄλλος ἀξίως κοσμίως ζῆν, τὸς δὲ βασιλέας

βασιλέας ἀτάκτως κ. τ. λ. Eandem ſententiam *Iſocrates* expreſſit in Oratione Areopagitica, ubi loquitur de *Solone* & *Cliſthene*. In bonum exemplum *Velleius Lib. II Cap. 126*, in malum *Cicero de Leg. Lib. III Cap. 14*. *Plutarchus* in *Syntagm. ad Princip. imperit.* comparat eum, qui imperat, regulæ; quæ, niſi recta ſit, non poteſt ea, quibus applicatur, recta facere. Porro de iis, quæ Princeps facere debet, ut civibus ſuis ad virtutem exemplo ſit, vide *Xenophontem* in *Cyri pæd.* ſub init. *Lib. VIII.* Sufficiant hæc; non enim opus eſſe putamus, excerpere plura. Monita Noſter monitis auget, plurimamque omnino ac triplicem ſtudioſæ juventuti comparat utilitatem. Nam Autorum ſimul ipſe Græciæ & Latii optimorum loca ſelecta profert, & præceptiones veluti in ſpeculo ſiſtit viri, de quo jure ſuo *Dionyſius Halicarnaſſeus* (*de antiquis Oratoribus pag. 95 ed. Lipſ. A. 1691*): Μάλιστα δ' ἡ προαίρεσις ἡ τῶν λόγων περὶ ἃς ἐσπούδαζε, καὶ τῶν ὑποθέσεων τὸ κάλλος, ἐν αἷς ἐποιεῖτο τὰς διατριβάς. Ἐξ ὧν ἐ λέγειν δεινὸς μόνον ἀπεργάσαιτ' ἂν τὸς προσέχοντας αὐτῷ τὸν νῶν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἤθη σπουδαίους, οἵκωτε καὶ τῇ πόλει χρησίμους. Κράτιστα γὰρ δὴ παιδεύματα πρὸς ἀρετὴν ἐν τοῖς Ἰσοκράτους ἐστὶν εὑρεῖν λόγοις. Καὶ ἔγωγέ φημι χρῆναι τὸς μέλλοντας ἐχὶ μέρος τι τῆς πολιτικῆς δυνάμεως, ἀλλ' ὅλην αὐτὴν κτήσασθαι, τοῦτον ἔχειν τὸν ῥήτορα διὰ χειρός.

JO. CASP. HAGENBUCHII, PROFESSORIS Linguarum Græcæ & Latinæ, de Græcis Theſauri novi Muratoriani Marmoribus quibusdam metricis Diatriba. Philemon:

Ὅσαι τέχναι γεγόνασι, ταύτας, ὦ Λάχης,
Πάσας ἐδίδαξεν ὁ χρόνος, ἐχ' ὁ διδάσκαλος.

Tiguri, ſumtibus Heideggeri & Sociorum, 1744, 8 maj. Plag. 3.

Quam utilis, tam etiam difficilis, eſt in monumenta antiqua inquiſitio. Laudem igitur inſignem Cel. *Muratorius* refert, difficultatem qui non recuſans, utilitatem eſt aſſecutus eximiam.

Sed, quemadmodum nihil eodem tempore perficitur, quo inchoatur, ita nec esse mirum cuiquam debet, si inter magni laboris molestias humani nonnihil interdum perpessus intelligitur obscuriorum ille antiquitatum perveſtigator celeberrimus. Ostendit huic, veritatis amore ductus, errores quosdam in ea, quæ coram est, Commentatione amplissimus *Hagenbuchius*; sitimque nobis excitat, non nisi plurimis aliis ejusmodi tractationibus sedandam. Scilicet non inidoneus esse faber videtur, quem
Pag. 4. Inscriptionum antiquarum studio, quod ipsi numorum præfert, & cui quasi vetustatis omnis apicem tribuit, adhuc deesse, profitetur ipsemet ingenue. Classicos omnino saxorum antiquorum collectores novimus fuisse *Gruterum*, *Scaligerum*, *Reinesium*, Oxonienses, *Sponium*, *Fabrettum*, *Gudium*, *Donium*, & novissime *Muratorium*; quorum quinque posteriores, saxa, a prioribus jam edita, ne iterum darent, etsi sedulo cavisse velint videri, sæpe tamen *Reinesius* & *Gudius*, sæpiusque *Sponius*, *Fabrettus*, & *Donius*, inscii imprudentesque eosdem lapides repetiverunt. Neque vero ulla est collectio classica, in qua omnis generis repetitiones majore copia occurrant, quam in *Muratoriana*. Non enim sexcenties, sed millies, ibi erratum esse, ipsasque classes sine necessitate multiplicatas, atque ita studium Inscriptionum admodum implicatum, deprehendit Noster. Ista, simulque emendationem, meditatus, *Miscellanea Lipsiensia Nova* lectitans, invenit Cl. *Jo. Henr. Leichii* Specimen notarum & emendationum ad Græcas Inscriptiones, a Cel. *Muratorio* editas, quo doctissimi Viri specimine non sine fructu, & magna cum voluptate, utebatur, & ad maturandum atque exequendum consilium incitabatur, ita tamen, ut simul *Leichiana* quædam examinandi sibi necessitatem impositam videret. Sunt vero inprimis tria marmora, quorum Inscriptiones ex instituto ac fusius perpenduntur; sed data occasione tot sunt alia bonæ frugis argumenta admixta, ut ipsam malimus conferri lucubrationem, quam excerpendo discindi. Inscriptio prima legitur apud *Muratorium pag. 1704 n. 7*, altera *pag. 1450 n. 1*, tertia denique *pag. 1736 n. 7*. Omnes illas etiam Cl. *Leichius* vocarat sub limam, cujus in conatu quid laudandum, quid vituperandum,

dum, oſtenditur. Nihil hæc famæ *Leichianæ* officere judicabis, ſi cogites tecum, vix ullum eſſe tam felicem Criticum, quin alium invenire poſſit monitorem.

INSTITUTIONES MEDICÆ, SUCCINctis Theſibus comprehenſæ, notisque uberioribus ad mentem M. Hippocratis, recentiſſimorum placita, artisque ſalutaris uſum theoretico-practicum, illuſtratæ a JOANNE BURCHARDO SCHLERETH, Phil. & Med. Doctore, ejusdemque in alma Fuldenſi Univerſitate Adolphina Prof. Publ. & Ord. &c.

Fuldæ, typis Joſephi Antonii Koeſſ, 1744, 4. Alph. 1 plag. 7.

Inſtitutionum medicarum plures habemus inde a renatis literis ſcriptores; qui tamen omnes numeros expleverit, certe neminem. Merito hinc optandum eſſet, ut, poſtquam ſuperiori, atque hoc noſtro, ſeculo multis, iisque inſignibus, acceſſionibus aucta fuit Medicina, vir aliquis ab ingenio & judicii acumine, doctrinaque, & cogitandi non minus, quam dicendi, arte, ſatis inſtructus ad ejusmodi opus nova induſtria elaborandum accederet, qui, quæ nunc certo in Medicina cognoſcuntur, & in ejusmodi Inſtitutionibus tradi ſolent, ex omni Autorum medicorum penu collecta, aptoque inter ſe nexu & ordine colligata, ea, qua fieri queat, brevitate pariter ac perſpicuitate ediſſereret, atque ita disjecta velut membra in unum corpus digne & concinne coagmentaret. Equidem non dubitamus, fore permultos, qui hic de ſummi Viri, *Hermanni Bœrhaave*, tanto adhuc plauſu exceptis perlectisque Inſtitutionibus Medicinæ cogitent, &, in his perfectum abſolutumque omnibus numeris ejusmodi libri exemplar reperiri, nobis objiciat. Atque cum his ipſis neutiquam nos contendemus, ut qui præclaras ejus libelli dotes, pro eo, ac decet, admiramur. Illud tamen veremur, ut ingenio omnium eundem accommodaverit Illuſtris Autor, cum, non paucos eſſe, conſtet, qui ipſius acumen cum brevitate conjunctum, conciſumque & nervoſum ſcribendi genus, non

aſſequantur. Tanti tamen viri inſiſtere veſtigiis, & opus ejusmodi perficere, nunc eſſet eo facilius, ſi, quæ Cel. *Hallerus* aliique ex *Bærhaavianis* prælectionibus non minus, quam ſuis obſervationibus, ad explanandum iſtum libellum divulgarunt, commode in hunc uſum converterentur, atque ex iis perinde atque ceteris, quæ poſtea obſervata clarius, vel certius etiam fuerunt confirmata, concinno ordine aliquod præcipuarum Medicinæ partium ſyſtema, quod nec brevitate obſcurum, nec amplitudine tædioſum, foret, conſcriberetur. Quo loco numeroque has, quas breviter ſtrictimque in his noſtris Annalibus nunc attingimus, doctiſſimi *Schleretbi* Inſtitutiones medicas habere deceat, ipſe conſpectus ſatis oſtendit. Equidem, id ſibi potiſſimum conſilii in condendis iis fuiſſe, profitetur, ut a quovis etiam non Medico, ſola tantum linguæ Latinæ notitia prædito, & commodius legi, & facilius intelligi, queant. Neſcimus tamen, ſintne ii facturi operæ pretium, atque hunc fructum percepturi, qui eo conſilio ad hunc librum perlegendum accedunt, in quo tenuiter & jejune traduntur omnia, notionesque rerum nec evolvuntur illuſtranturque accurate, nec ſententiæ confirmantur, nec apte inter ſe cohærent, nec eo ſcribendi genere, a quo Latinæ linguæ indoles non prorſus abhorret, ſed miſero & vitiorum non experte, exponuntur. Hanc vero viam ingreſſus eſt Autor, ut ſuccinctas Theſes, quibus potiſſima doctrinæ medicæ capita contineri ſibi perſuaſit, proponeret, hasque aliquantum inter ſe connecteret, &, expunctis iis, quæ ad ſolidam praxin clinicam nihil emolumenti afferunt, annotationibus nunc majoris, nunc minoris, momenti, quibus vel conſenſus cum *Hippocrate*, aliisque veterum Medicorum, declaratur, vel quædam recentiorum inventa & placita indicantur, vel aliis de rebus agitur, illuſtraret. Ceterum in pleriſque doctrinis Cel. *Stahlii* placita conſectatur, anatomicas tamen recentiorum obſervationes ſimul in uſum vocat. Solam proinde animam rationalem & bonam corporis humani craſin conſervare, & ab intima diſſolutione putredinoſa, ad quam continuo propendet, defendere poſſe & debere, autumat. Indubium vero hoc, ut putat, animæ in machinam corporis humani

mani imperium, ex eo, quòd in hoc corpore omnia non promiſcue & tumultuarie, ſed numero, menſura, & ordine, eveniant, item ex animi pathematibus, nauſea imaginaria, motu voluntario, ſumma actuum vitalium cum moralibus connexione, nævorumque maternorum impreſſione, comprobat. Hoc autem officio ſuo fungi ſolet anima perpetua circulatione ſanguinis, qui non quidem ſexcentorum ſalium colluvie, ſed ſanguine ſtricte dicto, lympha, & ſero, conſtat. Fit autem duplici modo, pulſu nimirum & tono, quibus & reſpiratio ſubvenit. Quando igitur motus ſanguinis, tam inteſtinus, quam progreſſivus, recte procedit, ſine intermiſſione etiam ſecretiones atque excretiones peraguntur, quibus ſanitatis vitæque jugis conſervatio debentur. Secretionem lymphæ nervorum pro horum flexilitate fovenda, partiumque, ſenſui ac motui inſervientium, continuo vigore conſervando, admittit quidem, ceterum vero impervios eſſe nervos, nec ullum in iis moveri fluidum, quod vulgo ſpiritus animales vocant, contendit. Data de ſanguinis circuitu differendi occaſione, ubi in ejus inventionem incidit, eam opera *Guilielmi Harvæi* Seculo decimo quinto factam eſſe prodit, eo, quod hiſtoria doceat, eundem A. 1557, cum 80 annorum eſſet, diem ſuum obiiſſe. Quod vero alii ſcribant, id factum eſſe A. 1628, hanc rationem affert, quod ejus temporis medici errorem ſuum, tot ſeculorum autoritate roboratum, uſque ad mortem retinere, quam cum *Harvæo* reſipiſcere, maluerint. Hinc, Exercitationem *Harvæi* anatomicam de motu cordis & ſanguinis in animalibus Francofurti apud *Guilielmum Fiſcherum* A. 1728 prima vice typis mandatam fuiſſe, affirmat. Quæ omnia quam aperte temporum rationibus repugnent, & ridiculi erroris ſignificationem habeant, nemo non videt. Senſibus internis ſenſum animæ vitalem Noſter annumerat, quem ope nervorum ſubtiliſſimorum, per omnes corporis partes diſperſorum, & in ſenſorio communi concurrentium, fieri ait, ut, eo mediante, anima, ſui quoad ſe & intra, ut Autor loquitur, optime conſcia, cognoſcat, quid intus accidat, aut unde corpori ſuo noxa immineat. Quam eſſe cauſam opinatur, cur multi alimenta, per ſenſus externos jam approbata, ſenſui autem vi-

tali

tali minus accepta, vomitu rejiciant, & nonnulli inſtantem ſibi mortem vaticinando præſagierint. In eo a *Stahlii* aſſeclis diſcedit, quod non animam in utero futurum corpus ſuum conſtruere, ſed in conceptione ovulum muliebre, ſingula corporis futuri lineamenta in ſe continens, ſemine virili ſpirituoſiſſimo, ſingulari quadam & humano intellectui non perſcrutanda craſi prædito, fœcundari, actuari, vivificari, animam autem non cum ſemine patris transfundi, ſed creando a Deo infundi, & infundendo creari, ab Eccleſiæ ſcilicet ſuæ placitis non diſſenſurus, edicat. In Pathologia non minus *Stahliana* ſectæ veſtigia hinc inde obſervantur. Inter morborum cauſas cum venena rectiſſime locum habeant, ea quidem ad unum omnia notat unum eundemque effectum, nempe deleterium, edere, prima tamen & ſpecifica craſi ſua quam maxime differre, dum miaſmata maligna aerea, per quæ petechiæ, febres peſtilentes, & ipſa peſtis, propagantur, ope ſalivæ communicata, totam ſanguinis compagem diſſolvunt, venena animalium humoribus motum fermentativo-putredinoſum inducunt, mineralia partes ſolidas illico inflammant, & corrodunt, vegetabilia emortualem velut in fibris & nervis ſtuporem relinquunt, & præſens corpori exitium machinantur. In Hygiene Infuſis calidis Theæ, Caffeæ, & Chocoladæ, non multum admodum tribuit, quod ſæpius adulterentur, corrumpanturque, Infuſum Theæ effectum vel nullum, vel tantummodo adſtringentem, edat, Infuſum Caffeæ preſſionem ventriculi, inquietem ſyſtematis nervoſi & ſanguinis, atque orgaſmum ratione olei, quod in ſe continet, excitet; Infuſum denique Chocoladæ, a multis licet commendatum, viſcida ſua tenacitate ventriculum deſtruat magis, quam roboret, & præterea ſanguinem agitet, atque commoveat. In ætate grandiori commendat præcipue uſum viperarum Italicarum, ſive cum jure vituli coquantur, ſive cum gallinis & caponibus in pultem redigantur, ſeu globulis ex carne viperarum factis volucres ejusmodi delicatiores ſaginentur, & deinde per ſex hebdomades medicationis cauſa in menſa apponantur, cum quocunque modo ſumtæ vires conſervent, & corpus inſigniter roborent. Veteres ad longævitatem ſibi

conci-

Digitized by Google

conciliandam uſos eſſe viperis, cum *Baldo Angelo Abbatio* probatum it ex numiſmatibus, *Cajo Tetrico* Imperatori, *Æmilio Claudio*, & *Fauſtinæ*, dedicatis, ſymbolo ſerpentis ad optandam vitam longam ab alterutro utplurimum latere exornatis, imo ex moneta, *Hippocrati* a Coorum republica dedicata, in qua imago divi ſenis baculum cum vipera ſuſtinet, quod hæc vitæ humanæ adjumentum eſſet. In Therapevtice opii uſum tum internum, tum externum, noxium ſemper eſſe, affirmat, &, uti, remedia ſpecifica omnino exiſtere, credit, ita ad eorum rectum & ſalutarem uſum requirit, ut Medicus naturam morbi recte cognoſcat, cum id medicamenti genus affectum idiopathicum exacte tollat, ſymptomaticum ne attingat quidem, porro ut exhibendi tempus recte obſervetur, an ſcilicet verſus paroxyſmum, ſub incrementum circa ſtatum, aut in declinatione, eadem dare conveniat. Quibus neglectis, aut plane ignoratis, nulla eorum eſt efficacia. Corpus etiam ante præparetur, & humores univerſim repurgentur. In fine libri, quando de remediis antiveneficis agit Autor, faſcinum viſuale & vocale rejicit, philoſophicum vero, quod naturale eſt, vel magico diabolicum, quod ſupernaturale eſt, admittit, rationemque, poſteriori huic occurrendi, explanat.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE, &c.
hoc eſt,
COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in republica literaria virorum inſervientes. Accedunt catalogi librorum, a ſingulis ſcriptorum, de iisque judicia.
Tomus XLII.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Briaſſonum, 1741, 8.
Plag. 18, & totidem plag. dimid.

Nondum tacet, etſi ſilentium ei mors imperavit, *Niceronius*. Scilicet permultas reliquit ſuis in ſcriniis *Vitas eruditorum*, ſtudioſiſſime elaboratas; quas nunc demum publicæ luci exponunt ipſius amici. Primus hoc in *Tomo* produci-

tur *Franciſcus Robortellus*, m. 1567 d. 18 Martii. Subſequuntur *Claudius Berroyerius*, Advocatus Pariſienſis, m. 1735, d. 7 Martii; *Bartholomæus Latomus*, primum in Colonienſi Academia, deinde in Pariſienſi, Profeſſor eloquentiæ, m. 1566; *Nicolaus Vignierius*, Regis Gallorum *Henrici III* & Medicus & Hiſtoriographus, m. 1596 d. 13 Martii; *Nicolaus Vignierius*, prioris filius, Paſtor Reformatæ Eccleſiæ in Gallia, ſcripto *Theatro Antichriſti* clarus, ſed circa annum 1631 in caſtra Papæ transgreſſus. Mortis ejus annus ignoratur. *Guilielmus Wollaſtonus*, autor libri laudatiſſimi *de religione naturali*, cujus ſexta editio A. 1738 prodiit, m. 1734 d. 29 Octobris. Cantabrigienſis Academiæ alumnus cum per aliquot annos fuiſſet, & inter magnas rei familiaris anguſtias eximios feciſſet in literis progreſſus, creatus eſt ſcholæ cujusdam Conrector; quo munere per decennium functus eſt laudabiliter. Poſtea A. 1688 ſucceſſit in magnas opes cognati cujusdam ſui. Quapropter, abdicato munere ſcholaſtico, Londinum demigravit, ductaque ibi uxore, & ipſa divite, privatus vixit per omnem vitam inter aſſidua literarum ſtudia. Dedidit autem ſe culturæ Philologiæ, Hiſtoriæ antiquæ pariter & recentioris, Phyſices, & Matheſeos. Inprimis autem ad religionem meditationes ſuas contulit, contemplando & paganorum & Judæorum & Chriſtianorum religioſa placita. Hinc natus ipſi liber eſt *de Religione naturali*, cujus tamen duas duntaxat partes elaboravit, morte præventus, quo minus tertiam etiam *perficiendo inſtitutum* ſuum abſolveret. Qui liber communi exceptus eſt eruditiſſimorum hominum applauſu, translatus etiam A. 1726 in linguam Gallicam. Ac tanta hujus libri gloria permovit Reginam Britanniæ, ſuo ut in horto ſtatuam ei æque poneret, ac *Lockio*, *Neutono*, & *Clarkio*. Sequitur *Guilielmus Forbeſius*, qui, cum operam dediſſet literis in Academiis Helmſtadienſi, Heidelbergenſi, & Lugdunenſi Batavorum, factus ad ultimum Epiſcopus Edimburgenſis, deceſſit A. 1634 d. 1 Aprilis. Noſter copioſe diſſerit de ejus ſtudio reconciliandi Eccleſiam Proteſtantium cum Romana, adjectis nonnullorum eo de conatu, quem ipſe laudat, judiciis. *Joannes Forbeſius*, prioris cogna-

cognatus, Theologiæ Profeſſor in Academia Aberdonienſi, editis *Inſtructionibus hiſtorico-theologicis* clariſſimus, m. 1648 d. 29 Aprilis. Plura ex Noſtro repetenda nobis videntur de *Franciſco Bruyſio*, qui, in Gallia natus A. 1708 parentibus Catholicis, cum iter feciſſet in Hollandiam, ibi in Eccleſiam tranſiit Reformatam. Hic ut vivere poſſet, ad libros ſcribendos animum appulit. Edidit itaque *tribus Tomis La Critique desintereſſée des Journaux*. Cum autem in illo opere, fortius defenſa *Saurini* de falſiloquio nonnunquam licito ſententia, magnum incurriſſet periculum, A. 1730 in Angliam ſe contulit. Hac occaſione hic deſcribitur tota illa controverſia, acriter tum agitata inter Batavos; quam & mortis cauſam fuiſſe *Saurino*, Noſter *pag. 139* exiſtimat. Redux ex Anglia *Bruyſius* Emmericum, Cliviæ oppidum, demigravit, ibique A. 1731 uxorem duxit, itemque libellum compoſuit *de Jure Regis Boruſſiæ in Juliacenſes Bergenſesque terras*; qui liber nondum editus aſſervatur in illius Regis Bibliotheca. A. 1735 vocatus eſt in aulam Comitis Widenſis, futurus ejus Bibliothecarius. Paruit vocanti; verum non diu contentus hac ſorte, A. 1736 revertit in Galliam, ibique rurſus eſt amplexatus religionem avitam. Sed non eſt fruitus, quam ea re conſectatus eſſe videtur, fortunæ indulgentia, quippe A. 1738 d. 20 Maji, trigeſimo vix ſuperato vitæ anno, rebus humanis ereptus. Autor noſter *pag. 145 ſeq.* longus eſt de ejus opere, *La Critique desintereſſée* inſcripto, valdeque id contemnit, ſimul docens, eos errare, qui, *Camuſatum* ejus eſſe autorem, credant. Docet item *pag. 151 ſeq.* eundem *Bruyſium* eſſe autorem *Hiſtoriæ Paparum*, Gallice ſcriptæ, & *quinque* implentis *Volumina*, nec his in *Actis* non recenſitæ; quod tamen opus non ſolum inter deterioris notæ hiſtorias Noſter refert, ſed etiam irreligioſitatis & Naturaliſmi accuſat. Venimus nunc ad *Renatum Joſephum Turneminium*, Jeſuitam, m. 1739 d. 16 Maji, ætatis anno ſeptuageſimo nono. Quinquaginta duo ſcripta hic edidit, perbrevia illa pleraque, ſed rariſſima eruditione conſpicua; quorum maxima pars inſerta eſt Diario Trevoltienſi. Excipit hunc *Petrus Petitus*, Conſiliarius Regius, excellens Phyſicus, m. 1667 d. 20 Auguſti. Diverſus hic eſt a *Petro Petito*, Me-

dico & Philologo clariſſimæ famæ, m. 1687. *Auguſtinus Manuel de Vaſconcellos*, Luſitanus illuſtris, qui libros aliquot edidit, hiſtoriam Luſitaniæ illuſtrantes, A. 1641 d. 2 Aug. capite plexus eſt Ulyſſipone una cum aliis illuſtribus viris, qui adverſus Regem *Joannem IV* conjurarant. *Joannes Pintus Ribeirus*, Luſitanus, Jureconſultus & Conſiliarius Regis ſui, m. 1649 d. 11 Auguſti. Libri ejus, quos univerſos compoſuit ſermone patrio, uno volumine (in *fol.*) editi ſunt Conimbricæ A. 1729. *Gaſpar Barreiros*, aliis dictus *Varrero*, Luſitanus, m. 1610. Notiſſimus, ſed idem rariſſimus, eſt liber ipſius, Romæ primum A. 1563, deinde A. 1599 Heidelbergæ, editus ſub hoc titulo: *Cenſura Gaſparis Varrerii in Beroſum. Bartholomæus du Quental*, Luſitanus, m. 1698 d. 20 Decembris. Condidit hic A. 1668 Ulyſſipone *Congregationem Oratorii*, ſimilem Romanæ, & a Papa *Clemente IX* A. 1672 confirmatam. *Joannes Froiſſardus*, m. paulo poſt annum 1400. Vita ejus hic ſatis longa exhibetur; ſed deeſt ſcriptorum catalogus. Poteſt autem is repeti e *Commentariis literariis Academiæ Inſcriptionum Pariſienſis*; ubi nuper exactiſſime deſcriptam vidimus ejusdem *Froiſſardi* vitam. *Franciſcus Philelphus*, m. 1481, anno ætatis 84. Copioſe & hujus ac ſtudioſiſſime expoſita eſt vita. Verum etiam hanc meminimus non minori diligentia deſcriptam eſſe in laudatis modo *Commentariis*. Ceterum nec hic loci confecit catalogum librorum *Philelphi Niceronius*. *Jacobus Latomus*, Theologus Academiæ Lovanienſis, m. 1544 d. 29 Maji. Multa hic ſcripſit adverſus *Lutherum*; idque (addere hoc nobis liceat,) tam probabiliter, ut eum *Lutherus* ipſe ceteris omnibus ſuis adverſariis anteponeret, dictitans, eos, ſi cum *Latomo* comparentur, eſſe ranas coaxantes. Teſtis eſt *Seckendorfius Hiſt. Luth. Lib. III §. 136 pag. 653*. *Sixtus Betulejus*, Rector ſcholæ & Bibliothecæ Auguſtanæ, m. 1554 d. 19 Junii. *Conradus Brunus*, Aſſeſſor Cameræ Imperialis Spirenſis, m. 1563 menſe Junio. Hic, præter libros juridicos, edidit librum *de perſonis Judicii Cameræ Imperialis a primo illius exordio uſque ad A. 1556*, itemque *Admonitionem catholicam adverſus Hiſtoriam eccleſiaſticam Flacii, & collegarum ejus Magdeburgicorum*. *Joannes Martinus*, Pariſienſis, m. 1553.

Edidit

Edidit *Hori Apollinis, Vitruvii* item, & aliorum librorum, verſiones Gallicas. *Pompejus Sarnellius*, Archiepiſcopi Beneventani, qui poſtea, adſcito *Benedicti XIII* nomine, fuit Papa, Vicarius magnus, poſtea Epiſcopus Biſeglianus, m. 1724. Scripſit omnes ſuos libros ſermone Italico, inter quos eminent *Epiſtolæ Eccleſiaſticæ*, in his *Actis* quondam recenſitæ *A. 1687 pag. 172 & 248. Gaſpar Abeille*, ſcriptor & Comœdiarum & Tragœdiarum, homo ad riſum ciendum natus, m. 1718 d. 22 Maji. *Joſephus Caſtalio*, Poeta egregius & Criticus, Romæ m. circa annum 1616. *Claudius Stella*, Poeta Gallicus, m. 1651. *Philippus Ouſelius*, Prof. Theol. in Academia Francofurtana, m. 1724 d. 12 Aprilis. De accentuatione Hebræorum ſcripſit & de Decalogo. *Laurentius Rhodomanus*, m. 1606 d. 8 Januarii. Hujus vitam, & copioſius & accuratius a Cl. *Langio*, Philologo Lubecenſi, expoſitam, nuper in his *Actis* recenſuimus *A. 1741 pag. 665 ſeq. Jacobus Oiſelius*, in Academia Groningana Profeſſor Juris, m. 1686 d. 20 Junii. Dicitur fuiſſe inſignis plagiarius, & omnia, quæ ſcripſit, furripuiſſe aliis. *Joſephus Lambertus*, Pariſienſis, homiliarum & aliorum moralis argumenti librorum vernaculo ſermone ſcriptor, m. 1722 d. 31 Januarii. *Daniel Haſenmullerus*, in Kilonienſi Academia Profeſſor Græcæ & Hebraicæ linguarum, m. 1691 d. 29 Maji.

Hactenus hic *Tomus*, quem claudit Index alphabeticus eruditorum illorum omnium, quorum Vitæ in *quadraginta duobus* his *Tomis* exhibentur. Nec vero finis nunc Operis. Imo vero hic docemur, plures eſſe ſecuturos *Tomos*, cum materiam reliquerit *Niceronius* ad plures *Tomos* conficiendos. Rogat ſimul Editor literatos, ut ferant ſuppetias, & ad bibliopolam mittant ſive additiones & correctiones, ſive integras novas Vitas.

JO. NICOLAI FUNCCII, MARBURGENSIS, DE Scriptura veterum Commentatio, qua paſſim antiquitates literariæ florum inſtar ad loca difficiliora claſſicorum Autorum illuſtranda ſparguntur.

Marburgi & Rintelii, 1743, 8.
Alph. 1.

Cap. 1. Complectitur erudita hæc Commentatio *Capita VIII*, quorum nullum conſiderationem noſtram non meretur. *Primum* agit de prima ſcribendi origine, ubi ſcripturæ potiſſimum divinitas oſtenditur, quæ rationis fructus & memoriæ ſubſidium fuiſſe jam *Adamo* videtur. Fuit autem origo hieroglyphica. Unde & verbum *ſcribere*, affine Græcorum γράφειν, haud immerito a σκάριφος, *ſtilus*, ducitur, atque illud *Euſtathius* exponit per ξέειν, quod, ex veteri uſu, cum neque literæ, neque chartæ, fuerint inventæ, veteres animalia quædam & alios characteres ſculpſerint, ad ſignificanda ea, quæ voluerint. Sed inventæ rei facile fuit emendationem ac ſupplementum adjungere, quod tamen & ipſum non unius ſeculi opus erat. Indidem & literæ variarum gentium manarunt; nominatim au-
2. tem Ebræi artem iſtam perpoliendam curarunt. Inſerviebant olim ſcripturæ ſaxa, lateres, plumbum, æs, lignum, folia, cortices arborum, & craſſior, & interior tenuis ille, quem librum vocant, præſertim tiliæ, ligneæ tabellæ, quas cera ſæpius obduxerunt. Hinc uſus chartæ accedebat, cujus variæ ſpecies indicantur, papyracea, corticea, hieratica, ſeu Auguſta, ſeu Livia, amphitheatrica, Athribitica, Fanniana, Saitica, Tanitica, emporetica, macrocollum, Claudia, bombycina, dentata, cedro fricata, atque aliæ. Sed antiquior, uſuque durabilior, erat charta pergamena, ſeu membrana, quæ, literis *prioribus* abraſis, ubi iterum adhibebatur, palimpſeſtus a ψέω, ſeu ψάω, *rado*, vel potius palinxeſtus a ξέω, dicebatur, quod locus *Ciceronis* ad *Tre-*
3. *batium* indicat. Inſtrumentum, quo ſcribebatur, antiquiſſimum fuit ſtilus, vel ferreus, vel oſſe confectus, hinc arundineus calamus, pennarum vero anſerinarum uſus multo recentior eſt. Stilus aliquis æneus, præeunte *Hermanno Hugone*, qui de prima ſcribendi origine & rei literariæ antiquitate egit, deſcribitur, quod ſit, *inſtar ligunculi, incurva pala, ut nempe, impoſito indice, firmius ceræ ſulci complanentur; cauda, ſeu cuſpide, inter reliquos digitos incluſa. Quare, qui hunc ſtilum verterit ad inducendas literas, non eo utetur plane erecto, ſed obliquato, omnino ſicut parvo ligunculo, non ſicut typo epiſtolari, quo ſignan-*

tur

Digitized by Google

tur epiſtolæ. Cuſpis quadrilatera eſt, latior tamen, quam denſior. Latera autem, ſeu potius anguli laterum, ſunt lima raſi, ut ſtilus certius teneatur, nec manum fallat. Cum vero exacte graphiis literas in cera, aliave materia, ſcriberent, *graphicus* pro elegante, polito, & ad unguem facto, ponitur apud *Plautum* atque alios. Calamis utebantur, ad chartam quod attinet, eun- Cap. 4.
demque in finem adhibebant atramentum librarium, literarium, ſeu ſcriptorium, ad differentiam ſutorii, vel tinctorii, ſic appellatum. Atramentum illud præ ceteris deſcribit *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXV Cap. 6.* Poetæ vocabant ſepiam, vel ſepiæ ſanguinem, a piſce marino, nigro ſe ſanguine ſuo, cum peteretur, defendente. Meminit *Cicero ad Quintum Fr. Lib. II Ep. 14* atramenti temperati, id eſt, bene tincti & liquefacti; ut calamus temperatus eodem loco eſt concinnatus, vel acuminatus, & charta dentata polita dente ac lævigata. Varios præterea rubri coloris liquores uſurpabant majeſtatis, terroris, vel ornatus, gratia. Nonnunquam plumbo, creta, & carbone, ſcribebant boni, vel mali, ominis cauſa. Auro demum & argento membranæ purpureæ non niſi ad pompam deſcriptæ, & alii libri exornati fuerunt. Id genus membranæ, vel chartæ etiam, croceæ, coccineæ, crocatæ, librique purpurei, aurei, ſive argentei, nominantur. Quæ vero chartæ illinebantur, indidem literæ dici ſolent. 5.
Atque hac occaſione omnium literarum Latinarum figura, vis, ac poteſtas, elegantes expenditur. Poſt & ad Ebræos pergit, qui potiſſimum ad ſonum cujusvis elementi fingere cœperunt notas illarum rerum, quarum vocabula iſtas peculiaris elementi literas initiales habent; unde, velut ex fontibus, derivatæ ſunt gentium aliarum literæ, earundemque nomina. Judæi ſtatuunt, ab aſtris primum deſumtas fuiſſe; qua de re agit *Corn. Agrippa de occulta Philoſophia Lib. III Cap. 30*, ac fuſius etiam *Jac. Gaffarellus* in *Curioſitatibus inauditis P. IV Cap. 12 ſeq.* qui non modo characteres cœleſtes depingit, verum etiam luculenter ſibi demonſtrare videtur lecturam ſtellarum, quæ in cœlo literarum figura diſpoſitæ, ut in eo, tanquam libro, quæ toto orbe fiunt præcipua, legi poſſint. Sed nos ad veriora progredimur, ubi obſervat Cel. Autor, quod veteres neque Græci, neque Latini, habuerint accentus & diſtinctionum ſigna hodierna; numerorum

rorum apud illos rationem indicat; quod literæ omnes fuerint majuſculæ & cubitales; quæ ſigna ſint MStorum antiquiorum; quod ſcribendi fuerit genus occultum; qui ſuper genua modus; quæ com-
Cap. 6. pendia ſcriptionis, ut reliqua taceamus. Nimirum ad totum a partibus, vel ad libros, accedimus. Notat hoc, vocabulum, præter corticem arboris interiorem, volumen minus, maxime chartaceum, nonnunquam & epiſtolam minorem. Eodem ſpectant codicilli, pugilla-
Pag. 225. res, volumina cum ornamentis ſuis, libri plicatiles, ac diplomata. Diplomata nominabantur literæ cum ſigno patentes, quæ, a principibus præcipue viris, propter curſum publicum, aut beneficium aliquod conceſſum, dabantur; quod in duplicium tabellarum modum formari
229 ſeq. conſueverint. Ante, quam ſcripta emendata in novas mundasque chartas illas, ab una tantum parte ſcriptas, transferebantur, in palimpſeſto, vel ſchedis aliis, ab utroque latere ſcribebant, hinc *Opiſtographorum*
Cap. 7. *phorum* nomen adeptis, vel adverſariorum. Qui ſcribebant, librarii vocabantur. Eodem pertinent chartularii & tabelliones. Diverſa quippe ſcribarum apud Romanos munera erant, eademque & publica & privata. Docti & bibliopolæ vel privatim lebant Græcos ac Latinos. Nec parvo in pretio fuerunt ſervi quoque & liberti literati, quorum primarii a ſtudiis erant domino. Hac data occaſione, inquiritur in munus ac titulum *primicerii* & *ſecundicerii*, apud principes maxime perſonas. Neque tantum viri, ſed mulierculæ interdum, libris deſcribendis laudabilem operam navarunt. Notarum vero frequens, & ſexus utriusque hominibus familiaris, uſus erat. Quibus tractatis, imperitiaque ſimul atque incuria veterum librariorum, magno codicum pretio, veterum bibliopolarum notitia, ac tabernis librariorum, obſervatis, ſub finem *Capitis*, quid ſcribas inter ac ſcriptores interſit, quique ſcriptores cyclici appellari ſoleant, exponitur. Ille ſcilicet modo deſcribebat, iſte autor ipſe operis fuit, hic demum poeta circumforaneus, qui in conventiculis hominum verſus ſuos obtrude-
8. ret in orbem coactis, procœmio ſatis magnifico. Verum *neque poſtremum Caput*, fuſius illud reliquis, omnino prætereundum eſſe arbitramur. Agit hoc de Bibliothecis veterum. Tales ante eluvionem generalem, quamvis affingantur *Adamo*, *Setho*, ejusque filiis, *Enocho*, *Noacho*, *Chamo*, plane negatur, exſtitiſſe. Porro inſtructiſſimas fuiſſe docetur Alexandriæ, Suſa, Babylone, paſſim in Judæa & Syria, Pergami, Athenis, atque alibi apud Græcos, Byzantiæ, & apud Romanos. Hic *Julius Cæſar* & *Auguſtus* publicas primum decreverunt. Celebres deinde fuerunt *Tiberiana*, pacis Bibliotheca, quam *Veſpaſianus* dedicavit, Ulpia *Trajani*, Capitolina, & plures aliæ, non in urbe ſolum, ſed in prædiis quoque, atque alibi paſſim. Sed, cum amplum illud argumentum jam ab aliis ſit occupatum, nihil addimus, niſi hoc unum, quod hanc ipſam etiam Cel. *Funccii* lucubrationem Bibliothecæ, vel potius manui ac lectioni, uniuscujusque elegantiorum literarum cultoris ſedulo commendemus.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXLV.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΕΦΡΑΙΜ ΤΟΥ ΣΥ-ρου τὰ ἐυρισκόμενα πάντα. *Sancti Patris EPHRAEM SYRI Opera omnia, quæ exſtant Græce, Syriace, Latine, in ſex Tomos diſtributa, ad MStos Codices Vaticanos aliosque caſtigata, multis aucta, interpretatione, præfationibus, notis, variantibus lectionibus, illuſtrata. Nunc primum ſub auſpiciis BENEDICTI XIV, Pontificis Maximi, e Bibliotheca Vaticana prodeunt. Syriacum textum recenſuit PETRUS BENEDICTUS, Societatis Jeſu, notis vocalibus animavit, Latine vertit, & variorum Scholiis locupletavit. Tomus primus & ſecundus, Syriace & Latine.*

Romæ, ex typographia Vaticana, 1737 & 1740, fol. Tomus I Alph. 6 plag. 9, Tomus II Alph. 6 plag. 16.

Prodierat ante hos fere duodecim annos hujus præſtantiſſimæ editionis Operum S. *Ephraem Syri Tomus I*, a Cel. *Joſepho Simonio Aſſemano* procuratus, cujus notitiam dedimus in his *Actis A. 1738 Menſ. Junii P. I pag. 289.* Conſtitutum erat Cel. Editori, in *ſex Tomos* omnia Opera S. Patris diſtribuere, ex quibus *tres* priores *Græca*, quæ ſuperſunt, *tres* poſteriores *Syriaca*, comprehenderent. Vix autem Cel. *Aſſemanus primum Tomum* Operum *Ephraem Syri* Græce & Latine ediderat, cum, in *altero* & *tertio* parando occupatus, a Summo Pontifice in Syriam, rei ſacræ cauſa, navigare juſſus, cœpta interrumpere coactus eſt. Ne vero tantæ molis negotium nimia cunctatione protraheretur, viſum eſt ordi-

nem, ante definitum, paululum immutare, & *quartum quintumque Tomum*, qui *Latino-Syriaca* opera continent, ſecundo ac tertio, *Græco-Latina* complexuris, præmittere.

Tomus hic itaque *Syriaco-Latinorum primus*, *Clementi* Papæ *XII* inſcriptus, continet explanationem S. *Ephraem Syri* in *Pentateuchum*, *Joſuam*, *Judicum*, *Samuelis*, & *Regum*, libros. Præfatio Editoris, *Petri Benedicti*, Societatis Jeſu, ad Emin. ac Rev. Dominum *Angelum Mariam Quirinum*, S. R. E. Cardinalem Bibliothecarium, docet, hortatu hujus Viri ſummi editorem Syriacum textum in Latinum convertiſſe, nulloque ſtudio & labori in hac editione perpolienda peperciſſe. A prima mundi origine uſque ad Ebræorum in Aſſyriam & Chaldæam transmigrationem Commentarios in S. Scripturam complectitur hic *Tomus*, appoſita Syriaco textui Latina converſione. Summo jure *Ephraem Syrus* πολυγραφότατος vocari ſolet, ſiquidem permulta ingenii ſui documenta reliquit. Inde etiam Cl. Editor, *primo altero*que horum Operum *Volumine* edito, *tertium* quoque ſe daturum, promittit, varios Tractatus, potiſſimum autem polemicos, adverſus hæreſes, complexurum; quid? quod ſpem faciat de edendo omnium Operum *ſeptimo*, *octavo*, & *nono Tomo*, ſi quidem S. Doctoris in Nov. Teſtamentum Commentariis potiri licuerit, quos S. *Gregorius Nyſſenus* indicat, & alter *Gregorius Tagritenſis*, Seculi XII Autor, ſe vidiſſe teſtatur, exſtare etiam teſtantur periochæ, Catenis in *Matthæum* & *Marcum*, a *Corderio* editis, inſertæ.

Secundus Tomus Syro-Latinorum Operum *Ephraem Syri*, Pontifici Summo *Benedicto XIV* inſcriptus, continet explanationem S. Patris in librum *Jobi* & *Prophetas*, *Eſaiam*, *Jeremiam*, *Threnos*, *Ezechielem*, *Danielem*, *Hoſeam*, *Joelem*, *Amos*, *Obadiam*, *Micham*, *Zachariam*, & *Malachiam*, porro in ſelecta S. Scripturæ loca Sermones exegeticos XI, in natalem Domini Sermones XIII, & polemicos Sermones adverſus Hæreſes LVI. Hæc omnia Syriace cum converſione Latina *Petri Benedicti* exhibentur. Penuria Codicum in cauſa fuit, quod pauci verſionem horum operum ſuſceperint; quam tamen ſuppleviſſe laudat Editor *Clementem XI*, qui Codices ex Vaticana Bibliotheca ſuppeditaverit. Ante mille circiter annos omnes jam deſcripti

ſcripti fuerunt Codices in ipſo ſancti doctoris patrio ſolo in Meſopotamia, indeque ad monaſteria Nitriæ in Ægyptum translati. Antiquitas hæc Codicum interpreti laborem multiplicavit; multa jam erant antiquitate obliterata, literæ detritæ, non modo ſyllabæ, ſed etiam integræ voces, exciderant, punctorum tandem vocalium defectus negotium edendi valde moleſtum fecit. Ex quibus facile judicium fieri poteſt, quantus labor fuerit, in Latinum ſermonem transferre hæc *Ephraem Syri* opera. Urget præterea noſter Editor heterodoxorum, Marcionitarum, Manichæorum, Valentinianorum, & Bardeſaniſtarum, paradoxa, &, quam moleſtum fuerit, docet, dubia dubiis, obſcura obſcuris, griphos griphis, reddere. Tandem novas difficultates injecit ipſe *Ephraemus*, quod ſolutæ orationi ſæpe metrum prætulerit; unde, metricos Tractatus edere, res laboris plena fuit. Has tamen omnes difficultates Interpres indefeſſo ſtudio & perpetua cura ſuperavit. Nullas in his *Tomis* animadverſiones, nec variantes lectiones, ſed ſolam converſionem Latinam cum Syriaco textu, deprehendes.

In ea opinione eſt Editor, S. *Ephraemum*, in ultimo Oriente quamvis natus fuerit, & extra Romani imperii fines habitaverit, tamen cum Romana eccleſia exactiſſime conſentire, ut non trans Euphratem, ſed ad ripas Tyberis, natus, educatus, & doctus, fuiſſe videatur. Ex eadem hypotheſi etiam factum eſt, ut in calce hujus *Tomi II* Cl. Editor Antirrheticon adjecerit, ſeu confutationem annotationum *Jo. Kohlii* ad geminos Sancti *Ephraemi* de ſacra Cœna Sermones. *Joannes Kohlius*, in Academia Petropolitana Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & humaniorum literarum Profeſſor, ediderat Altonaviæ binos Divi *Ephraemi* Sermones de ſacra Cœna, hisque adjecerat annotationes, in quibus contendit, S. *Ephraemum* cum Lutheranis in ea eſſe ſententia, panem in euchariſtia cum Chriſti corpore componi. Totus in eo eſt *Benedictus*, ut hanc ſententiam *Kohlii* confutet, partim ad contextum, partim ad alia verba B. Patris, quæ ex ſua hypotheſi interpretatur, partim ad teſtimonia aliorum Syrorum, v. g. S. *Jacobi*, Sarugenſis Epiſcopi, *Iſaaci Ninivitæ*, & his plurium, provocans.

Succedit *Antirrheticon* alterum adverſus R. P. *Le Brunum* &

Fuſebium Renaudotium, in quo contra utriusque hypotheſin aſſeritur S. *Ephraemi*, ejusque diſcipulorum, de forma hujus Sacramenti vera & certa doctrina, & Syrorum Anaphoræ cum eodem S. Doctore & communi Theologorum definitione conciliantur. Circa formam Sacramenti inter Latinos & Græcos eſt diſceptatio. Latini docent, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem, ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & divinitate exiſtere, quemadmodum etiam in Concilio Tridentino cautum eſt; Græci e contrario aſſerunt, formam Sacramenti euchariſtiæ non conſiſtere tantum in verbis Chriſti, ſed etiam in certis precibus, quibus in Liturgia Spiritus S. invocatur. *Renaudotius* & *P. le Brunus* in ea fuerunt opinione, hanc ſententiam receptiſſimam fuiſſe omnibus eccleſiis orientalibus, Græcis, Syris, Chaldæis, Ægyptiis. Quem errorem, ut vocat, Cl. *Petrus Benedictus* hoc Tractatu confutare laborat *duodecim Capitibus*, in quibus partim ſententiam orthodoxam, ut ſcribit, eccleſiæ Romanæ proponit, partim adverſariorum ſuorum placita explicat, partim hujus opinionis fundamenta evertere conatur, demonſtraturus, ut loquitur, illa, quæ hac ſententia vel ex Theologis Syris, vel ex Anaphoris, vel ex aliis eccleſiaſticis codicibus, allegantur, infirma, inutilia, atque frivola, eſſe. Nihil his controverſiis addimus, noſtris lectoribus judicium relinquentes, qui ex attenta lectione facile intelligent, *Ephraemum* dogmatibus Romanæ eccleſiæ non magis favere, quam reliqui Patres, quos cauſæ huic minus, quam vulgo exiſtimatur, patrocinari, dudum ab aliis demonſtratum eſt. Ceterum ex animo optamus, ut reliqui, qui ſuperſunt & promiſſi ſunt, *Tomi* a Doctiſſ. Editore proxime cum orbe erudito communicentur.

TRAITE' PHILOSOPHIQUE DES LOIX Naturelles, &c. id eſt, *COMMENTATIO PHILOSOPHICA DE LEGIbus naturalibus, in qua inveſtigatur & ſtabilitur per rerum naturam forma harum legum, firmanturque prima-*

Digitized by Google

primaria earum capita, ordo, promulgatio, & obligatio, ſimulque refutantur elementa ethica & politica Thomæ Hobbeſii, per D. RICHARDUM CUMBERLANDUM, poſtea Epiſcopum Petroburgenſem, converſa e Latino per BARBEYRACIUM, Doct. & Prof. Jur. in Acad. Groning. una cum Notis Interpretis, qui adjunxit annotationes Anglicæ interpretationis.

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1744, 4.
Alph. 2 plag. 13.

Celeberrimi *Cumberlandi* Opus hoc philoſophicum anno lucem adſpexit eodem, quo *Puffendorfii* Opus de Jure naturæ & gentium publici fuit juris factum. Annus utrique eſt natalis 1672. Laudavit *Samuel Puffendorfius* librum *Cumberlandi* in *Specimine controverſiarum circa Jus naturale*, Samueli Puffendorfio *motarum, Cap. 1 §. 6*, quod poſthæc *Eridi Scandicæ* inſertum fuit. *Cumberlandus* in eo fuit totus, ut opinionem *Hobbeſii* everteret, & principia ei contraria ſtabiliret. Superſtruxit ædificium hoc amori, erga Deum & homines ab hominibus exhibendo. Procœmiali Diſſertatione hunc ſcopum complexumque ſtructuræ ſuæ delineavit copioſe. Laudibus id ipſi ducendum, quod inter primos ex Anglis contra *Hobbeſium* ſcripſit, ac in eorum numero huc uſque obtinuit principatum. Dolendum eſt, quod ipſe, argumento intentus, non ſolum non diſerte, ſed etiam duriuſcule, invenuſte, negligenter, ſententiisque ſæpius inſtar funium extentis, ac parentheſibus paſſim interjectis, ſenſa animi expreſſit. Dolendum eſt, quod apographi ſcriptor fuit juvenis imperitior, qui, ut typographus errata cumularet citra culpam ſuam, exſtitit in cauſa. Errata indicat quidem ſeries ſubjuncta, at nec omnia, nec ſemper graviora. Impulſus fuit Autor crebris admonitionibus peritiorum, ut librum revideret ſuum, ac emendatiori, nec non luculentiori, forma emitteret. At noluit ipſe veteri rurſus ſeſe ludo includere. Tradidit Diacono ſuo *Payne* exemplar, in quo

folia ſingula interpoſitu chartæ puræ erant diſtincta, quibus hinc inde additiones alleverat, ut hic in uſum ſuum publicumque decerperet inde potiora. At irrito eventu. Conquievit Anglia in editione prima. Translationes ac editiones Germanicæ nævos auxerunt. Obliti fuerant Angli pæne hujus operis, cum A. 1727 Anglicam translationem adornaret *Joannes Maxwell*, Præbendatus Connoriæ, & ſcriba Perill. Domini *Cartereti*, tunc Hiberniæ Proregis, eamque Londini in forma, quam vocant, quarta evulgaret. Gallicam in præſens concinnavit translationem Cel. *Barbeyracius*, qui *Puffendorfio* ac *Grotio* conſimilia exhibuit officia. Id muneris *Barbeyracio* dudum deſtinaverat Dominus *de la Roche*, Ephemeridologus Anglus, in Actis literariis, quæ inſcribuntur *Mémoires literaires de la Grande Bretagne, Tom. IV pag. 248.* Juris naturæ hic doctor illuſtris, compluribus aliorum hortationibus ad idem tentandum exſtimulatus, tertiam operis partem circa A. 1730 in Gallicum convertit. Interrupit poſthæc occupationum aliarum moles deſtinationem, donec vir præſtantiſſimus A. 1739 telam iterum aggrederetur pertexere. Lactatus inter hæc fuerat ſpe varia obtinendi ex Anglia acceſſiones & annotationes, ab Autore ipſo profectas. Nactus quoque fuit tandem beneficio Perill. *Cartereti* & Pl. Rev. *Caſparis Wetſteini* exemplar, cui Autor addiderat nonnihil, nævosque paſſim detraxerat. At correctiones illæ erant perpaucæ, & reſtabant maculæ permultæ, eæque paſſim graviores, ad ſenſum ipſum corrumpendum ſatis aptæ. Additionum mica ad finem libri conjecta erat, complectens duas cum dimidia paginas. Correctiones *Richardi Bentleji*, quem A. 1742 ſenectus exſtinxit, præter orthographicas emendationes & interpunctiones, vel ſtili maculas, continebant nihil. Ad ſenſum illuſtrandum nulla inde lux orta. Interpres novus ſuas annotationes a *Cumberlandianis* diſtinxit. Sententias condidit breves & luculentas. Venuſtior & magis perſpicuus hic rediit *Cumberlandus*, quam Latium & Anglia eum initio genuerant. Libro Cel. Interpres *vitam* præfixit *Cumberlandi*, ab Anglo, Autoris ſcriba, ac Diacono, & Barnacenſi intra Northamptonenſem provinciam parocho eccleſiaſte, conſcri-

conſcriptam, ſeparatim editam primo, & deinceps loco Præfationis præmiſſam *Hiſtoriæ Phœniciæ Sanchoniathonis Cumberlandianæ*, in Anglicum converſæ A. 1720. Deſiderat in hac vita Interpres varia momenta, quæ omnino intererat noviſſe. Quantum huic reſciſcere datum fuit, id in annotationibus ſignificavit ſubjunctis. Hæc ſunt, Lector, quæ ad bibliographiam externam attinent. Accedendum nunc eſſet ad vitam *Cumberlandi* fuſius ediſſerendam, niſi hæc paſſim jam exſtaret, ex commentariis *Paynii* decerpta. Exhibebimus tamen ea, quæ alibi haud fuerunt repetita. Commilitones *Cumberlandi*, A. 1632 Londini patre cive nati, floruerunt Cantabrigiæ duo inprimis, *Ezechias Burton*, & D. *Hollings*, Anatomicæ ſcientiæ peritiſſimus. Præceptoribus ipſe indidem operam dedit D. *Raimbovio*, Epiſcopo Carlilienſi, & D. *Duporto*, Decano Petroburgenſi. Amicitiam coluit idem Cantabrigiæ cum Equite *Samuele Morlando*, cui ſolet inventio tubæ ſtentoreæ attribui, inſigni Mathematico; cum *Pepyſio*, humaniorum literarum ornamento; cum Equite *Orlando Bridgeman*, cui hoc opus inſcripſit, ac ſpecimen de Ponderibus ac Menſuris Judæorum veterum. In Academia ipſa Baccalaureum Theologiæ agere cœpit. Cum ei valedixiſſet, curam animarum ſuſcepit in villa Bramptoni intra provinciam Northamptonenſem & Diœceſin Petroburgicam, patrono *Joanni Norwich* nunquam non approbatus. Equitis *Bridgemanni* opera adiit curam paſtoralem, Stamfordi in Comitatu Lincolnenſi gerendam. Reliqua jam fuerunt expoſita in hiſce *Actis A. 1722 pag. 532 ſeq.* Id jam monemus, ſcriptum illud, ibi in epitomen redactum, *a brief Account of the life - - of Richard Cumberland*, eſſe illam ipſam S. *Paynii* elaborationem, quam Cel. *Barbeyracius* hic denuo edendam curavit. Monuit hic Vir optimus, *pag. 533* mendum quoddam irrepſiſſe *lin. 18*, legendumque eſſe: *nec non ſeparationem, ab eccleſia Anglicana, eſſe ſchismaticam.* Scripſit *Cumberlandus* quoque *Sanchoniathonis Hiſtoriam Phœniciam.* Recenſitam invenies eam in *Actis A. 1722 pag. 524 ſeq.* At, de libro ejusdem morali *de Legibus Naturæ* dictum fuiſſe a majoribus noſtris, haud meminimus. Exponemus igitur de

eo,

eo, quantum pro inſtituto ſatis erit. Præmiſit *Cumberlandus* operi ſuo Diſſertationem procœmialem, in qua ediſſeruit ea, quæ ad originem legum naturæ & inſtitutum ſuum propius cognoſcendum faciunt. Celebrat in ipſo limine merita *Hugonis* & *Wilhelmi*, *Grotiorum* fratrum, ac *Sharrocki*, Angli, qui hanc diſciplinam illuſtrarunt. *Wilhelmi* illus opuſculum poſthumum prodiit Hagæ in lucem A. 1667, 4, ac Jenæ A. 1669, 12, præfixa inſcriptione: *Gulielmi Grotii de Principiis Juris naturalis Enchiridion.* *Robertus Sharrock* edidit Londini A. 1658, & 1682 auctiorem in modum, *Hypotheſin ethicam de finibus & officiis ſecundum jus Naturæ, unde caſus conſcientiæ, quatenus notiones a natura ſuppetunt, dijudicari poterunt.* Edidit idem *Judicia, ſeu Legum cenſuras, de variis incontinentiæ ſpeciebus,*
Pag. 2. Tubingæ A. 1668, 12, recuſas. Judicium tulit de libro utroque *Chriſtianus Thomaſius* in *paulo pleniori Hiſtoria Juris naturalis Cap. 6 §. 9 pag. 83.* *Hugo Grotius* ex ſententia *Cumberlandi* exiſtentiam & obligationem legum naturæ ex teſtimoniis Autorum ivit ſtabilitum. Interpres addit, *Grotium* omnino rationibus quoque adhibitis docuiſſe, exiſtere jus naturæ, eoque homines obligari, licet jus gentium, pro conſuetudine & arbitrio gentium moratiorum acceptum, autoritatibus ſcriptorum ſuperſtruxerit. *Cumberlandus* nullum ponit pretium teſtimoniis ſcriptorum, qui, univerſas gentes atheiſmo theo-
4. retico, eique negativo, immerſas eſſe, tradiderunt. Averſatur *Hobbeſium* & *Seldenum*, exiſtimantes, nullam juri naturæ ineſſe obligationem, & hanc non niſi a magiſtratu politico introduci. Poſterior ille vim juris naturæ ex tradita Ebræis ac olim
6. Noachidis diſciplina juſti arceſſendam credidit. Monet Noſter, leges, Noachidis datas, ad Rabbinorum dogmata ſpectare, nec reliquis gentibus fuiſſe compertas. Tum vero it comprobatum, leges naturæ a Deo pendere, eisque ineſſe ſanctionem internam, ut virtutibus præmia naturalia, praveque factis pœnæ naturales, cohæreant. Rejicit *ideas* Platonicorum *innatas* haud ſecus ac *Puffendorfius.* Comes *de Shaftsbury* eas vocavit *con-*
8. *naturales.* Admittit autem *Cumberlandus* propoſitiones immutabiles, quibus cura felicitatis promovendæ in mentibus hominum

minum convenienter naturæ ipſorum inſiſtit. Curam vero eam a Deo nobis fuiſſe inſitam ex univerſo, quis inficiari auſit? Recenſet idem deinceps veritates Phyſices, quarum in hac tractatione utilitas elucet. Notionum ac judiciorum noſtrorum Pag. 9.
effectus naturales a voluntate Dei determinatos eſſe, docet.
Leges naturæ univerſas ad hanc unicam ſententiam refert: *Promove pro viribus commune bonum ac communem ſalutem civitatis mentium ratione præditarum.* Proinde voces, quibus hæc ſententia componitur, omnes ac ſingulas exponit. Ediſſerit vincula hujus ſententiæ. Deducit ac limitat leges alias naturales, quæ ex illa ſententia emanant. Addit, Deum eſſe hujus ſententiæ autorem & legislatorem competentem ac unicum, a quo ſanctio naturalis ſit conſtituta, ad cujus notitiam homo, ad eventa actionum ſuarum reſpiciens, facile poſſit venire. Oſtendit, actiones, 17.
legi naturæ conformes, eſſe bonas, juſtas, pulchras, honeſtas, decoras, amabiles. Ad objectionem, bonis probisque hominibus evenire ſæpius mala, & malos frui jucunditatibus, dictitantem, reſpondet, ea, quæ a cura & providentia noſtra haud pendent, ſanctioni illi pœnali haud obſtare, ſiquidem mala, quæ cauſis externis, haud evitabilibus, originem debeant, malis æque accidant ac bonis. Ut veram de ſanctione illa notionem animis informet, tradit ipſe, præmia, quæ homo vel ob ſtultitiam, vel ob virtutis culturam, reportat, ſemper ſic eſſe comparata, ut æſtimatio ejus ſit major eo eventu, qui ex actione, quæ legi repugnat, prodit ac in lucem emergit. Sanctionis naturalis veritatem & vim exinde comprobat, quod homo, ſocietatis quippe pars, ſemper recipit partem ſalutis promotæ, & a ſeſe propugnatæ. Speciatim vero eam inde ſtabilit, quod amicitia hominis cum Deo & hominibus nunquam poteſt eſſe 20.
infructuoſa. Felicitatem generis humani metitur commercio inter diverſas nationes tranquillo ac ſecuro, conſervatione civilium ſocietatum, ac obſervatione vinculorum amicitiæ particularium, ſeu œconomiæ moralis. Aliud argumentum depromit ex actionum humanarum effectibus. Objici poteſt, effectus illos non ſemper certo obtineri poſſe. Reſpondet, nihilo minus actionibus bonis eſſe vacandum, ſiquidem non omitta-

mus trahere ſpiritum, licet aer nonnunquam ſit contagioſus, nec argriculturæ renuntiemus, licet meſſis ſubinde ſpem agri-
Pag. 24. colæ eludat. Comparat deinde effectum obſervatarum legum naturalium cum effectu adminiculorum naturalium, quæ conſervandis animalium corporibus ſunt uſui. Confirmat tandem methodum & principia hujus Operis per hominum conſenſio-
26. nem ac ſuffragia. Principium juris naturæ unicum ut exhibeatur, ſuadet, in quod ceteræ concluſiones poſſint reſolvi. Societatum civilium originem deduxit ex duabus legibus naturalibus, quarum una ad dominium diſtinctum in res, quibus uti poſſumus, altera ad benevolentiam parentum erga liberos, per-
31. tinet. Hoc eſt Operis fundamentum, quod ſua ſeſe commendat firmitate & præſtantia. Non eſt noſtrum, plures floſculos ex libro jam olim edito decerpere. Prædicamus tamen merito laborem Cel. Interpretis, cujus annotationes quippe ſunt auro contra caræ maximam partem, immo gazis cariores.

P. CASTI INNOCENTIS ANSALDI, O. P. DE Principiorum legis naturalis traditione, ad CAROLUM POLINUM, S. Martini Abbatem, Libri III.

Mediolani, in regia Curia, apud Joſephum Richinum Malateſtam, Regium Ducalemque typographum,
1742, 4 maj.
Alph. 2 plag. 12.

Quem præfixit titulum operi ſuo *Vir doctiſſimus*, *ſcopum* tractationis non ſatis dilucide exprimere videtur. Ipſe *in* eo eſt, ut demonſtret, legem naturalem non tam ex principiis nobiscum natis, quam quidem ex *traditione*, id eſt, doctrinis inde ab antiquiſſimis hominibus ad poſteros continua ſucceſſione transmiſſis, haberi poſſe. Sed, num inde lex naturæ dici mereatur, aliis diſceptandum relinquimus. Ad ipſum potius opus nos convertimus, & præcipua illius eo, quo ſe nobis offerunt, ordine, ſuccincte exhibebimus. Nomen præfert, cui inſcriptum eſt, *Quirini*, Eccleſiæ Romanæ Purpurati, eximii non Brixiæ ſolum ſuæ, verum univerſæ Italiæ, decoris,

Digitized by Google

coris, cujus doctrinam ſummam, ac ſingularia in rem literariam & eccleſiam Romanam merita, debitis extollit laudibus. Ortum eſt ex ſermonibus familiaribus, inter *Anſaldum* & *Polinum* in prædio Calviſiano ultro citroque de legum naturalium obligatione & principiis habitis, quos poſt ordinatius digeſſit, & accuratius elucubravit. Initium demonſtrationis facit ab homine, quem ex omnibus rebus creatis cognitione Dei inſtructum, adeoque ſocietatis & religionis capacem, eſſe, recte affirmat. Absque *idea* Dei *practica* lex naturæ conſiſtere non poteſt. Legis autoritas eſt nulla, niſi, qui tulit, illius contemtum vindicare poſſit. Dei cognitionem repetit a traditione, impertita primum *Adamo*, inde *Noæ*, *Abrahamo*, *Moſi*. Gentiles Philoſophi, Deum ex naturali contemplatione cognoſcere ſatagentes, in varios errores ſunt prolapſi. In exemplum adducit Philoſophos olim inſignes, quos omnes ad claſſem *Atomiſtarum* & *Academicorum* revocat, ad priores referens *Pythagoræ* ſectatores & *Epicureos*, ad poſteriores *Stoicos*, *Platonicos*, & *Peripateticos*, quorum illi per Deum *mundum* intellexerint, hi *materiam* cum Deo confuderint, quæ ex ipſo ab æterno prodierit. A qua ſententia cum nonnulli immunem pronuntient *Platonem*, quod ſpeciatim fecit Cl. *Zimmermannus* in *Schelhornii Amæn. liter. Tom. IX*, ex ſcriptis Philoſophi contrarium demonſtrare contendit. Æternitas mundi, ſive quod ad *materiam*, ſive quod ad *formam*, cum conceptu Dei conſiſtere nequit. Circa naturam mentis divinæ veteres a vero aberraſſe, Autor judicat, quoniam absque traditione *naturæ immaterialis notitiam vi luminis naturalis habere non potuerint*, quod inde probat, quoniam & ipſos genios & animas humanas in numerum rerum materialium redegerint, quemadmodum etiam recentioribus temporibus *Lockius* & *Voltairius* materiæ cogitandi vim aptarint. Hinc diſputat adverſus *Cudworthum*, aliquos Atomiſtarum excuſantem, qui ſic dictis atomis infinitam mentem, omnes illas colligantem, inque juſtum ordinem redigentem, præfecerint. Deum nominare non ſufficit, quod omnes fecerunt Philoſophi, niſi ſimul de illo ea dicantur, quæ ipſi conveniunt. Horum ſententias vult admodum fuiſſe diverſas,

Pag. 7-10. 10-13. 13-15. 15-30. 30-32. 32-40. 40-47.

quoniam illas non vi mentis, aut conſtante quodam principio, aut certa traditione, ſint indepti, ſed in illas caſu quaſi quodam
Pag. 47- inciderint. Ex perfectionibus & virtutibus divinis illæ cum-
49. primis ſunt ſpectandæ, quibus ſocietas humana conſtituitur & firmatur, ſpeciatim juſtitia, qua præmia virtutibus, pœnæ vitiis, ſunt deſtinatæ; hinc, ex Epicureorum opinione, providentiam divinam tollentium, virtutem locum habere non poſſe,
49-55. recte concludit. *Stoici* pariter fato ſuo virtutis exercitium proſcripſerunt, Deum cum hac rerum univerſitate inepte permi-
55-59. ſcentes. A qua impia opinione cum alienus non ſit *Spinoza*, hujus ſententiam de Deo Autor proponit, eandemque refellit, &,
59-94. quæ ex illa incommoda ſequantur, oſtendit. Horum omnium erroribus refutatis, qua via quis in cognitionem Dei per naturalem contemplationem, tum ſui, tum aliarum extra ſe rerum, pervenire poſſit, docet; ſed notat, illam non tantum, quantum debeat, valere, niſi traditio accedat, quia etiam iisdem forte argumentis alii ad errores ſuos tuendos & incruſtandos uti poſſint, quod argumento, ab ordine in hoc mundo petito, liqueat, quod
94-100. *Stoici* etiam in commodum ſuum vertere queant. Circa demonſtrationem exiſtentiæ deitatis, quam *Weigelius* a continuata Dei creatione, in conſervatione hujus mundi conſpicua, multum monuiſſe *Leibnitium*; *Wolfium* exactiorem Ontologiæ, Coſmologiæ, & Pſychologiæ, cognitionem requirere ab illo, qui de Deo ac attributis divinis prorſus perſuaſus eſſe velit. Cum autem uniuscujusque ſit, Deum colere, & legibus ipſius obtemperare, id autem absque exiſtentiæ illius cognitione fieri nequeat, ſed via, ad illam per rationem perveniendi, partim ſalebroſa, partim nimis longa, ſit; tutiſſimum eſſe colligit, ad traditionem ſe recipere, quorſum etiam Philoſophi ſe, cum diu multumque ancipites
100-113. circa divinam naturam fluctuaſſent, contulerint. Speciatim id adſtruit argumento, a *novitate mundi* deſumto, quod adverſus atheos non multum proficiat, niſi quis traditionem in ſub-
113-127. ſidium vocet. Atque hoc, quod Deus e nihilo produxerit mundum, ſufficere ad leges, quæ ad jus naturale, & ad ordinatam humani generis ſocietatem, ducant; in illis autem quo tempore, quo modo, ſingula produxerit, ingenium hominis ſe exer-

exercere poſſe. Inde percenſet Autor diverſas veterum de rerum omnium principiis ſententias, &, quæ mundi ſyſtemata priſci pariter ac recentiores effinxerint, enarrat; adhæc, quid ſcientia rerum naturalium a diſciplinis mathematicis ſibi polliceri habeat, docet, de inconſtantia denique ſectarum philoſophicarum, quarum alia alii ſucceſſerit, quæque haud diu locum ſuum ſint tuitæ, differit; cum contra in traditione pedem quis tuto figere poſſit. Uti *Libro I* probatum iverat, certam atque indubiam exiſtentiæ rerum omnium cognitionem parari non poſſe, niſi ex traditione; ita *Libro II* hoc pariter de providentia divina adſtruere molitur, affirmans, de illa, ſpeciatim origine boni & mali, neminem certo perſuaſum eſſe poſſe, niſi ad traditionem, quæ primum fontem ac originem mali indicet. Quotquot ex Philoſophis vexatiſſimam illam quæſtionem attigerunt, quorum diverſas ſententias in ſcenam producit Noſter, inventi tamen ſemper ſunt, quod ſigillatim de *Scepticis* eſt dicendum, qui, ſi non omnia incerta reddiderint, ſaltem dubia ex dubiis nexuerint. Quod homines probi, prudentes, rerumque ſuarum provide ſatagentes, adverſis aliquando fatis urgeantur, improbis contra ac imprudentibus ex voto omnia eveniant, illius rei rationem non aliunde, quam ex traditione, dari poſſe, Noſter judicat. Quod porro recte facientes præmio mactentur, male facientes ex adverſo pœnam exſpectare habeant, id pariter indubie non ſciri, niſi per traditionem, ait. Animam morti obnoxiam non eſſe, cogitationem eidem ſoli eſſe propriam, nec vim illam corpori communem eſſe poſſe, traditione certiſſime conſtare, licet de eo ratiocinando exquirere multa queamus. Num ex eo, quod animæ ſentiant, colligi queat, animam hominis materialem eſſe, anquirit, ſententiam de anima brutorum fuſius proponens. Nec origines rerum, nec fines certos illarum, patere, niſi traditionis ope lux aliqua præferatur. In rebus phyſicis multam dominari incertitudinem, cui non melior medela, quam per traditionem, afferri queat. Patres primævos inde ab *Adamo* rerum naturalium & ſideralis ſcientiæ probe gnaros fuiſſe, eamque ad ſucceſſores ſuos traduxiſſe, quam corruptam reſtituerit *Salomo*, & ad quam propius acceſſerit Phi-

Pag. 127-141. 142-168. 168-185. 185-200. 201-204.

loſophia Ægyptiaca, quam ſequentibus temporibus inſigniter
Pag. 238. coluerit *Philo*. Ipſa illa etiam niti morum doctrinam, quæ circa officia in Deum, ſocium, ſe ipſum, verſetur, in quibus cum immane quantum deviatum ſit a diverſis gentibus, turpe ac indecorum pro recto & honeſto reputantibus, ad traditionem, velut ſacram anchoram, confugiendum eſſe; maxime cum
238-257. Deus officia omnia decalogo explanaverit ac declaraverit. De juris naturæ principio multa diſputant Philoſophi priſci & noſtri ævi, inque ſententiarum divortia ſecedunt, &, qui optima de virtutibus & officiis præcepta tradunt, illi, affectibus abrepti, in transverſum aguntur, ſed, qui traditionis ſemitam legunt, illos
257-327. habere arbitratur, in quo tuto conſiſtant. *Libro III* removet objectionem, plurimos populos absque primævæ traditionis ſcientia in ſocietatem coire, vitam ſocialem agere, & ordinatas conſtituere poſſe civitates, quorum tamen plures craſſiſſimis erroribus fuerint immerſi, ac deteſtandum ſictorum *Deorum* cultum ſint ſectati, docendo, ex ipſa idololatria multas pri-
328-344. mævæ traditionis promicare ſcintillas. Quicquid primis humani generis parentibus, & ſpeciatim populi Iſraelitici progenitoribus, de Deo rebusque divinis fuerit cognitum, *id ipſum* ſymbolis fere fuiſſe involutum, cultum etiam illorum maximam partem ſymbolicum exſtitiſſe, ſed cum temporis lapſu occaſionem male ſanæ ſuppeditaſſe ſuperſtitioni, ubi res externas, quæ ſymbolorum tantum vicem ante præſtabant, cultu di-
351. vino proſequi cœperint. Qua ratione autem Dii fuerint effecti ex *Adamo*, *Noacho*, ejusque *filiis*, ac *Moſe*, ex *Voſſio*, *Bocharto*, aliis, oſtendit. *Huetium*, Deos gentiles ad unum fere omnes ad *Moſen*, Deas ad illius conjugem *Sephoram*, vel ſororem *Mariam*, revocando, aliquam judicii imbecillitatem oſten-
351-374. diſſe. Cum temporis lapſu religio omnis ars quædam politicorum eſt facta, qui, quo populum ſibi haberent obſequentem, colloquia cum Diis effinxerunt, legesque ſuas ab illis profectas eſſe ſunt commenti, hoc ipſo teſtati, absque traditione religionem & virtutis cultum non ita facile locum ſuum tueri poſſe.
374-382. Philoſophi athei fere erant, mundum pro Deo habentes, nec ab illis ſacerdotes & Poetæ multum aberant, qui, quo probra

a *Diis*

a Diis averterent, ea, quæ de Deorum facinoribus circumferebantur, de naturæ viribus explicare, ac Deorum nominibus partes hujus universi insignire, instituerunt. Misera etiam cum tempore facies gentis Ebrææ est facta, quæ hæresibus infandis, superstitionibus, ac humanis placitis, aliisque malis, circumagi cœpit, quod non alia de causa est factum, quam quoniam a prisca, simplici, ac divina, traditione discesserint, quam Christus, salutis humanæ reparator, restituerit, veræ religionis & virtutis præcepta inculcans, hominumque animis ingenerans. Cl. Autor, traditionem juris naturæ principium constituendo, hypothesibus ecclesiæ suæ aliquid dedisse videtur, quæ, quod abunde constat, in doctrina religionis revelatæ multum huic concedit. Sed, per traditionem quid intellectum velit, non definite exponit, modo illam de doctrina morali, in sacris literis contenta, modo de sententiis moralibus, inde a primis mortalibus per reliquas orbis gentes propagine quasi quadam sparsis, & jugiter conservatis, accipiens. Stilus per omnia sibi similis non est, aliquando planus, tersus, nec ornatu destitutus, aliquando solœcismorum & barbarismorum labe fœdatus.

Pag. 382. 398. 399-413.

SIMONIS DE VRIES DISSERTATIO CRITICA de Priscillianistis, eorumque fatis, doctrinis, & moribus.

Trajecti ad Rhenum, apud Joannem Brœdelet, bibliopolam, 1745, 4.

Plag. 16.

Inter Hæreticos, qui prioribus post C. N. Seculis ecclesiam vehementer turbarunt, non ultimum occupant locum *Priscillianistæ.* Duplex autem male feriatorum ejusmodi hominum secta, quibus hæc ipsa compellatio adhæsit, in veterum monumentis deprehenditur. In Asia nimirum Seculo secundo perversis opinionibus innotuit *Montanus*, asperioris ingenii homo, qui, austeris sibi vitæ legibus imperatis, pietateque simulata, permultis, & sigillatim *Priscillæ* & *Maximillæ*, fœminis opulentis, fucum faciens, divino eas agitari spiritu, dictitavit.

Priscilla

Priſcilla hæc nomen ſectæ dedit, perverſiſſimæ profecto, ipſisque Principum conſtitutionibus, quæ in Codice *Theodoſiano* comparent, reprimendæ. Cum autem fuſe & accurate de his ipſis hominibus, eorumque ſententiis, a viris doctis ſit actum; noluit Clariſſimus *de Vries*, hujus Diſſertationis Autor eruditiſſimus, ſæpe jam dicta repetere, ſed de alia potius *Priſcillianiſtarum* ſecta, a *Montani* aſſeclis diverſa, quæ in Hiſpania pravas diſſeminavit de rebus ſacris opiniones, diſſeruit. Autorem ſectæ *Priſcillianum* quendam, ex Gallæcia oriundum, fuiſſe,
Pag. 4. obſervat. Is enim, familia progenitus nobili, opibus abundans, ingenio, eruditione, & dicendi facultate, egregie inſtructus, a *Marco* quodam, Ægyptio, qui circa medium Seculi quarti Manichæorum & Gnoſticorum errores in Hiſpania ſparſit, inſtitutus, brevi tempore hæreſin per omnem, qua patet, Hiſpaniam diſſeminavit. Eam ob cauſam Concilium Cæſarauguſtanum coactum eſt, in eoque *Priſcillianus*, ſociique ejus, quamvis indicta cauſa, in exilium ſunt acti. Hac Synodo finita, res nondum eſſe compoſitas, verum poſt varios tumultus, Concilium Burdigalenſe A. C. 384 autoritate *Maximi*, qui, cæſo *Gratiano*, imperium ad ſe rapuerat, congregatum eſſe, eoque finito *Priſcillianum* in carcerem conjectum, & capite tandem Tre-
9 ſeq. viris truncatum, Cl. Autor obſervat, nimiam erga hæreticum illum Hiſpanorum Præſulum aſperitatem perſtringens. Funeſtus is hæreſiarchæ exitus ipſam hæreſin plane non exſtinxit. Sectatores enim ejus, ſummo erga *Priſcillianum* amore flagrantes, in Gallæcia, quam univerſam fere erroribus *infecerant*, multos excitarunt motus. Eam ob cauſam Concilium Toletanum anno, ut Cl. Autori videtur, 400 celebratum eſt; cujus
12. hiſtoriam accurate exponit, eoque finito, *Priſcillianiſtarum* cauſam ingens quidem detrimentum paſſam eſſe, per plura tamen adhuc ſecula, variis Conciliis nequicquam ideirco coactis, viguiſſe, pronuntiat. Delineata hoc pacto hæreſeos hujus hiſtoria, *Priſcillianiſtarum* etiam opiniones lectori ante oculos ponit. Cumque maximam partem deliria ſua a Baſilidianis,
16 ſeq. Marcionitis, & Manichæis, hauſerint, horum hominum placita prius recenſet, &, quæ *Priſcillianiſtis* ſederint, deinceps adſtruit.

Digitized by Google

ſtruit. In dogmate tamen de Scriptura S. non cum hæreticis antea nominatis eos per omnia conſenſiſſe, ſtatuit. Sacrum et- Pag. 19.
iam Codicem ab illis fuiſſe corruptum, non ſatis probari poſſe, contendit. Apocrypha vero ſcripta quamplurima, quæ homines θεοπνεύστους autores mentiebantur, ad opinionum ſuarum defenſionem aut confinxerunt, aut ab aliis conficta, maximi fecerunt. Ipſe etiam *Priſcillianus*, ut erat ſatis eloquens 31.
& eruditus, varia edidit opuſcula, uti ex *Hieronymo* apparet. Eum ſecutus *Dictinius*, opuſculum maximæ inter Priſcillianiſtas autoritatis compoſuit, & *libram* inſcripſit, quod duodecim quæſtionibus, velut libra Romana unciis, abſolveretur. *Matronianus* & *Tiberianus, Priſcilliani* aſſeclæ, varios reliquerunt ingenii fœtus, ultimusque Apologeticum conſcripſiſſe traditur, qui una cum reliquis Priſcillianiſtarum libris, ob maximum, quod veteris eccleſiæ doctores abolendis hujus farinæ codicibus impendebant, ſtudium, ad noſtram plane non pervenit ætatem. Cumque hæc ita ſint, facile intelligitur, adeo dilucide dogmata iſtorum hominum exponi non poſſe, cum præſertim antiqui, nimio nonnunquam contra hæreticos odio incenſi, varia de eorum ſententiis tradiderint, a veritate abhorrentia. Conjecturis igitur hac in re aliquid dandum erat, quales admodum ingenioſas Cl. Autor, de Priſcillianiſtarum agens ſomniis, attulit. Unum igitur Deum eos credidiſſe, ſtatuit. 34.
Patris tamen, Filii, & Spiritus S. unam atque eandem eſſe perſonam, deliraſſe illos homines, *Leo Magnus*, *Auguſtinus*, *Oroſius*, variaque Conciliorum acta, quæ etiam Sabellianis Priſcillianiſtas eam ob cauſam accenſent, tradunt. Quæ ergo fuerit *Sabellii* hæreſis, fuſe diſquirit, eumque, patrem & filium unam eſſe hypoſtaſin, ſtatuiſſe, negat. Hinc ad ipſos Priſcillianiſtas progre- 37.
diens, dici abſolute non poſſe, eos unam duntaxat in Deo hypoſtaſin credidiſſe, contendit. Immo, ſi vel maxime ita pronuntiaſſent, eos tamen commode excuſari poſſe exiſtimat; cum ipſi Catholici ita nonnunquam locuti ſint, ὑποστάσεως vocabulo eandem, quam οὐσίας, ſignificationem ſubjicientes. Vitio datum eſt Priſcillianiſtis, quod, filium Dei innaſcibilem (ἀγέννητον) fuiſſe, dixerint, eoque nomine inter *Sabellii* ſecta-

tores numerati ſunt. Sed nec eam ob cauſam eos ſatis certe dici poſſe Sabellianos, ſubtilibus multis rationibus Cl. Autor
Pag. 38. evincere annititur; a Photinianiſmi etiam, Arianiſmi, & Samoſatenianiſmi, labe, quam ipſis *Leo M.* impegit, ingenioſe hos homines liberat, &, dictos modo hæreticos diverſimode ſenſiſſe, atque adeo eorum ſententias ſimul adoptari a Priſcillia-
39-47. niſtis non potuiſſe, evincit. Mundum a Deo conditum eſſe, negarunt, immo malignum ſpiritum ejus autorem fecerunt. Et, quamvis hæc certa ſint, & unicuique perſuadeant, deteſtandos prorſus Priſcillianiſtarum fuiſſe errores, Cl. Autor tamen, ut eos, quantum poſſet, excuſaret, obſervat, non Priſcillianiſtas hunc errorem excogitaſſe, ſed a Gnoſticis, aliisque hæreticis, quo-
49 ſeq. rum adeo hac de re ſententias exponit, hauſiſſe, immo ex pietate, aſt male conſulta, illum errorem profluxiſſe. Angelos
54. ex ſubſtantia Dei exſtitiſſe, crediderunt. De diabolo ſtatuerunt, eum non fuiſſe prius bonum angelum a Deo *factum*, ſed ex chao & tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere autorem, verum ipſum eſſe principium atque ſubſtantiam mali. Hæc etiam Manichæorum fuiſſe deliria, Cl. Autor comprobat,
57. eorumque de dæmonibus ineptas opiniones recenſet. Cumque una cum Manichæis omnem materiam ſua natura malam atque vitioſam exiſtimarent, Deum quidem animam terreno miſeroque corpori, tanquam ergaſtulo, incluſiſſe, ſibi perſuaderi haud patiebantur. Et inde peſtilens profluxit error, creationem univerſæ carnis non Dei, ſed *malorum angelorum*, opificium eſſe. Hunc ipſum errorem ante *Manichæos Saturninum* jamjam erraſſe, & ex veteribus etiam Philoſophis haud paucos
62. ita deliraſſe, Cl. Autor egregie oſtendit. Animas cœleſtes & puras eſſe ſubſtantias, quæ ante corpus jam ſunt, relictisque cœleſtibus locis in illud commigrarunt, Priſcillianiſtas exiſtimaſſe, non vero conſtitui poſſe, utrum corpora iisdem anima-
66. bus attribuerint, contendit. Animas etiam e Dei ſubſtantia prodiiſſe, divinæque ſubſtantiæ partem eſſe, ajebant. De propagatione & transmigratione earum quid crediderint, in obſcuro jacet. Dupliçi anima hominem eſſe inſtructum, Priſcillianiſtas docuiſſe, totumque hominem ex tribus veluti naturis, nempe

nempe ex materia, ex anima, quæ ex materia originem ducit, atque ex ſpiritu cœleſti, conſtare, credidiſſe, Cl. Autori videtur probabile. Fatum illos finxiſſe, multi veterum loquuntur. Pag. 74.
Fatalibus enim ſtellis animas hominum obſtringi, *Leone M.* teſte, pronuntiarunt. Non tamen prorſus abſolutum aliquod fatum induxiſſe illos homines, Cl. Autor ſumma eruditione & acumine oſtendit, multos etiam alios hæreticos aſtris aliquas in regimine hujus mundi detuliſſe partes, commonſtrat. Hiſtoriam lapſus humani, a *Moſe* conſcriptam, in allegoricum ſenſum Priſcillianiſtas detorſiſſe, conjicit. Matrimonium eos damnaſſe, docet, maculam tamen, quam *Leo M.* illis aſperſit, ac ſi vagas libidines approbaſſent, ab illis abſtergere annititur. Multos inſuper antiquorum, ſigillatim *Encratitas* atque *Origenem*, matrimonium reprobaſſe, oſtendit. Corpora de ſepulcro reſurrectura negarunt; qua in re permultos veterum hæreticorum conſentientes habebant; inque hunc errorem ideo fortaſſis inciderunt, quia antiqui Theologi, ſententias hodiernorum Chiliaſtarum nonnunquam foventes, talia de reſurrectione prodiderunt ſomnia, quæ erectioribus ingeniis non poterant non diſplicere. S. Cœnæ uſum Priſcillianiſtas non detrectaſſe, inde fit probabile, quod Manichæi, quorum quidem veſtigia preſſerunt, hoc Sacramentum in ſuis cœtibus retinuerunt, neque ſcriptores eo nomine in Priſcillianiſtas invehuntur. Cum vero plurimi eorum, Encratitas ſecuti, a matrimonio, carne, & haud dubie etiam vino, quemadmodum & apud Manichæos moris erat, abſtinerent, eos aquam vini loco in S. euchariſtia adhibuiſſe, probabile fit. In baptiſmo conferendo valde hos homines erraſſe, & in nomine trium patrum, filiorum, & ſpirituum ſanctorum, baptizandos tinxiſſe, *Joſ. Bingbamus* conjecit. Ejus tamen ſententiam ſatis firmo niti talo, Cl. Autor negat, &, hac in re nihil certi dici poſſe, contendit. Uſum carnis, & fortaſſis etiam vini, perfectioribus ſuæ ſectæ negabant. Cujus rei rationem *Concilii Bracarenſis I* acta reddunt illam, quod nempe ſtatuerint, immundos fieri illos, qui carnes præguſtant. Cum vero hæc ratio Cl. Autori minus juſta videretur; rectius ſtatui aſſeverat, eos caſtitatis ſtudio exem- 81. 83. 86. 89. 93. 97. 99. 101.

plo permultorum apud veteres hanc ipſam præcepiſſe abſtinentiam. Jejunabant diebus dominicis, id quod nefas antiquis videbatur, & in Canonibus, qui vulgo Apoſtolici audiunt, aliisque Conciliorum decretis, ſevere erat prohibitum. Laicos ſæpiſſime doctores ſectæ ſuæ, contra conſtantem Catholicorum praxin, conſtituebant, immo aliquando mulierculam, *Agapen*, apud ipſos docuiſſe, erroresque ipſorum inter alios ſparſiſſe,
Pag. 107. ex *Sulpicio Severo* & *Hieronymo* cogi poſſe videtur. Ad mores tandem Priſcillianiſtarum quod attinet, a quamplurimis antiquorum longe turpiſſimi ac deteſtandi pinguntur, quos etiam noſtro tempore doctiſſimi viri, qui Hiſtoriam literariam Galliæ conſcripſerunt, ſine examine & delectu ſecuti ſunt. Recte adeo Cl. Autor obſervat, & *Dallæum* conſentientem excitat,
108. morem Patribus, & illis præſertim, qui ferventioris ingenii erant, fuiſſe, ut in hæreticos nihil non contumeliæ ſpargerent. Eadem ratione cum Priſcillianiſtis actum eſt. Eos enim magiam exercuiſſe, veterum haud pauci prodiderunt memoriæ. Hæc vero ſententia quam ridicula ſit, & a veritate aliena, unus-
109 ſeq. quisque deprehendet, qui, quæ Cl. Autor contra eam protulit, cum cura penſitabit. Mendacia approbaſſe, nec religioni ſibi duxiſſe, jurejurando illa corroborare, & hoc pacto ſectæ ſuæ arcana & dogmata occultare, dicuntur. Sed, etiam hac in re
114. mitius de illis ſentiendum eſſe, Cl. Autor exiſtimat, eamque rem potius fragilitati humanæ, quam ipſorum principiis, adſcribendam eſſe. Cum enim a perſecutoribus ſuis graviſſime vexarentur, ad evitandas, quæ ipſos manebant, pœnas, nonnunquam aliud dixerunt, aliud pectore clauſum geſtarunt. Obſcenos & fœdiſſimis libidinibus inquinatos fuiſſe Priſcillianiſtas, *Sulpicius Severus* autor eſt. Et, quamvis ejus teſtimonium
115. ſatis rem conficere videatur, Cl. Autor tamen, Rev. *Beauſobrii* veſtigiis inſiſtens, longum iſtis hominibus contexit apologeticum; qua in re an ipſi palma concedenda ſit, Lector candidus atque eruditus judicet. Nos interim ex vero affirmamus, tanto ingenio atque doctrina totam hanc Commentationem eſſe conſcriptam, ut optimis, quæ hoc in genere exſtant, lucubrationibus merito ſit accenſenda.

HADRIANI

Digitized by Google

HADRIANI RELANDI, CLARISSIMI Viri, Antiquitates ſacræ veterum Hebræorum. Cum in eas, tum præſertim in Syſtema rituum ſacrorum, quale, ſtante templo altero, autoritate Phariſæorum invaluit, & duabus Partibus poſtremis libri continetur, notas & animadverſiones adjecit JO. EBERHARDUS RAVIUS, in Academia Naſſavica Profeſſor Theol. & Ling. Orient. nec non Regiæ Societ. Berolin. Scientiarum Sodalis. Opus, ex ipſis fontibus hauſtum.

Herbornæ, excudit Jo. Nicol. Andreæ, Acad. Typographi, vidua, 1743, 8.

Alph. 2 plag. 18½.

Quo inſigniorem ſibi nominis famam ſcriptis, doctrina varii generis præclara refertis, quibus veterem in flore Palæſtinam ſtitit, arcum *Titi* triumphalem, cum ſpoliis templi, in eodem conſpicuis, oculis ſubjecit, & mores inſtitutaque priſcæ gentis Hebrææ recenſuit, in orbe, qua patet, erudito ſibi comparavit *Hadrianus Relandus*, hoc majori laude exornandi ſunt, quotquot in ſcriptis ipſius illuſtrandis laborem non omnino nullum ponere in animum inducunt. Fecit hoc Doctiſſimus *Ravius*, qui diviniores literas, linguasque veteris Orientis, in Academia Naſſavica non ſine laude tradit. Hic enim *Relandi* nobis librum, quo *Antiquitates gentis Hebraeæ* comprehenduntur, nova facie exhibuit, animadverſionibus uberrimis doctiſſimisque locupletatum. In Præfatione, quam præmiſit, poſt indicatos nonnullos editionis *Relandi* Lipſienſis, Præfatione *Buddei* commendatæ, errores, tempora diſtingui vult, quibus ritus Hebræorum viguerunt. Poſthæc, diverſi generis, docet, eſſe eos, qui tradendis Antiquitatibus Hebræorum operam navarunt, quorum alios nimiam Judæis habuiſſe fidem, conqueritur, alios, neglectis plane Judæis, tantum ex divinis cultus Levitici libris profeciſſe, ſcribit. In illis inprimis Antiquitatum Compendiis, quæ in uſum ſcholarum confecta

sunt, desiderat, quod, missis fontibus, saltem ex rivulis sua Autores deduxerint, præterea partem nobilissimam, qua exponitur de sacrificiis, vel plane præterierint, vel pro dignitate non persecuti fuerint, denique, quod sceleta exhibuerint, non indicatis monumentis, atque Autoribus, unde omnia derivata. Magna igitur laude ac honore *Relandum* mactat, quod verorum investigatione fontium, usu methodi, admodum concinnæ, brevitate etiam ac perspicuitate insigni, effecerit, ut liber ipsius virorum etiam doctissimorum manibus teratur. Effert inprimis *Relandi* methodum, qua quatuor partibus de *locis*, *personis*, *rebus*, ac *temporibus* Hebræorum *sacris*, doctrinam illam omnem absolvit, eaque usum jam esse docet *M. Terentium Varronem*, laudatum ob eam rem ab *Augustino de Civit. Dei VI, 3.* Jam ad Animadversiones ipsius libri, a Doctiss. *Ravio* adjectas, veniamus, ex quibus quasdam decerpere
Pag. 2. nostrum erit, omnes persequi, nimis longum foret. Quæ dixerat *Relandus* de angustia nominum terræ Canaan, & terræ promissæ, studiose expendit Autor, collato opere *Palæstinæ* ipsius ampliori; quod argumentum non ignobile, neque indi-
11. gnum observatu, videbatur. Ubi *Relandus* Hierosolymam interpretatur ירוש שלם *possessionem peremnem pacis*, *Ravius* potius hic latere existimat nomen *Salem* antiquissimum, *Ps. LXXVI, 3, Genes. XIV, 18.* Præmissum יר quid sit, an indicari commode possit, dubitat. Cum tamen רוה Hebræis sit *madefacere*, *irrigare*, videtur ipsi appellatio forsan redire ad fontes Hierosolymitanos, atque aquæductus, cura & sapientia
43. *Salomonis*, ob defectum & inopiam aquarum, confectos. Disputatur de תחשים, sive animalibus, quorum e corio tabernaculi vela paranda. Ipse *Ravius* corium intelligit, animali aquatili, in sinu Arabico maribusque Indiæ reperiundo, quod *Mancale* vocant, detractum. Galli illud corium *chagrin* di-
62. ctitant. Quæ sit vera mens *Josephi*, ubi de σπονδείοις, sive vasis sacris, exponit, declarat Noster, & quæstionem, utrum ei vasa mensæ sacræ imposita, an minus, fuerint, expendit.
91. Pronaon templi altitudine ædem superasse ipsam, indicat, eoque figuram leonis cubantis refert, templo a vate *Jesaia*

voca-

Digitized by Google

voce אריאל datam, *XXIX, 1*, quo tamen vocabulo non tam ædem Hierosolymitanam, quam urbem ipsam, significari, sequens קריה, *urbs*, velut interpretatio prioris, perspicuum reddere videtur. Fenestra templi, a *Salomone* facta, quomodo intelligenda sit, ostendit. Ubi negat *Relandus*, gentium in templo exstitisse atrium, Noster de nomine duntaxat hic litem moveri, judicat, quæ rem ipsam non attingat. Verum, recte egisse *Relandum*, persuasum nobis habemus, quod hic circumspecte locutus fuerit. Atrium enim gentium omnis ignorat antiquitas Hebraica, tacentibus, præter Codicem Hebræum, Judæis omnibus, ipsoque *Flavio*, refragante etiam tam situ atriorum, quam structura, quod singulari propediem Diatriba ad liquidum perducere nonnemo annitetur. Pag. 102. 120.

Nomen portæ *Nicanoris* erudite *Ravius* persequitur, indicata causa, ob quam eidem collatum. 136.

Vocem אולם, *vestibulum*, e Chaldæorum sermone deducit, in quo אלם *corroborandi, firmandi*, significatu præditum est. Hujusmodi enim loca ædibus firmamenti instar fuisse, ex *fortalitio portæ*, quo nomine אולם ab *Ezechiele* inscriptum, confecit. 163.

De אבן שתיה, seu *lapide positionis*, quædam Noster differit, quæ amplificari potuissent, si doctissima ea de re *Theod. Hasæi* Commentatio excusa fuisset. 172. 180.

De origine Synagogarum quæ disputantur, præterea de *Ps. LXXIV*, cujus autor non *Assaph* constituitur, sed ad ætatem *Antiochi Epiphanis* transfertur, curatius expendi merentur. 199.

De hyperbolis, scriptis Judæorum insertis, non contemnenda inspergit. 202.

Ἀρχιερεῖς Judæorum respondere existimat τοῖς שרי הכהנים *2 Chron. XXXVI, 14*, eosque, collapsis Judæorum rebus, summos Pontifices dictos, censet, qui dignitate illa jam splenduerant. 220.

Utrum manicis ornatum fuerit amiculum Pontificis Hebræorum, quæstio est, quæ torsit virorum eruditissimorum ingenia. Noster in eam rem inquirit, collata *Josephi*, affirmantis, *Brauniique*, negantis, sententia. Putat autem, manicas vere assutas fuisse amiculo, iisque ad axillos duplicem affixum lapidem, qui שהם dicitur. Inde etiam perspici, vult, rationem atque usum catenularum, unde lapides pependerint. In quo discrimen vocum כף & בזר situm fuerit, inquirit, notato 298.

tato ſimul *Braunio*, qui in *Selectis ſacris* בזר cum טני com-
Pag. 305. miſcet. Indicat etiam diſcrimen dictionum שופר & חצוצרה, quarum illi Græcorum βυκάνη, Latinorum *buccina*, huic σάλπιγξ & *tuba*, reſpondet. Ipſum tamen *Flavium* neglexiſſe
342. diſcrimen, conqueritur. Cur Levitæ in inauguratione ad officium aqua conſperſi, & corpore raſi, fuerint, rationem inveſtigat.
357. Synagogæ magnæ originem, de qua digladiantur eruditi, non definit, ſed provocat ad ſuam de Synagoga magna diſputatio-
365. nem, quam cum judicio vult legi. Cum quatuor ſupplicia capitalia Judæi numerent; Noſter, tantum lapidationem & combuſtionem divina lege ſtatutam, docet, contra vero, decollationem & ſtrangulationem a moribus gentium profanarum
400. adſcitam, putat. Differentiam nominum חזה & ראה non tam in Prophetis ipſis quæri jubet, quam potius repeti a vul-
403. go Iſraelitarum. In agitanda quæſtione: Quamobrem e numero Prophetarum Codicis ſacri *Danielem* proſcribant Judæi, recipit ſe inprimis ad id, quod Judæi doceant, non publico Prophetæ munere functum *Danielem* eſſe, ejusque librum non tam populum Dei & Eccleſiam perſequi, quam fata gentium aliarum. Plura tamen adjicit, non indigna, quæ expendantur.
405. *Hillelem* a *Flavio Pollionem* dictum fuiſſe, ut vulgo creditur, negat. Corrupta tamen dicit nomina *Joſephi* Hebraica. Hinc, cum *Joſephus* recte expreſſerit Ἴλληλον, græculum quendam
412. hoc in Πολλίωνα corrupiſſe, ſibi perſuadet. Utrum Sadducæorum familia prognata ſit ex male intellecto dogmate *Antigoni Socbæi*, in *Pirke Abboth* reperiundo, quæſtio eſt, non omnino nullius momenti. Negat hoc Noſter, illudque dogma
425. a Græcis translatum ad eos dicit. Phariſæos, oſtendit, pariter atque Judæos Rabbanitas, Karæos, ac Samaritanos, doctrinam de reſurrectione mortuorum admittere, eamque ob cauſam caſtigat *Joſephum*, cujus locum quendam contrarium de
428. Phariſæis excerpit. *Scaligerum*, oſtendit, aliquando ſuccenſere *Epiphanio*, quod phylacteria Judæorum *ſegmenta purpurea* dixerit. Noſter exiſtimat, *Epiphanium* loqui de מליה גדול, pallio laneo quadrato, capiti impoſito, atque in humeros defluente. Huic ſegmenta purpurea non adverſari, addit.

Cur

Cur Eſſaeorum in Novo Teſtamento non ſit facta mentio, cauſas has indicat, quod victimas non immolarint, quod religionis cauſa cum Judæis reliquis non adſcenderint Hieroſolymam ad ſacra anniverſaria, quod præter illos, qui Ægyptum incolebant, reliqui ad mare mortuum commorati fuerint, quæ vero loca Chriſtus non peragrarit. Ex textu Græco, *Act. XVIII, 18*, non confici poſſe, monet, quisnam ſibi raſerit caput, utrum *Paulus*, an *Aquila*, ipſeque poſterius veriſimile judicat. De voto etiam *Aquilæ*, ob quod comam depoſuit, varia inſpergit. Quæ Talmudici docent, de ſanctiſſimis, ad aquilonarem altaris partem, minus ſanctis ad orientalem, vel auſtralem, jugulandis, Noſter improbat, putatque, hoſtias omnes, etiam minus ſanctas, ad aquilonem, unoque in loco, fuiſſe cæſas. Quomodo ſacrificium pro delicto, אשם dictum, a ſacrificio pro peccato, quod חטאת vocatur, differat, copioſe aliquot paginis & erudite docet. Agnum paſchalem veri nominis exſtitiſſe ſacrificium, ex *Bochartо*, ejusque rationum fulcris, oſtendit, atque, in plerisque convenire, docet, cum שלמים, in quibusdam etiam cum תורה & חטאת. Quæ in Gemara, Maſſ. *Peſachim*, & *Eccha Rabbati*, de Rege *Agrippa* leguntur, qui ex numero renum agnorum paſchalium edoctus aliquando fuit numerum Iſraelitarum, tangit *Relandus*, ſed Noſter copioſe ea de re commentatur. Perſequitur etiam diſcrimen, Minchæ cum libamine intercedens. Primitias a primitivis e proventu terræ diſtinctas eſſe, multos ſibi perſuaſiſſe Chriſtianorum, ſed ſine cauſa, judicat, illudque latius probat. De vocabulo קונם, quo Judæi in votis ſuis utuntur, non contemnenda diſputat. Ipſe deducit e Perſarum lingua. Vocabulum עצרת tum quoad ejus originem, tum quoad uſum in doctrina de Feſto Pentecoſtes, latius examinat. Indicat frondes & virgulta, unde faſciculus *Lulabb* in feſto Tabernaculorum compoſitus. *Joma* non nomen feſto Expiationum eſſe, ſed tantum titulum Codicis Talmudici, oſtendit, Judæosque nomen hoc, addit, ſemper reſtringere ad expiationem, ſi de feſto diſputent. Inde igitur locum *Hebr. VII, 27*, illuſtrari poſſe, negat. De menſe ac die excidii templi ſecundi non convenire

Pag. 430. 444. 458. 559. 602. 609. 615. 644. 690. 780. 806. 819. 933.

Chronologos, neque ipſum *Joſephum* litem decidere, ſcribit. Judæos tamen Talmudiſtas diem IX Abh conſtituiſſe, ut haberent tempus, quo fata ſua deflerent. Plura non excerpimus. Librum integrum qui excuſſerit, intelliget, Autorem Clariſſimum neque in quæſtionibus difficilibus examinandis infelicem, neque in conferendis priſci Orientis linguis ſcriptisque Talmudicis minus exercitatum, eſſe. Id unum vellemus, charactere & majori, & nitidiori, animadverſiones, non indoctas, expreſſas fuiſſe. Nihilo tamen ſecius ſalvum manet libri ipſius pretium.

DISSERTATIO DE SALIVATIONE MERCURIALI phyſico-medico-mechanica BARTHOLOMÆI BOSCHETTI, Vicentini, Phil. & Med. Doct. in tria Capita diviſa. Quorum prius continet ſalivæ naturalis examen, alterum Caput ejusdem vitia conſiderat, tertium ſalivationem artificialem exhibet. Iis accedunt Hiſtoriæ, felici & lethali experimento comprobatæ.

Venetiis, typis Joannis Tibernini, 1744, 4.

Plag. 20.

Primum laborum ſuorum ſpecimen Autor noſter in ſalivatione mercuriali pertractanda edit, *Capite* hujus libelli *primo ſalivæ naturalis examen* præmittens. Hujus *Articulo 1*, differentia inter fluida & humida expoſita, ſalivam corpus humido aqueum, tenue, pellucidum, lente fluidum, inſipidum, dicit. *Art. 2*, ſalivam ex chylo potius, quam ex ſero, oriri, affirmat, & in examine chemico inter varias Autorum ſententias oberrat, acido ſalivæ nimium intentus. *Art. 3* pauca de viis ſalivæ adducit, nihilque eorum, quæ recentiores hac de re exhibuerunt, in medium profert, in glandulæ vero diſquiſitione, & ſecretionis ratione enodanda, copioſior quidem eſt, maxime tamen varias Autorum ſententias enarrat. *Art. 4* de uſu ſalivæ diſſerit, eamque non tantum cibos, ob ſalinam, quam habet, ſubſtantiam, vim cunei exercentem, penetrando digerere, incidere, & ſolvere, verum etiam

ſuis

ſuis ſalibus ventriculi tunicas ad motum irritare, aſſerit. *Capite ſecundo* de *ſaliva & ſalivatione præter naturam* differit. Hic *Art. 1* de vitio ſalivæ in quantitate aucta agit, & copiam fluidi non rite ſubacti, nec non diſtenſionem canalium in glandulis ſalivalibus, cauſam illius vitii inducit, pauca de rebus non naturalibus, quibus hoc ipſum producitur, nec non de ſiniſtro effectu & remediis, adducens. *Art. 2* ſimili ferme modo ſalivæ defectum explicat. *Art. 3* de aciditate ſalivæ agit, & commonſtrare annititur, quomodo ex chylo crudo acido ſaliva acida oriri poſſit, quod, licet copioſe ſatis ab Autore declaretur, tamen naturæ humorum animalium, ſecretionem paſſorum, & ipſis cum ſaliva inſtituendis experimentis, contrarium eſt. Hoc eo magis patet, quod in emendanda ſalivæ aciditate non tantum abſtinentiam ab acidis ſuadeat, ſed eandem quoque plantis, odorem actu ferentibus cum ſuavitate, & fragrantiam quandam ſpirituoſam & aromaticam redolentibus, temperandam eſſe moneat, cum hæ ſulphureis particulis, ſeu ſalino-oleoſis volatilibus, abundent, harum autem aromaticis particulis depreſſa ſulphurea corpuſcula in ſanguine excitari, ſegniterque commota exagitari, monet. *Art. 4* de ſalſedine ſalivæ agit, nec adeo acuminatis, qualia in ſalino acidis apparent, ſpiculis ſalſum ſalivæ contextum coaleſcere, ſed ſalſo-terreis involutis ſalium particulis emergere affirmat, cubis nimirum, quæ planorum inclinationibus, & lineis, ad plana inſiſtentibus, conſtantes, in angulos rectos coeunt, ſeroque ſalivali confertim innatantes, laterum aciebus aculeatis ſenſorium quaſi incidendo, non niſi ſalſo-ſapidum ſaporem imprimere valent. Effectus & curationem hujus acrimoniæ ſalivalis perpendit, & *Art. 5* ſalivæ amaritudinem, *6* vero ſalivæ dulcedinem ex particularum operoſa potius deſcriptione, quam ex phænomenis certis naturæ, explicat. *Art. 7* de ſaliva præter naturam, prout habet rationem remedii & motus critici in morbis, & *Art. 8* de ſaliva ut ſigno, differit. Tandem, his præmiſſis, *Capite tertio* ad *ſalivationem artificialem* progreditur, & hujus *Art. 1* ſalivationis artificialis genericum indicans, depravatam ſanguinis labem, & ſtatum aliorum liquidorum vitioſum, quo ipſo minus fluxilia, vel mobilia, li-

quida redduntur, esse ostendit, prohibens vero esse humorum vitium, quod particulis sanguinis inquietis, seu impetuose commotis, peculiariter inhæret, ob quas, mediante salivatione, ita fundi potest, & laxari fluidorum compages, ut fibrosa pars penitus destruatur. *Art. 2* de diversitate remediorum salivalium, eorumque usu & utilitate, in specie de medicamentis masticatoriis, & *Art. 3* de salivatione mercuriali, agit. Postquam igitur ostendit, qui primi eadem usi fuerint, diversos vel inungendi, vel intus sumendi, modos, & præparationes medicamentorum mercurialium, considerat, & morbos, in quibus vel salivatio hæc instituì, vel intermitti, debet, recensetj qua quidem in re magis ad studiosam explicationem actionis particularum, quam ad observationes Practicorum, attendit. *Art. 4* Mercuriologiam sistit. Pergit ideo in argumento antecedenti, & variorum Autorum sententias de Mercurii usu expendit, simulque morbos illos, in quibus mercurialia medicamenta cum *fructu* adhibentur, recenset; quod etiam argumentum in *Art. 5* ulterius perpendit, & de morbis per salivationem mercurialem curabilibus agit; ubi quidem contagium venereum, quod acidoacre appellat, primo loco, sed postea quoque varia alia morborum genera, colicam, hydropem, epilepsiam, paralysin, &c. adducit. *Art. 6* de phænomenis, salivationem concomitantibus & consequentibus; *Art. 7* de methodo salivatoria, agit, & inprimis monet, quomodo variis symptomatibus, circa salivationem occurrentibus, obviam eundum sit. In fine annectit septem historias morborum, breviter & sine accurato morbi decursu recensitas.

HERMANNI BOERHAAVE PRÆLECTIONES Academicæ in proprias Institutiones rei medicæ. Edidit ALBERTUS HALLER. Tomus VI, Pathologia, Semeiotice, Hygiene, Therapeutice. Accedit Index totius Operis.

Gottingæ, apud Abrah. Vandenhœck, 1744, 8.

Alph. 1 plag. 13.

Postquam

Poſtquam Cel. *Hallerus* in præcedentibus *quinque Tomis* Phyſiologiam non tantum ex mente *Bœrhaavii* explicaverat, ſed & variis Autorum obſervationibus, nec non propriis, inprimis anatomicis, exornaverat, nunc in hoc *ſexto* Pathologiam & reliquas Medicinæ partes, in Inſtitutionibus propoſitas, tantum ex meditationibus præceptoris declarat, nullas ex ſuis aliorumque obſervationibus adjiciens. Nos vero ex omnibus ſelectas quasdam eruemus, & cum Lectoribus noſtris communicabimus. *Pag. 3* functiones, vel facultates, ab actionibus diſtinguit. Manet enim facultas, licet aliquo temporis momento effectum ſuum non producat. Ita, ſi quis reſpirationem ad tempus ſupprimit, aufert actionem, facultas vero ſupereſt integra. Ergo facultas in corpore humano id omne eſt, quod ad actionem efficiendam requiritur. Actio vero eſt motus, vel in toto corpore, vel in parte aliqua, facta mutatio. *Pag. 21* partes pure terreæ non cohærent; nam cineres dilabuntur, & vento difflantur. Ergo elementa ultima gluten requirunt, quo cohæreant. Hoc gluten duplex eſt: nempe aliud aquoſum, aliud pingue oleoſum. Glutine deleto, fibræ in cineres abeunt, neque ultra cohærent, quod teſtis docimaſticis, ex terra pura factis, demonſtratur. *Pag. 43* corporum animalium partes æquabiliter creſcere voluit creator; ergo fecit, ut omnes minimæ particulæ ſenſim evolverentur. Ideo Deus omnia animalia, dum creſcunt, complicata in liquido ſuſpendit. Hoc enim balneum facit, ut omnes partes æquabilem preſſionem patiantur, & ex ea actione liquida ex corde in omnes particulas æqua vi diſtribuantur. Sic, cum undique æqualis eſt reſiſtentia & preſſio interne æqualis, neceſſe eſt, omnia æquabiliter evolvi. Hinc in utero mediis in aquis ſuſpendimur; quando vero in lucem editi ſumus, in medio aere, qui perinde undique æqualiter in corpus nititur, ut vis aortæ impenſa partes æqualiter creſcere faciat. Sed & minores & minimæ partes corporis omnes in cavo ſunt, & liquidum habent, quo alluuntur. *Pag. 79* duo homines in nulla forte particula corporis ſui ita differunt, ut diſcrimen ab Anatomico demonſtrari poſſit. Horum idem victus eſt & ſimilis diæta, neque tamen eosdem humores gene-

rant. Alter enim eundem cibum in bonum chylum mutat, alter ex eodem ægrotat. Hujus phænomeni ratio esse videtur, quod naturalis quædam inter humores ipsos, & inter humores & solidas partes, sive vasa, & inter vasa demum & vasa, rubra ad rubra, rubra ad serosa, & sic porro, proportio sit. Si nihil in toto corpore mutatum fuerit præter proportionem inter vasa primi & secundi generis, ex hac sola diversitate humor, quem hæc vasa elaborant, totus alius nascetur. Hinc impossibile est, dare generalem aliquam regulam exercendi artem. *Pag. 111* non alia ex causa velocius destruitur corpus humanum, quam ubi frigus externum rigidius superatur per calorem, ex motu musculorum generatum; quando, in exemplo, homines per hyberna frigora super glaciem ferratis calceis armati decurrunt, inprimis si præterea ventus adversus flaverit. Tunc enim solida adeo valide in humores agunt, ut calorem per attritum generent, qui & superet externum frigus, & præterea sanguinem super consuetum gradum cogat incalescere. *Pag. 132* acre in aromate aliquid exilissimum est, ignisque simillimum. In libra integra piperis vix aliquot grana acria sunt. Ablato enim oleo essentiali, reliquum omne iners est. Ergo, quod in aromatibus acre, id spiritus est. Non mirum adeo, cum hoc acre adeo subtile sit, posse nervos nostros subire; destructurum omnia & adusturum, si nostros spiritus superaverit. *Pag. 170* in homine sano sanguis adeo blandus est, ut optimum collirium sit. Nunquam vidisse se, ait Autor, ullam partem corporis a sanguine instillato dolere, cum potius recentissimus pipionum sanguis, oculo instillatus, dolores leniat. Quando vero sanguis per motum animalem agitatur, tunc adeo acris fit, ut ipse sudor fœteat, putrefacturus sanguinem, si retineretur; & ipse sanguis adeo blandus, adeo leniissime salsus, aucto calore adeo putridus fit, ut manum, quam contigerit, cogat desquamari. Id enim contingit iis, qui cadavera putridissima tractant. *Pag. 196* singultum vulgo pro diaphragmatis convulsione habent, sed ad singultum pertinet etiam contractio fibrarum longitudinalium oesophagi, quæ gulam ad fauces elevant, dum simul ventriculus & diaphragma deorsum trahuntur. Hinc a

diutur-

diuturniori ſingultu in ventriculo ſuperius & inferius dolor percipitur, ex irritato ſuperiori ventriculi orificio. *Pag. 220* pus in ipſa pericardii cavea repertum eſt, & inter fecedentes mediaſtini laminas, ex inflammatione ibi nata, alias viſum eſt; quod ſanari poteſt ſterno trepano perforato. Hæc operatio Amſtelodami in Theologo inſtituta eſt, cui plurimum ex foramine pus effluxit, & cor ita nudum reliquit, ut oppoſito ſpeculo cor in pectore proprio pulſans contemplaretur, uti heteroclitus erat homo. Is enim *Beckerus* fuit, cujus ſcriptum contra dæmonum exiſtentiam exſtat. *Pag. 246* opium operatur, dum in ventriculo adhuc retinetur. Canem invitum Autor coegit devorare opium, deinde, cum jam ex medicamento fere convelleretur, incidit, & opium adhuc in ventriculo invenit. Ergo efficacia opii non eget longa illa per lactea vaſa via. *Pag. 260* animalia, quæ ſolis vegetabilibus vivunt, excrementa alvi fœtore deſtituta habent. Homo, ſi ſolo pane & aqua vixerit, excrementa egerit parum olida, fœtidiſſima vero, qui plurimis carnibus, ovis, & piſcibus, vivunt. Qui de fœtore excrementorum queruntur, ſolent levari ex uſu aquoſorum, acidorum, ſalſorum, alimentorum, &, quoties in fecibus flavedo naturali ſtraminis colore major eſt, eadem audacter propinari poſſunt. *Pag. 269*, qui ſervos emunt, pulſus & reſpirationes numerant, deinde currere jubent; ſi tunc a magno motu pulſus & reſpiratio non admodum mutentur, intelligunt, corpus validiſſimum eſſe; quo morbidius, eo leviori ex cauſa pulſus mutatur; mortisque candidati vix corpus movent, quin pulſus bis, vel ter, frequentiores fiant. *Pag. 282* dolor non ab acrimonia ſanguinis ſolum oritur, ut putant vulgo, ſed ex impulſu ſanguinis in vas anguſtum, a valente vi urgentis febris; &, ſi decies dolor adfuerit, vix ſemel eſt ab acrimonia. Qui vero ab acri producitur, is fere absque febre, aut ſanguinis motu aucto, eſt, ut in ſcorbuto. *Pag. 303*, quamdiu pulſus fortis & æqualis eſt, æger nondum morti propinquus eſt; niſi forte cauſa aliqua potentiſſima per accidens acceſſerit. Nam pulſus hujusmodi ponit cor validum, pulmones meabiles, cerebellum vitaliter agens; ſed ab iſtis viſceribus reliqua omnia pendent; &, quamdiu

diu hæ principes functiones vigent, res adhuc in vado eſt; eoque meliora omnia, quo integriora, ſunt. *Pag. 327*, nunquam ipſum fefelliſſe præſagium, docet Autor. Quando prius urina ſpumam retinet, uti aqua, in qua ſapo reſolutus eſt, tunc tenaciter adhuc olea & ſalia ſibi adhærent. Quando vero die ſeptimo urina concuſſa, bulla inde orta mox ſponte diſſilit, certum eſt, ægrum in vado eſſe. *Pag. 339* omnes ſanorum hominum morbi oriri ſolent a motu nimio, & acuti eſſe, chronici vero tum demum naſcuntur, quando vires deficiunt, & vix ante quinquageſimum annum robuſtus homo aliunde, niſi a nimio impetu, ægrotaverit. *Pag. 345* non opus eſt purgatione. Nam homines octogenarii reperiuntur, qui nunquam alvum medicamento duxerunt, neque ideo feces congeſſerunt. Si vero neceſſe habueris, alvum mollire, id efficere poteris auctо potu, diminuto cibo, vel omiſſo prandio, & motu ante paſtum paulo majori. Hæc eſt naturalis purgatio. *Pag. 379* male Medici plerumque venena ad unam claſſem ſolent reducere. Nam alia agunt in primis viis vi nota, erodente, mechanica, uti pulvis adamantum; alia operantur in ſpiritus; alia in pulmones, uti vapor ſpiritus vitrioli. Longe melius *Nicander*, qui venena in claſſes diviſit, eorum alia explicata dedit, cum ſymptomata deſcribat, in aliis nihil notavit, præter funeſtum eventum. *Pag. 389* crocus metallorum oculum, aut vulnus, non lædit; ſed ventriculum etiam, medii grani pondere ſumtus, cum miſero cruciatu ſubvertit, equi vero etiam unciam tolerant. Vitrum antimonii ad grana quatuor ſumtum occidit. In his malis nihil præſtantius eſt oxycrato aſſiduo & abundantiſſime ingeſto. *Pag. 391* mulier, quæ figulo ſerviebat, qui lateres plumbo obducebat, per totam vitam miſerrimas ærumnas paſſa eſt, languorem, dolores, aſthma. Dabantur acida merumque acetum; ita levabatur & ſolvebatur pulvis plumbeus, qui interiora oblinebat undique; neque curabat Autor, quando ægri ab acidorum uſu expalleſcebant. *Pag. 401* caro ſale condita, quæ ſalſedinem neque tertia coctione deponit, & lardum, quod etiam viginti quatuor horarum maceratione minime ſalem deponit, ſemel omnino in lixivio calcis vivæ cocta dulceſcunt. Hinc ſcorbutus, muriaticum

Digitized by Google

cum illud malum, ortum a ſale marino, cum oleis noſtris tenaciter conjuncto, non facilius, quam per lixivia calcis vivæ, ſanatur. *Pag. 407* in lue venerea, quæ in ipſa oſſa radices egit, non alia curatio ſupereſt, quam ut repleatur corpus decocto ligni Guajaci, ut fere hydropicum ſit, deinde æger ciſtæ includatur, ut ſolum caput emineat, ſub ciſta vero ſpiritus vini accendatur, ut adſcendens vapor corpus feriat, totum in ſudoris ſpeciem liquefacturus. Quando cum hac curatione copioſus potus conjungitur, poteſt adeo profuſus ſudor cieri, ut, quod vidiſſe ſe ait Autor, cruſtæ craſſiſſimæ intra duas horas de fronte cadant ſeparatæ, & potus omnis absque mora per cutim exeat. Sed hic vapor alcoholis, ut in chemicis demonſtratur, non niſi aqua eſt, ſi alembico exceperis, periit autem forte pars ſedecima, quæ forte aliquid ſalini eſt. Ergo & ipſum alcohol hic operatur per aquam, in quam vertitur, elementarem. *Pag. 419 Hippocrates* jubet in morbis exuſtis omni quarta hora clyſma, alvum diluens, ſubdere. Experimentum curioſe cepit *Bærhaavius*. Injecit per anum diluentia & oleoſa, & maximam partem prius per totum corpus vidit abire per venas meſentericas & lacteas ad ſanguinem. Ergo clyſmata ad plura proſunt, etiam præter purgandi ſcopum.

MERCURIUS SUB SOLE VISUS ET OBSERVATUS in ſpecula aſtronomica Academiæ Gieſenſis A. 1743 die 5 Nov. a CHRISTIANO LUDOVICO GERSTEN, Math. Prof. & R. S. Lond. Sodale.

In obſervatione hujus tranſitus tribus potiſſimum machinis uſus ſum, quarum brevem deſcriptionem ut præmittam, inſtituti ratio ante omnia poſtulat.

Prima atque præcipua erat tubus aſtronomicus 10 pedum bonæ notæ, cui aptavi micrometrum exquiſiti operis, Londini comparatum. Præcipua ſtructuræ in eo conſiſtunt. In centro tubi loco convenienti ad angulos rectos ſeſe decuſſant duo fila immobilia, & alia rurſus duo, ſitu ad unum immobilium

parallelo per motum unius cylindri chalybei, duplici cochlea (quarum una ad dextram, altera ad lævam, vergit,) æqualibus helicibus ſtriati, continue & æqualiter, pro diverſo cochleæ motu, aut verſus centrum progrediuntur, aut ipſum poſt ſe relinquunt, addita machinula peculiari, duobus indicibus inſtructa, quorum unus numerum revolutionum integrarum cochleæ, alter numerum diviſionum unius revolutionis, monſtrat. Hoc omne rurſus per rotam dentatam & cochleam aliam perpetuam, ubi opus eſt, circumagi, atque ad quosvis angulos & circulos cœli accommodari, poteſt. Hoc micrometrum methodo *Caſſiniana* uſitatiori ad tranſitum obſervandum applicavi. Radebat nempe Mercurius filum immobile ad æquatorem parallelum, dum ex mobilibus unum marginem Solis inferiorem attingebat. Machinæ parallacticæ apparatu facile carui; nam, adducto ſemel Mercurio prope centrum tubi, rotæ dentatæ atque cochleæ perpetuæ artificio, brevi mora filum immobile in eum ſitum redigebatur, ut Mercurius ſuper iſtud incederet.

Secundum inſtrumentum erat horologium oſcillatorium aſtronomicum, Londini ab egregio hoc in genere artifice, *Jo. Ellicott*, R. S. S. confectum, de cujus exacto ſatis, & ad medium motum Solis accommodato, motu complurium annorum obſervationes nullum mihi dubitandi locum relinquunt. Ope hujus automati, appulſuum momenta, tam Mercurii, quam limborum Solis, ad filum horarium annotavi.

Tertia machina ad tempus veri meridiei inveniendum inſerviebat. Ob defectum quadrantis aſtronomici eam ad uſus meos inveni atque effeci, prolixiorem deſcriptionem alia fortaſſis occaſione daturus. Quæ vero præcipua ſunt, huc redeunt, ut ejus ope momenta temporis complurium duarum æqualium altitudinum Solis ante & poſt meridiem, ad 2, ſummum 6 minutorum ſecundorum temporis certitudinem (pro ratione nimirum obliquitatis arcus Solis diurno motu tranſcurſi ad lineam horizontalem) determinare, atque exinde meridiei verum tempus ad 1. 2, ſummum 3 ſecundorum certitudinem indagare poſſim. Et hac ipſa quidem 5 Nov. die per *duas* bonas

bonas cum hoc inſtrumento confectas obſervationes, quibus ſequenti 6 hujus menſis die alias 3 addere contigit, horologii tempus ita correxi, ut citra 2, vel 3, ſecundorum errorem, recte iſtud factum fuiſſe exiſtimem. Præmiſſis hiſce, ad Phænomena me converto.

Paulo poſt horam matutinam 8 nubes, quibus totum cœlum fœde obductum erat, præter exſpectationem dehiſcere cœperunt, atque brevi intervallo per hiatum ſatis magnum Sol apparebat puriſſimo lumine fulgens. Tubo ſtatim applicato, cum nihil adhuc de Mercurio, nullaque prorſus macula in eo, conſpiciebatur, id egi, ut diametrum ejus horizontalem, repetitis compluribus obſervationibus, capeſſerem, quod etſi ob motus rapiditatem non ita facile fuerit factu, exiſtimavi tamen, non male tandem deprehenſam fuiſſe ſemidiametrum ejus in partibus micrometri, 21 rev. $\frac{3}{7}\frac{3}{1}$. Verticalem ſemidiametrum poſtea, hor. 11 m. 20 circiter, reperi exacte 21 rev. $\frac{1}{7}\frac{8}{1}$. Quantum hi numeri in partibus circuli maximi efficiant, iſtud infra indicabitur.

Capta ſemidiametro Solis horizontali, denſiſſimæ nubes rurſus eum occultabant, ſed hora 9 min. 6 ſec. 25 ſubito Mercurium in ejus diſco conſpexi, jam totum, ſi recte memini, ingreſſum, in margine tamen adhuc hærentem. Forte nomenclator, qui horologii oſcillatorii numeros viva voce mihi indicaret, aberat; quapropter ſtatim ab hoc ſpectaculo ad horologium, temporis notitiam ut caperem, evolavi, in reditu reliqua obſervaturus. Nam ultra 5 paſſus non diſtabat, ſed eo ſitu, ut a tubo ad indices non pateret proſpectus. Aſt, ſcriptis in ſchedam numeris, tectum nubibus ſolem, reverſus, inveni. Inde factum, ut non audeam affirmare, quod exacte tunc temporis in contactu interioris marginis ſolaris conſtitutus fuerit.

Quæ mox ſequuntur obſervationes, nubium intervalla conceſſere. Favebat tamen aeris tranquillus ſtatus, favebat & abſentia multorum ſpectatorum. Corpuſculum Mercurii rotunde nigrum margine determinata absque ullis atmoſphæræ veſtigiis apparebat, ſed tantæ exilitatis, ut, quantum nudo oculorum judicio conjecture licuit, non multum ultra duplum

craſſitiei fili immobilis in micrometro, quod ex capillo capitis humani conſtabat, aſſurgeret. Circa hor. 1 m. 10 poſt mer. uſque ad egreſſum ſat magno intervallo nubes patebant, ſed purior aer atque longior Solis mora in eo, circa parietem obſervatorii, in directum tunc ferme Soli obverſam, calorem effecit, inde trepidatio atque undulatio limbi, quam nullis remediis amovere potui.

Sequentis Tabulæ prima columna exhibet tempus horologii; ſecunda tempus verum correctum; tertia intervalla temporum ab appulſu limborum Solis ad appulſum Mercurii ad filum horarium, converſa in minuta ſecunda circuli maximi, pro declinatione Solis $15^{\circ}\ 39'\ 18''$; quarta obſervationes; quinta diſtantias Mercurii a limbo inferiori Solis in partibus micrometri; ſexta denique micrometri partes ad ſcrup. ſecunda circuli maximi redactas. Baſis reductionis eſt 23 revolutiones integræ dant $17'\ 33\frac{1}{2}''$, quam ex fixarum nonnullarum tranſitu talem inveni:

Temp. Horol. A. M.	Temp. ver. corr. A. M.	Diſt. ☿	Obſervationes.	Micr.	Diſt. ☿
			1.		
h ′ ″	h ′ ″				
9. 6. 25	9. 5. 55		Mercurium totum ingreſſum vidi, aut certe quoad maximam partem.		
			2.		
9. 44. 7	9. 43. 37	″	Mercurius ad horarium	5. $\frac{11}{12}$	237″
— — 55	— 44. 25	694	Limbus Solis ſequens ad horarium.		
			3.		
9. 49. 5	9. 48. 35		Mercurius ad horarium	5. $\frac{5}{12}$	251
— — 55	— 49. 25	722	Limbus ☉ ſequens ad horarium.		
			4.		
9. 56. 30	9. 56. 0	766	Mercurius ad horarium.	5. $\frac{6}{12}$	271
— 57. 23	— — 53		Limb. ☉ ſeq. ad horarium per nubeculam ☉ conſpectus.		
			5.		
10. 2. 43	10. 2. 13	794	Mercurius ad horar.	6. $\frac{2}{12}$	288
— 3. 38	— 3. 8		Limbus ☉ ſequens ad horar.		

Temp.

Temp. Horol.	Temp. ver. corr.	Dist. ☿	Observationes.	Micr.	Dist. ☿
A. M.	A. M.		6.		
h ′ ″	h ′ ″				
10.44.35	10.44. 5	996	Mercurius ad horarium.	8. $\frac{42}{72}$	393
— 45. 44	— 45. 14		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			7.		
10.48.14	10.47.44	1028	Mercurius ad horarium	8. $\frac{60}{72}$	404
— 49. 25	— 48. 55		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			8.		
10.53.26	10.52.55	1054	Mercurius ad horarium.	9. $\frac{9}{72}$	418
54. 39	54. 9		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			9.		
11 33.52	11.33.22	1272	Mercurius ad horarium.	11. $\frac{30}{72}$	522
— 35.20	34. 50		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			10.		
11.40.54	11.40.24	1310	Mercurius ad horarium.	11. $\frac{4}{72}$	538
— 42.25	41. 55		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			11.		
11.43.52	11.43.22	621	Limbus ☉ præcedens ad horarium.		
— 44.35	— 44. 5	1329	Mercurius ad horarium.	12. $\frac{6}{72}$	553
— 46. 7	— 45.37		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			12.		
11.57.42	11.57.12	549	Limbus ☉ præcedens ad horarium.		
— 58.20	57. 50	1401	Mercurius ad horarium.	12. $\frac{42}{72}$	580
— 59.57	59. 27		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
D. M.	D. M.		13.		
12. 3.27	12. 2. 57	520	Limbus ☉ præcedens ad horarium.		
— 4. 3	— 3. 33	1430	Mercurius ad horarium.	13. $\frac{8}{72}$	600
— 5. 42	— 5. 12		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		
			14.		
12.46.56	12.46.26	289	Limbus ☉ præcedens ad horarium.		
— 47. 16	— — 46	1661	Mercurius ad horarium.	15. $\frac{44}{72}$	715
49. 11	— 48.41		Limbus ☉ ſeq. ad horarium.		

Temp. Horol. D. M. h ′ ″	Temp. ver. corr. D. M. h ′ ″	Dist. ☿	Observationes.	Micr.	Dist. ☿
			15.		
1. 16. 58	1. 16. 28		Limbus ⊙ præcedens ad horarium.		
— 17. 8	— — 38	144	Mercurius ad horarium.	17. $\frac{76}{2}$	788
			Limbus ⊙ trepidare cœpit.		
			16.		
1. 19. 27	1. 18. 57		Limbus ⊙ præcedens ad horarium.		
— — 35	— 19. 5		Mercurius ad horarium.	17. $\frac{24}{2}$	793
— 21. 41	21. 11		Limbus ⊙ sequens ad horarium.		
			17.		
1. 36. 15	1. 35. 45		Marginem interiorem tangere videbatur, certe tetigit, aut paulisper superavit, penitus in limbo evanuit, importuna admodum trepidatio ac undulatio limbi comitabatur hoc spectaculum.		
— — 20	— 35. 50				
— 38. 19	— 37. 49				
			Obs. 16.		
			Ob trepidationem limbi solaris ad analogiam reliquarum sic corrigendam existimo.		
1. 19. 26 $\frac{1}{2}$	1. 18. 56 $\frac{1}{2}$	122	Limbus ⊙ præcedens ad horarium.		
— — 35	— 19. 5	1828	Mercurius ad horarium.	17. $\frac{24}{2}$	793
— 21. 41 $\frac{1}{2}$	— 21. 11 $\frac{1}{2}$		Limbus ⊙ sequens ad horarium.		

Ad consectaria nunc progredior, ex his observationibus derivanda. Ante omnia diameter Solis determinanda. Ut id rite fiat, opus est, ut habeamus declinationem, nec non altitudinem ejus eo tempore, quo diameter verticalis mensurata fuit. Declinatio Solis facile ex longitudine ejus supputatur. Longitudinem ex Tabulis *Ludovicianis* ad hor. 11. 20′. 39″. temp. ver. (medium sc. propemodum transitus) pro meridiano 25′. 10″ temporis a Parisiensi versus orientem distantis *) deprehendi

*) Talem pro Giessensi accipio, quoniam Francofurtum ad Mœnum

hendi ♏ 12°. 37′. 32″. Huic longitudini respondet declinatio australis 15°. 39′. 18″. Intervallum temporis ab appulsu limbi Solis præcedentis ad appulsum sequentis per obs. 11. 12. 13. & 14. est 2′. 15″. Quod tempus in arcum æquatoris conversum dat 33′. 45″. Quodsi igitur hic arcus pro declinatione inventa secundum sphæricæ doctrinæ regulas ad partes circuli maximi reducatur, prodit Solis diameter 32′. 30″.

Porro ex observationibus astronomicis *Philippi* Butisbacensis Hassiæ Landgravii, latitudo urbis Butisbaci, ultra 4 horas itineris a Giessa non distantis, est 50°. 28′. Quare pro latit. Giessensi accipio 50°. 30′. inde altitudo Solis tunc temporis, quo diameter ejus verticalis mensurata fuit, est præter propter inter 23° & 24°. Semidiameter Solis in part. micrometri erat 21 rev. & $\frac{18}{21}$. Quod secundum tabulam meam = 16′. 13″. circ. max. Inde diameter verticalis eo tempore 32′. 26″. Sed propter refractionem ea justo minor apparere debuit, proditque ex tabula V *Hireana* defectus iste 4″. Addito hoc, habemus rursus 32′. 30″. Sin adhibeamus tabulam refractionum recentiorem, ex hypothesibus *Taylorianis* constructam, quam publici juris fecit Cel. *Hallejus*, *) atque reliquis præfert, defectus iste prodibit nonnulla scrupula tertia tantummodo minor.

Horizontalem semidiametrum, ut supra dictum, deprehendi in partibus micrometri 21. rev. $\frac{22}{21}$. Duplum hujus quantitatis dat secundum tabulam meam 32. 31. circ. max. Ergo hæ tres observationes satis bene inter se consentiunt, atque veram diametrum Solis constituunt 32′. 30″.

Pergo nunc ad angulum visum semitæ apparentis Mercurii cum ecliptica. Extra controversiæ aleam hoc positum existimo, quod angelus sit oporteat, isque divinis machinis instructus, qui complures ejusmodi observationes ita perficeret, ut

num in eisdem tabulis 24′. 40″. orientalior statuitur. Sed Giessa rursus orientalior Francofurto, & quidem secundum nonnullas mappas geographicas 30″. Dubito, hæc omnia per bonas observationes esse comprobata, sed hoc casu error nonnullorum minutorum nihil ad rem.

*) *Philosoph. Transactions N. 368.* Vide, si mavis, *the Abridgment by Mr. Reid & Gray Vol. VI pag. 100.*

ut omnia Mercurii loca, per easdem determinata, exacte in unam eandemque lineam coincidant. Nam, ut taceam refractiones atque parallaxes, quas methodus adhibita non excludit, error semiscrupuli secundi temporis, septem propemodum minuta secunda, in distantia Mercurii a limbo Solis sequenti, vel præcedenti, efficit. Modum igitur, quem ob eandem rationem Cel. *Manfredi* in transitu anni 1736, *) nec non passim alii in similibus eclipsibus, adhibuisse se testantur, elegi. Exacta nimirum scala summaque cura omnes in typum retuli, quo peracto, deprehendi, quodsi inter locum obs. 15, & obs. 16, correctæ, arithmetice medius locus quæratur, deinde per hunc atque per eum, quem obs. 5 determinat, recta ducatur, eam quam proxime veram semitam apparentem in disco Solis exhibere. Hoc principio assumto, numeros adduxi. Distantia media inter obs. 15 & 16 correctam, a limbo Solis sequenti est 1817″. Distantia media inter easdem observationes a limbo inferiori, 790″½. Distantia loci obs. 5 a limbo sequenti est 794″. Distantia a limbo inferiori 288″. Ergo differentia inter distantias a limbo seq. = 1023″. Differentia inter distantias a limbo inferiori 502″½. Hæ differentiæ ergo triangulum rectangulum constituunt, quarum prior pro basi, altera pro catheto, habenda. Ducto his elementis calculo, angulus ad basin provenit, 26°. 9′. = angulo semitæ cum circulo ad æquatorem parallelo. Eodem modo angulos singulorum locorum ab obs. 7 incipiendo cum loco obs. 5 quæsivi, & prosiluere sequentes:

Ex obs.	5 & 7	ang.	semitæ	cum	parall.	26°.	33′
	5 & 8	–	–	–	–	26.	33
	5 & 9	–	–	–	–	26.	5
	5 & 10	–	–	–	–	25.	51
	5 & 11	–	–	–	–	26.	21
	5 & 12	–	–	–	–	25.	41
	5 & 13	–	–	–	–	26.	7
	5 & 14	–	–	–	–	26.	13
	5 & 15	–	–	–	–	26.	17
				Medium ergo	=	26.	11.

Qua-

*) *Philosophical Transact. N. 446 pag. 106.*

Quapropter, cum priori casu angulus semitæ sit 26°. 9′. hoc vero 26°. 11′. medium inter hosce, scilicet 26°. 10′. pro angulo viso semitæ accipiendum puto. Erit ergo hoc casu angulus semitæ app. cum circulo horario 116°. 10′. Sed ad locum Solis 12°. 37′. ♒a, respondet per tabulam *Hireanam* angulus ecliptiæ cum meridiano 107°. 43′. propterea angulus semitæ app. Mercurii cum ecliptica = 8°. 26′.

Pro distantia centrorum minima, assumsi duas observationes, inter quas mediam viam tenere semitam, typus indicabat, septimam nempe & decimam. A distantiis Mercurii a limbo inferiori subduxi 8″. ex his $5\frac{1}{2}$ semidiametro Mercurii, *) reliquum dimidio crassitiei fili paralleli tribuendo. Nam ex constructione micrometri in introductione exposita claret, distantias a centro tubi, non vero a margine fili, assumendas esse. Deinde ex distantia Mercurii a limbo sequente in obs. 7, semidiametro Solis, & angulo invento semitæ cum circulo parallelo, per triangulorum analysin inveni semitæ, sive centrorum Solis & Mercurii, distantiam minimam 9′. 2″. Ex observatione 10 vero simili calculo hæc distantia prodit 9′. 7″. Medium ergo 9′. $4''\frac{1}{2}$ assumo pro vera distantia semitæ a centro Solis. His præmissis, trigonometrico calculo deduxi sequentia:

Semitæ visæ longitudo in disco Solis	=	26′. 57″
Latitudo visa Mercurii in conjunctione		9. 10.
Lat. Mercurii in ingressu — — —		10. 57.
Lat. Mercurii in egressu — — —		6. 59.
Differentia inter latit. in ingressu atque egressu — —		3′. 58″
Portio semitæ inter conjunctionem & medium transitus.		1. 20

Quæ restant, tempus nempe conjunctionis, positio nodi, atque inclinatio orbitæ, ex his quidem immediate non eruuntur.

*) Diametrum Mercurii per micrometrum ad tubum *Hugenianum* 120 pedum applicatum determinavit A. 1723 Cel. *Bradly* 10″. 45‴. *Philosoph. Transact. N. 386 pag. 229*, vel, si mavis, *the Abridgment by Mr. Reid and Gray Vol. VI pag. 238.*

tur. Nam requiritur adhuc exacta determinatio moræ centri Mercurii in disco Solis, quam ex meis observationibus tuto derivare nequeo. Comparatis tamen intervallis temporum cum distantiis complurium locorum in semita, inveni satis consentientem motum horarium 5′. 56″. adeoque omnem centri Mercurii in disco moram h. 4. m. 33. Cumque unius vel duorum minutorum temporis hac in re error exiguam tam in nodo, quam in orbitæ inclinatione, pariat differentiam, breviter ea subjungere libet, quæ ex hoc hypothetico calculo provenere. Ponamus igitur, quoniam trepidatio limbi verosimili ratione contactum Mercurii ad interiorem marginem, adeoque & egressum centri, anticipavit,

Primo, tempus verum egressus centri Mercurii in disco ⊙ Giessæ — —	h.	1.	37′. 0″
Secundo, semimoram centri in disco —		2.	16. 30.
erit medium transitus Giessæ Nov. 4.		23.	20. 30.
ex motu horario, & portione semitæ inter ☌ & medium transitus, erit tempus per istam portionem — — —			13. 28.
Hinc tempus verum conjunctionis Nov. 4.		23.	7. 2.
Ponamus porro differentiam meridianorum inter Giessam & observatorium Parisiense rejectis sec.	25.		0
erit ergo tempus verum ☌. in obs. Paris. Nov. 4.	h.	22.	42. 2
æquat. temp. ex Tab. *Ludovicianis* sub.		20.	24
Hinc tempus medium ☌. in obs. Paris. Nov. 4.		22.	21. 38.
ad hoc tempus locus ⊙ ex Tab. *Ludov.* ma	gr.	12.	37. 0
ex diff. inter latit. in ingressu & latit. in egressu, nec non latit. in conjunct. atque mora in disco, scil. 4^h. 33′. resultat tempus, quod Mercurius absolvit a ☌ ad ☊ =	h.	10.	31. 25
Secundum Tabulas *Ludovicianas*, a quibus *Carolinæ* hoc in passu vix differunt, hoc temporis spatio Mercurius heliocentrice in ecliptica progreditur	gr.	2.	39. 13.

Ergo

Ergo locus nodi his hypotheſibus ☊ 15. 16. 13.
Quodſi mora centri Mercurii ſuppo-
natur $4^h. 32'$. erit locus ☊ — ☊ 15. 15. 38.
Sed, ſi hæc mora ſtatuitur 4 h. 34″
erit tunc locus ☊ — ☊ 15. 16. 47.
Poſita diſtantia Mercurii
a Terra ad diſt. Mercurii
a Sole, ut 676 ad 313, prout
eam Cel. *Hallejus* definit, *)
erit latit. heliocentr. Mercurii
in conjunctione, ſive inclinatio, — 0. 19′. 47″.
Ex hoc arcu, atque diſtantia ☿ in ecliptica
a ☊, conſequitur tandem inclinatio
orbitæ, & quidem in primo caſu
ad moram centri in diſco 4 h. 33′. — — 7°. 5′
Ad moram centri in diſco ☉ 4 h. 32′ — — 7. 6
Ad moram denique 4 h. 34′ — — — 7. 4.

Ceterum, quoniam hac occaſione hunc tranſitum ex Tabulis *Ludovicianis* ſupputavi, in gratiam eorum, qui absque calculi moleſtia conſenſum, aut diſſenſum, cum his, aut aliorum, ſi quæ in lucem venient, obſervationibus perſpicere cupiunt, præcipua momenta ejus, appendicis loco, ſubnecto.

Conjunctio Solis & Mercurii accidit
in obſ. Reg. Pariſino — Nov. 4. h. 22. 34′. 30″ temp. medii.
Nodo adſcend. Mercurii exiſtente 1 ☌. 15°. 54. 6.
Sole in — — — 7 ☌. 12°. 37. 32.
ad hoc tempus inclinatio Mercurii — 23. 40.
— Log. diſt. ☿ a ☉ 3. 49906
Log. diſt. ☉ a Terra 3. 99605
Hor. 5 poſt ♂. locus ☉ eſt — — 7 ☌. 12°. 50′. 5″
eodem tempore locus ☿ heliocentricus 1. 13. 54. 0
ergo angulus ad Solem — — — 1. 2. 55.
inclinatio ☿ ad hoc tempus — — — 14. 35.

*) *Philoſophical Transactions N. 386*, vel, ſi mavis, *the Abridgment by Mr. Reid and Gray Vol. VI pag. 241.*

Diſtantia loci ☿ a loco ☉ ſicuti a terra ſpectatur — 29. 23.
Latitudo ☿ in conjunctione ex Terra — — 11. 3
Latitudo ☿ hor. 5 poſt ♂ ex Terra — — — 6. 49
differentia — — — — 4. 14
Ex hac differentia, nec non diſtantia loci Mercurii a loco ☉ hor. 5. poſt ♂ ex Terra ſpectata, provenit angulus viſus ſemitæ app. cum ecliptica — 8°. 12′. 0″.
nec non motus horar. in ſemita app. 5. 56.
Ex angulo ſemitæ app. cum ecliptica, nec non ex latit. ☿ in ♂, derivatur arcus ſemitæ inter ♂ & medium tranſitus — — 0. 1′. 34″
hunc arcum ☿ transcurrit tempore — 15. 56
Adeoque medium tranſitus in obſ. Reg. Pariſ. — Nov. 4. h. 22. 50. 26. temp. medii
Diſtantia minima centrorum — gr. 0. 10′. 56.
Diameter ☉ ex Tab. 12 — — 0. 32. 32.
Inde ſemiſemita app. in diſco ☉. 0. 12. 2.
ſemimora centri ☿ in diſco ☉ h. 2. 1. 43.
Sed medium tranſitus eſt 22. 50. 26.
Ergo ingreſſus centri — Nov. 4. h. 20. 48. 43 } temp. medii
egreſſus — — — Nov. 5. h. 0. 52. 9 }
Mora in diſco ☉ h. 4. 3. 26.

GEORGII VIONNET, E SOCIETATE JESU, Muſeum nummarium, Carmen, ſive notitia rei nummariæ veteris. Recenſuit, præfatusque eſt, JULIUS CAROLUS SCHLÆGER, Sereniſſ. Duc. Gothani a Conſiliis & Antiquitatibus.

Helmæſtadii, typis Drimbornianis, 1744, 4.

Plag. 10.

Illuſtria in rem literariam, eamque inprimis in illius partem, quæ priſci æris notitiam pandit, merita ſunt Cel. *Schlægeri*, qui

qui compluribus ingenii monumentis inter viros ætatis noſtræ doctiſſimos inclaruit, quibus artes, ad humanitatem ſpectantes, commendantur, hiatus, hucdum in ea eruditionis parte relicti, explentur, ipſiusque nominis fama per omnes ætatum viciſſitudines ad poſteros propagatur. Novus rei hujus teſtis oculis ſe ſubjicit præſens libellus, qui, tametſi non ab ipſa artificis noſtri manu proficiſcitur, ingens nihilo minus pretium a curis, in eundem collatis, nanciſci videtur. Præmiſit enim *Schlægerus* Præfationem, doctrina haud vulgari refertam, atque amœnitate multiplicis generis ſeſe commendantem. Perſequitur in ea doctos Francogallorum viros, ſuperioris maxime ætatis, quorum merita in rem literariam, maxime vero in partem illius nobiliorem, quæ numiſmatum doctrinam comprehendit, in republica literaria exſplendeſcunt. Sua condecoratur laude *Ludovicus Magnus*, quod ſingularem Lutetiæ Pariſiorum Academiam condendam curarit, in qua, præter literas omnis generis elegantiores, eruditio inprimis numaria efloreſcat. Hic quid fuerit præſtitum, *Annales* loquuntur, aliquot jam voluminibus divulgati. Adjunguntur huic Principes, literarum amore clari, *Aurelianenſes*, *Croyaci*, *Arſchotani*, quod effecerint, ut eadem doctrina præſtantior cura ſua ſumtuque novas acceſſiones nacta fuerit. Quibus præmiſſis, campum ingreditur ſpatioſum doctiſſimus *Schlægerus*, enarrando eos, qui, in terris Francogallorum prognati, rem numiſmaticam ſcriptis ſuis meritisque illuſtrarunt, quorum tantum offendit numerum, ut libere pronuntiet, plus ea in doctrina excolenda actum in Francogallia, quam in omni Europa. Excitat ex Germanis *Olearios*, *Gleichios*, *Rinckios*, *Hantbalerios*, ex Anglis *Joannem Evelinum*, ex Italis *Æneam Vicum*. Aſſequi nobis divinando haud licet, quo fato plane obliterata hic fuerit memoria Viri præſtantiſſimi, *Ezech. Spanhemii*, cujus de præclara ſcientia omnis gloriatur Germania, & cui, quicquid fere ſolidi in ea ſcientia habet, acceptum refert. Neque ipſi Cel. *Schlægero* ignotum hunc fuiſſe, certiſſimis documentis convicti ſumus. Hic conferendus erat cum Franco-

gallis, ut Germaniæ noſtræ ſplendor aliquis conciliaretur. Sed videamus jam, quos in ſcenam producat *Schlægerus*. Principem tenet locum *Anton. le Pois*, aliis *Piſo*, Medicus Ducis Lotharingici. Hunc ſequitur *Ludov. Savotus*, Medicinæ in Academia Pariſienſi Profeſſor. Subjiciuntur *Claud. Chifletius*, Doctor Juris publicus in Academia Dolana, *Gaillardus Guiranus*, Conſiliarius Regius in curia Nemauſenſi Seneſcallia, *Carolus Patinus*, arte medica præſtans, *Joſeph. Maria Suareſius*, Epiſcopus Vaſionenſis, *Carolus Cæſar Baudelotius*, Juris ſcientia excultus, *Ludov. Jobertus*, e Societate Jeſu. De ſingulis commemorantur varia, ſcitu & jucunda, & neceſſaria, inſperſis ex Hiſtoria literaria obſervationibus quibusdam lectiſſimis. Quibus demum omnibus *Georg. Vionnetus*, conditor præſentis opuſculi, ſuccedit. Hujus non ſolum patriam & parentes, verum etiam cetera in rem literariam merita, ab ſe ignorari, aperte ſcribit *Schlægerus*. Neque etiam de eo reperit aliquid apud ſcriptores memoria dignum. Libellus præſens, cujus in Ephemeridibus literariis mentionem haud factam, Noſter queritur, exhibetur eruditis beneficio *Claudii Gros de Boſe*. Quod ad argumentum attinet, carmine Latino exponuntur ea, quæ de re numiſmatica ſcitu notatuque ſunt digna. *Quinque* conſtat particulis, quarum *prima* laudes numiſmatum atque utilitatem offert, *ſecunda* formam repræſentat numiſmatum, eorumque originem indicat, *tertia*, quomodo ordinandæ numiſmatum ſeries, præcipit, *quarta* gratiam numiſmatum declarat, *quinta* dignoſcendorum numorum proborum ab adulterinis rationem docet. Ipſe *Schlægerus* de hoc fœtu ita judicat, ut a nævis omnibus immunem pronuntiare non audeat, quos tamen emendare neque voluit, neque, ob inſtituti rationem, potuit. Verbo tantum caſtigat ſeſquipedalia illa, quæ in fine de Gallo, Marte ultore, Aquilas Auſtriacas domante, a *Vionneto* effutiuntur. Satis jam dictum videtur de libello non magnæ molis, nec ſatis hucdum cognito, qui tamen habere videtur, quod de gratia, a Viri eruditiſſimi induſtria conciliata, ſibi gratuletur.

M. T.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS ACADEMICA, EX Cod. MSt. BESSARIONIS, & RECANATI, ceterorumque MSt. quos vidit LAMBINUS, TURNEBUS, MANUTIUS, GRUTERUS, & alii, ad veram lectionem reſtituta, Argumentis & Notis criticis illuſtrata ab JO. FRANC. CONRAD. DE ALLIO, cum Commentariis omnium Ciceronis Interpretum contra vitioſas, quot ſunt, fuerunt, editiones.

Venetiis, Fentius cudit permiſſu ſuperiorum, 1744, 8. Plag. 12½.

Multa promittit Italorum ille *Cornelius de Pauw*, quæ exhibuiſſe, nobis quidem judicibus, præſtitiſſet. Non invidemus laudibus ejus, ſaltem ſpes noſtras non omnino impletas, multaque nimio ſupercilio pronuntiata, dolemus. Non quælibet ſine rationibus conjicienda ſunt atque emendanda; neque dictatoriæ illæ reprehenſiones, quas ſtatim ab initio legimus, *fruſtra*, *inficete*, *inerudite*, *vitioſiſſime*, *inepte*, verum Criticum commendant. Nihilo minus tres Editor libello ſuo tribuit dotes, quas in nulla reperiri ait veterum editionum atque novarum, ne in Lugdunenſi quidem, quam curavit *Iſaacus Verburgius*, aut in nuperrima Genevenſi, quam juvit *Joſephus d' Olivet*. Nunc enim demum *Ciceronem* vere emendatum habemus; & quidem ſingulatim ope duorum Codicum MStorum membranaceorum, *Beſſarionis*, Patris purpurati, & *Recanati*, Patricii Veneti, qui Venetiis in Bibliotheca S. *Marci* diligenter cuſtodiuntur. Nunc demum habemus illuſtratum, ad ipſam quoque Philoſophiam quod attinet, quam *Cicero* tractat, unde *Copernicus*, *Carteſius*, *Gaſſendus*, *Galilæus*, & quicquid horum nugatorum eſt, verbis utimur Noſtri, doctrinam hauſere ſuam. Nunc demum defenſum poſtremo & aſſertum *Ciceronem* habemus; quædam enim pauca notata ſunt, quæ inſulſe & contra verum a *Turnebo*, *Manutio*, atque aliis, explicabantur. Quædam pauca omnino; multæ nimirum ſunt paginæ, quibus plane

plane nihil annotationum ſubjectum legitur. Et tamen plus præſtitit Autor, quam promiſit. Nam & hiſtoriam antiquam, inprimis literariam, ut & Mythologiam, juvare laboravit. Sed quibus demum pauca illa, quæ forſitan in mentem venerunt, ſcripſit? Num literatis, cum criticæ dicantur annotationes? At illi norunt, quod *Ennius*, *Pacuvius*, & *Accius*, Poetæ Latini, *Æſchylus*, *Sophocles*, *Euripides*, Poetæ Græci, *Hyperides* ac *Demoſthenes* Oratores Græci, fuerint, quæque ſunt alia, quæ ſingularibus tamen notis indicantur; num pueris Latinæ linguæ ſtudioſis? At illi neque Academicas Quæſtiones legunt, neque criticis, ad contextum quod attinet, conjecturis, ſed illo ſaltem accuratiore, indigent. Verum enim vero, ne judices iniqui ſedere videamur, commendamus etiam nonnulla, vel altiore inquiſitione digna, vel omnino prædicanda. Illuc referimus annotationes quasdam, e. g. hanc, quæ ſtatim ab initio legitur: *Varro.* In omnibus fere Editionibus liber hic inſcribitur ad *Marcum Terentium Varronem*; fruſtra. Nam vere inſcribendus eſt *Varro*, quia ſecundus inſcriptus erat *Hortenſius*, tertius *Catulus*, ut ex *Cicerone* colligitur, quartus *Lucullus.* Huc autem collocamus argumenta, quæ ſunt e. g. ad *Lib. I*: *Cicero exordium ſumit a Varronis amicitia, ab ejus eruditione, a ſcriptis, ut eum impellat ad tractandam Philoſophiam, allato Bruti, hominis doctiſſimi, exemplo, qui de virtutibus, quæ ad moralem ſpectant, libellum compoſuerat. Loquitur de veteri & nova Academia, ac primum a Socrate diſputationem trahit, qui, neglecta Phyſice atque Dialectice, Moralem tantum ſectatus fuerat; dein Platonis doctrinam exponit, qui non ſolum de virtutibus, ſed etiam de natura, ac de differendo, diſputavit; porro ad Ariſtotelis Phyſicen tranſit, qui cælum quintum elementum commentus fuerat; immo & ejus Dialecticen declarat, & Zenonis etiam, cujus Phyſicen tangit; poſtremo de Arceſila pauca, qui, nihil ſciri poſſe, docebat contra Zenonem, cujus opinionis fuiſſe Socratem, & Democritum, Anaxagoram, & Empedoclem, dicit, ex quo concludit, Academiam veterem & novam idem fuiſſe. Dialogus eſt in Cumano cum Varrone & Attico.*

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLV.

SELECTUS DIPLOMATUM ET NUMISMA-tum Scotiæ Theſaurus, in duas Partes diſtributus. Prior Syllogen complectitur veterum Diplomatum, ſive Chartarum, Regum & Procerum Scotiæ, una cum eorum Sigillis, a Duncano II ad Jacobum I, id eſt, ab anno 1094 ad 1412. Adjuncta ſunt reliquorum Scotiæ & Magnæ Britanniæ Regum Sigilla, a prædicto Jacobo I ad nuperam duorum regnorum in unum, anno 1707, coalitionem; item characteres & abbreviaturæ, in antiquis Codicibus MStis Inſtrumentisque uſitatæ. Poſterior continet Numiſmata, tam aurea, quam argentea, ſingulorum Scotiæ Regum, ab Alexandro I ad ſupra dictam regnorum coalitionem perpetua ſerie deducta; ſubnexis, quæ reperiri poterant, eorundem Regum Symbolis heroicis. Omnia ſummo artificio ad prototyporum ſimilitudinem tabulis æneis expreſſa; adjectis ſingulorum Diplomatum, recentiore ſcripturæ forma, æri itidem inciſis exemplis. Ex mandato Parliamenti Scotici collegit, digeſſit, & tantum non perficienda curavit, egregius ac patriarum antiquitatum callentiſſimus Vir, JACOBUS ANDERSONUS, Scriba Regius. Quæ Operi conſummando deerant, ſupplevit, & Præfatione, tabularum explicatione, aliis-

que Appendicibus, rem Scotiæ diplomaticam, numariam, & genealogicam, haud parum illuſtrantibus, auxit & locupletavit THOMAS RUDDIMANNUS, *A. M. ſuppeditante ſumtus Clariſſimo Viro,* THOMA PATERSONO, *Armigero.*

Edimburgi, apud Thom. & Walt. Ruddimannos. Venales autem proſtant Londini apud eundem Thom. Paterſonum & And. Millar, & Edimburgi apud Gavinum Hamilton, Bibliopolam, 1739, fol. max.

Alph. 1 plag. 11, Tab. æn. 180.

Qui hoc ſeculo univerſæ Europæ pervagatus gentes vetuſtarum chartarum conquirendarum æſtus, incredibili rem literariam librorum, vaſtiſſimæ utplurimum molis, multitudine ditavit, is pariter in remotam uſque penetrans Scotiam, optimum *Anderſonum*, Regii Sigilli Tabularium, corripuit, nec prius deferbuit, quam congeſta eſſet *Diplomatum*, a Regibus, Comitibus, Baronibus, datorum, item Sigillorum, Numiſmatum, aliarumque rerum, eo ſpectantium, ſatis ingens vis, cui in publicum protrudendæ, quia opitulari haud poterat ipſe *Anderſonus*, invidis fatis ante tempus abreptus, ſuam operam perbenigne commodavit *Thomas Ruddimannus*, Vir hoc Opere egregiam conſecutus laudem. Non faventiore ſidere comparandæ illius diplomatariæ congeriei conſilium, ſi quod aliud, probabile capere poterat *Anderſonus*, patriæ amantiſſimus; quippe quem, ſupremo Scotorum ſenatui de re animo concepta indicium facientem, continuo juvare ſuo ære ad expenſas tolerandas conſtituit Senatorum liberalitas, decreta ipſi eum in finem 1600 librarum Sterlingicarum ſumma, Reginaque *Anna*, quæ tum Magnæ Britanniæ imperabat, exorata, ut muneri cuidam publico admoveretur. Cujus perquam laudabilis ac valde inuſitatæ munificentiæ, non licuit nobis committere, ut excideret memoria. Exſtincto *Anderſono*, vulgandi Codicis cura in ſe ſuſcepta *Ruddimannus*, ſumtus, libro typis exſcribendo neceſſa-

neceſſarios, ſubminiſtrante *Paterſono*, Equite, hanc voluit eſſe operis deſcriptionem, ut, poſt Dedicationem *Georgio II*, Regi Britanniarum, factam, poſtque decreta ſupremi Senatus Scotici de expenſis, in *Anderſonianum* laborem faciendis, e publico largiendis, ac denique poſt recenſum beneficorum hominum ac tabulariorum, unde Diplomata, Numiſmata, reliquusque apparatus, provenere, collocaretur Præfatio *Ruddimanni* lectu digniſſima, ac deinceps ſequeretur ipſa ſylloge *Anderſoni*, præmiſſis ſerie Regum Scotiæ chronologica, Indice Tabularum, in hoc volumine contentarum, & ampla utiliſſimaque enumeratione nominum propriorum ac cognominum, quorum Diplomata mentionem injiciunt. Habet hoc Præfatio *Ruddimanni* præ multis id genus ſcriptiunculis, quibus frontes librorum commaculare, mos eſt, præcipuum, ut res tractet cum per ſe memorabiles, tum ad Operis intellectum apprime facientes. Orſus ab inſtituti *Anderſoniani* commemoratione *Ruddimannus*, primum diplomaticæ rei apud Scotos primordia legit, moremque, chartas conſcribendi, jam Seculo VII innotuiſſe perhibet, inſperſa de fœderis inter Francos & Scotos antiquiſſimi ἀυθεντείᾳ diſputatione; at, vetuſtiores chartas interiiſſe, conjicit, cujus jacturæ cauſas cum alias affert, tum hanc urget, quod *Eduardus I*, Anglorum Rex, pro hoſtili ſuo adverſus Scotos animo, omnia Scotorum monumenta publica aboleri juſſerit. Ceterum diligentiſſima perfungitur diſquiſitione de Diplomatibus, *Duncani II* imperio antiquioribus. Ab hoc Diplomatum ſeries initium ducit. *Milcolumbi III*, *Duncani II* patris, genuina ſupereſſe negat, veruntamen, confici conſueviſſe eo regnante æque, ac ſub patris *Macbethi* & avi *Milcolumbi II* imperio, propterea aſſerit, quia in libris donationum valde antiquis ejusmodi conſtitutionum memoria cuſtoditur. Diplomatis autem *Milcolumbi II* ſinceritatem ambiguam eſſe contendit. Excipiunt Regum Chartas Epiſcoporum S. *Andreæ* inſtrumenta. Singulare eſt *Kellachi II* Diploma, in quo ſe ipſum *Maximum Scottorum Epiſcopum* vocat, & alterum *Maldwini*, qui titulo *humilis miniſtri* inſigniri maluit. Egregia hic de ætate & ſucceſſionis ordine priſcorum S. *Andreæ* antiſtitum leguntur. A

qua diſceptatione reverſus ad Regum Diplomata, eorum jam uſum ſub *Gregorio* & *Kennetho II* Regibus ſe reperiſſe prodit. Conſtituunt hæc priorem Præfationis partem. Deinceps ad utilitatem, quam ut literis univerſim, ita hiſtoriæ, præſtant Diplomata, commendandam procedens, quantum inde lucis Scotorum hiſtoriæ inferatur, erudite exemplis adductis docet. Cui uſui cum vehementer noceant Diplomata ficta, ſub examen revocat varia Diplomata, falſique damnat quædam, in quibus Reges Scotici pro beneficiariis Regum Angliæ circumferuntur, cujusmodi ſunt *Milcolumbi III*, *Edgari*, *Roberti I*, *Davidis II*, & *Roberti II*. De poſteriorum trium Regum Diplomatibus obſervat, eſſe a *Jo. Hardingo*, Hiſtorico, conficta, & ab *Atwodo* in libro de ſuperiore ſceptri Anglici in Scotiam dominio pro genuinis adoptata. Contra quem etiam Diplomatis a falſi ſuſpicione, qua aſpergere is laboraverat, liberandi ergo acriter diſputat. Eſt illud *Roberti*, Seneschalli Scotorum, poſtea *Roberti II* Regis, Diploma, a *Ludovico Inneſio* Pariſiis publicatum, et a peritiſſimis hominibus, *Renaudotio*, *Mabillonio*, *Baluzio*, & *Ruinartio*, pro ſincero agnitum. Dici non poteſt, quantis cum rationum ponderibus & acumine hæc lis in *Atwodum* peroretur. Cum Diplomatum acceſſiones ſint Sigilla, de his generatim diſſerit, ac, eorundem uſum *Guilielmi Conquæſtoris* ævo introduci in Angliam cœpiſſe, commemorat. In Scotia vero fruſtra ante *Milcolumbum III* natales ejus quæri contendit. Ab *Alexandro I* Contraſigillum uſurpari cœptum. *Edgarus* ſimulacrum ſui in throno ſedentis imprimi primus curavit, more haud dubie a Byzantinis Imperatoribus derivato. Varia poſthæc ſubjunguntur de ornamentis Regum in Sigillis, corona, ſolio, & indumentis, item de Contraſigilli figura, utplurimum equitem armis ac inſignibus militaribus decoratum referente, ubi ſimul de inſignibus gentilitiis, a *Guilielmo*, vel *Alexandro II*, in Sigillis primum cælari ſolitis, fit mentio. Nova inde de rei monetariæ apud Scotos antiquitate & ratione naſcitur materies. Subit admiratio, qui factum ſit, ut tam ſero demum nummum ſignandi conſilium ceperint Scoti. Antiquiſſimi enim, quos reperire licuit, non ultra *Alexandri I*, qui ſub initium Seculi

Seculi duodecimi imperium capeſſivit, ætatem aſſurgunt. Anglo-Saxonum pecunia uſos eſſe vetuſtioribus temporibus Scotos, veriſimile eſt. Certe Anglorum monetam pondere & ſignandi modo aſſimilat nummus Scoticus; quapropter olim & valor idem utriquæ nummo in vicinis gentibus fuit. Ex quo vero recentiori ætate de pondere nummorum Scoticorum detrahi nonnihil cœpit, mutatio valoris in Anglia facta eſt, ac brevi poſt Regia autoritate plane ſublatus Scoticæ monetæ uſus. Inſeri hic placuit de pecuniæ Scoticæ diſtributione, partibus, nominibus, tam in argento, quam in auro æreque, itemque computandi modo, & vario diverſis temporibus valore, tractationem, quam claudunt tria ſchemata, quorum priora duo numerum nummorum, ex auri argentive libra vario tempore cuſorum, indicant, poſterius vetuſtiora rerum quarundam pretia recentioris nummi valori applicat. Hactenus de Præfatione. Theſauri *Anderſoniani* quinque ſunt claſſes. Prima claſſis Regum *Duncani*, *Edgari*, *Alexandri I*, *Davidis*, Comitis & Regis, *Henrici*, Comitis, filii *Davidis*, *Malcolmi IV*, *Guilielmi*, *Alexandri II*, *Alexandri III*, *Davidis*, Comitis *Huntington*, *Joannis Balliol*, Regis, *Guilielmi Wallace*, Cuſtodis regni Scotiæ, *Roberti I*, Comitum, ſeu Baronum, libere tenentium ad Papam A. 1320, *Davidis II*, *Roberti II*, Reginæ *Euphemiæ*, A. 1375, *Roberti III*, *Roberti* gubernatoris, *Murdaci* gubernatoris, *Jacobi I*, *Franciſci* & *Mariæ*, *Thor Longi*, *Gospatricii* Comitis, *Waldevi*, filii *Gospatricii*, *Ricardi de Morevil*, *Walteri de Berkley*, *Walteri Cumin*, *Rollandi*, Conſtabularii Scotorum, complectitur Diplomata & literas. Ut ſunt in his pleraque donationum Regalium, ſodalitatibus ſacris factarum, confirmandarum conceſſionumque ergo data; ita non pauca habentur nobiliſſima documenta. Inſignis eſt *Guilielmi* Regis charta, in qua teſtatur, ſibi ad redimendum a ſervitute Regis Angliæ *Richardi* regnum Scotiæ, ab Ordine Ciſtercienſi ſpontaneam factam eſſe pecuniæ oblationem, ſimulque immunitatem illius Ordinis ab omnibus penſionibus ac ſervitio confirmat. In ejusdem Regis Diplomate alio meretur legi formula, qua feudum conceditur: *Sciant omnes- - - - - conceſſiſſe me in feudum*

- - - - - *in boſco & plano, in terris & aquis, in pratis & paſcuis, & moris & moſſis, & mareſiis in ſtagnis & molendinis, in vivariis & piſcariis, in viis & ſemitis, in ſabulis & ſalinis, in portubus, & cum omnibus aliis, ad prædictas terras juſte pertinentibus, cum ſocca & ſacca, cum furca & foſſa, cum thol & them, & Infangenthes* - - - - In charta *Joannis Balliol*, A. 1295 facta, fœderis inter hunc Regem & Regem Franco-Galliæ *Philippum IV* contra Regem Angliæ, & matrimonii inter Regis *Joannis* filium *Eduardum* & *Caroli Valeſii* filiam, leges continentur. In Diplomate *Roberti I* Regis *Colino Campel* Baronia in feudum conceditur, ea conditione, ut, quoties opus ſit, navem 40 remorum neceſſariis rebus & hominibus inſtructam præſtet. Quis fuerit ſuſpicatus, e literis Procerum Scotiæ ad Pontificem, quibus contra *Eduardum*, Angliæ Regem, auxilium petitur, originem gentis poſſe cognoſci? At illi docent Pontificem, majores ſuos, e Scythia, patria ſua, egreſſos, per Tyrrhenum mare & præter columnas *Herculis* vectos, in Hiſpania conſediſſe, ac inde in Scotiam trajeciſſe. Inter conditiones Concordati inter *Euphemiam*, *Roberti II* Reginam, Comitemque *de Stratheme* ab una, & Comitem *Alexandrum Murray* ab altera parte, quod *Indentura* vocatur, fratri *Alexandri* invidendum ſit promiſſum, ei datum iri uxorem *Joneta de Munimuske* ſeniorem filiam, ſi ipſe *pro voluntatis ſuæ libito eam velit.* Merentur præ ceteris inſpici *Murdaci* gubernatoris literæ eo, quod illæ antiquam literarum credentialium, ut vocare ſolent, formam exhibent. Tantum de prima claſſe. In ſecunda claſſe exhibentur Sigilla Regia Regum *Jacobo I* poſteriorum, uſque ad *Annam*, Magnæ Britanniæ Reginam, quibus accedunt Sigilla Eccleſiaſticorum, & Inſignium Scotiæ delineatio. Sunt maxime conſpicua tria diverſa *Mariæ* Sigilla, quibus ante matrimonium cum *Franciſco*, durante eo, & poſt mariti obitum, uſa eſt. Poſtquam coaluere Scotiæ & Angliæ regna, Sigilla hanc paſſa ſunt mutationem, ut Rex non, ut ante, in ſolio reſidens effictus conſpiciatur, ſed eques. Longe omnium ornatiſſima ſunt *Guilielmi* & *Mariæ*, ac demum *Annæ*, Sigilla. Tertia claſſis Alphabeta varia, e Chartarum ſcripturis concinnata, & abbreviaturas explicatas, continet,

Digitized by Google

net, de quibus quod dicamus, fere nil eſt, niſi quod ſumma accuratione & elegantia videantur ſingula eſſe expreſſa. Succedunt in quarta claſſe Nummi Regum Scotiæ aurei & argentei, quorum fortaſſis haud unquam locupletior publicata eſt ſeries. In ultima claſſe comparent pauca, maximam partem *Mariæ*, Scotiæ & Franciæ Reginæ, ſymbola heroica, quibus univerſum Opus clauditur. Convenit fateri, ſive pulchritudinem & nitorem voluminis externum, ſive multitudinem Tabularum ærearum, ſpectes, ſunt autem 180, eæque ſingulæ maximo cum artificio & elegantia cælatæ, ſive incredibilem diligentiam Collectoris & Editoris conſideres, nihil in eo genere perfectius potuiſſe elaborari, Opusque eſſe ſumme magnificum & vere regium.

JOANNIS DRIEBERGE, THEOLOGIÆ INTER Remonſtrantes Profeſſoris, de Prædeſtinatione & Gratia liber.

Amſtelædami, apud Iſaacum Tirion, 1744, 4.

Alph. 1 plag. 10.

Cum Cel. Autori a Veneranda Remonſtrantium ſocietate provincia Theologiæ docendæ demandata eſſet, ac ipſe de ratione, quam in docendo ſequeretur, deliberaret; ipſi tandem hæc ſedit ſententia, ut ipſe in uſum auditorum conſcriberet doctrinæ theologicæ complexum. Perluſtravit eo fine ſingula egregiorum prædeceſſorum monumenta, nec id ſine cura. Inter hæc ipſi accidit, quod eis evenire ſolet, qui argumentum, ab aliis elaboratum, ad examen revocant, ac diverſorum pronuntiata ſententiasque inter ſeſe contendunt. Cogitationes novæ inter ponderandum ei ita ſubnatæ fuerunt, ut quædam tollenda, mutanda, vel ſupplenda, viderentur, quæ melius digeri, & ſuis quæque locis collocari, queunt, ſi quid de integro diſpicitur, quam cum veſtigiis methodoque alterius inhærendum eſt. Eo ipſo igitur occaſio eidem ſuppeditata eſt, animum ad præcipuos locos, qui in Theologia tractari ſolent, majori cum cura applicandi. In tractatione loci de *prædeſtinatione*, plena illa diſcriminis materia, id inprimis ſibi pro-

propoſuit, ut genuinum ſententiarum Codicis divinitus conſtituti ſenſum, quas utraque diſſentientium pars pro ſuis pronuntiatis ſtabiliendis laudat, indagaret, & in luce locaret clara. Sensim hoc pacto ſeges meditationem in latiorem excrevit meſſem. Edidit proinde hanc Commentationem, ac præcedentis libri ultimo Capiti ſubjunxit, quo, Jeſum eſſe Meſſiam, vaticiniorum divinorum complementum, iverat demonſtratum. Hæc fuit libri ſcribendi edendique unica, ſatisque juſta, cauſa. *Capitibus* ille conſtat *ſeptendecim*. *Primo* exponit de ſententia Infralapſariorum ac Supralapſariorum. *Secundum* de univerſalitate redemtionis, quæ in Jeſu Chriſto eſt, inſcripſit. *Tertio* tractantur loca ſacri Codicis, quæ pro particulari redemtione afferri ſolent. Præmittitur vero nonnihil de ortu & progreſſu hujus opinionis. *Quarto* expendit argumenta, quæ univerſali redemtioni e campo luminis, quod rationis vocant, proferuntur. *Quinto* comparat decretum abſolutum cum perfectionibus Dei moralibus. *Sexto* agit de prædeſtinatione, electione, & beneplacito, Dei, quorum in divinioribus literis fit mentio. *Septimo* diſputat de Codicis divini locis, quæ ad muniendam reprobationem abſolutam, ſeu conditionis expertem, adduci ſolent. *Octavo* ad ſenſum *Capitis noni Epiſtolæ ad Romanos*, a *Paulo* ſcriptæ, eruendum ſe convertit. De vocatione hominum ad ſalutem animæ differit *Capite nono*. *Decimo* ediſſerere conatur modum operationis gratiæ divinæ, in converſione hominis obviæ. *Undecimo* perpendit externa converſionis ad gratiam Dei amplectendam adminicula, ac hominis impotentiam. Diſputat *Capite duodecimo* de locis Scripturæ ſacræ, quæ pro irreſiſtibili operatione gratiæ, convertentis hominem, adduci ſolent. *Capite decimo tertio* de argumentis, quibus alii, gratiam dari, cui ab homine reſiſti haud poſſit, contendunt, agit. *Capite*, quod illi ſuccedit, gratiam Dei ab homine excuti amittique poſſe, docet. Adjungit hiſce *Capite decimo quinto* exempla lapſorum. Diſputat *Capite decimo ſexto* de adhortationibus, promiſſis, & comminationibus. Examinat tandem *Capite decimo ſeptimo*, eoque poſtremo, loca divinioris Codicis, quæ ad perſuadendam aliis perſeverantiam, conditionis exſortem, teri addu-

adducique ſolent. Infralapſarii ordinem, quem Deus in decreto de hominum ſalute conſtituto adhibuit, ita locant figuntque, ut conſideratio lapſus Adamitici, primique peccati, præceſſerit ſtabilitam œconomiam, qua Deus *nonnullos*, id eſt, certo crediturос in Chriſtum, gratia, cui reſiſtere homo non valeat, vocet, & ſalute beet ſempiterna. At ſupralapſarii ordinem illum invertunt, ac œconomiam gratiæ conditam creationi innectunt, & lapſui hominum antevertiſſe reſpectu ordinis in decreto divino, decernunt. Hi ſibi perſuadent, Deum ita determinaſſe voluntatem hominis primi, ut hic certo, ſeu neceſſario, peccaret, & per hanc noxam ſe ipſe ac omne genus ho- Pag. 3.
minum futurum mortis ſempiternæ reum redderet; paucos vero eum gratiæ ſuæ admovendos, & exitio ſubtrahendos eſſe, ratum, reliquos perniciei haud deſtituræ addixiſſe. Prior ſententia omnino eſt mitior, & cum notionibus juſtitiæ ac æquitatis divinæ conciliari aptior. Quantum vero ad hominum ſortem attinet, altera alteri haud eſt præferenda. Perniciem enim damnandorum ſempiternam utraque ab *electione & reprobatione abſoluta* arceſſit. Supralapſariorum ſententiam haud ſecuti ſunt 5.
patres Synodi Dordracenæ. Eam enim ſuffragiis ſuis judicarunt indignam. Nihilo minus illa aſſectatoribus ſuis nondum caret. Noſter vero it demonſtratum, ſententiam, quæ abſolutam prædeſtinationem admittit fovetque, excogitatam eſſe præter divinioris Codicis pronuntiata, immo hiſce e diametro repugnare, atque gignendis alendisque affectibus pietati contrariis eſſe accommodatam, gignere vel ſecuritatem, vel deſperationem. Præcepta omnino legis divinæ eo fine data & promulgata ſunt, ut eis homo congruenter agat. At Infralapſarii æque ac Supralapſarii, hoc judice, finem illum ſubvertunt, id quod nec *Joannes Calvinus* inficiari ſuſtinuit. Reſpondendum ipſi erat ad hanc objectionem. At ipſe pro reſponſo convicia expromſit, apud ipſum legenda in *Inſtitut. Div. III, 23, §. 12.*
Pergit Noſter: *Ejusmodi doctrinæ ortæ ſunt in Eccleſiis, quæ* 9.
abſolutam prædeſtinationem, in Synodo Dordracena ſtabilitam, ſibi exiſtimant inviolate ſervandam. Non quidem talium opinionum autoribus, eas in lucem proferre & diſſeminare, impune

licuit; sed, eos *) *autoritate potius & numero ad silentium redactos, quam legitimis argumentis convictos, multis persuasum est.* Quicquid autem hominibus de consiliis Dei nosse datum est, id non nisi ex scitis, divinitus in Codice sacro revelatis, sciri potest. Noster vero it comprobatum, beneficia Christi ad salutem universorum pertinere, haud excluſis reliquis, licet existant mortales, qui gratiæ vocanti ac trahenti ponunt obicem,
Pag. 12. vel eam rursus amittunt. Id ipsum ut persuadeat evincatque, confugit ad loca notissima, quæ præsto sunt *Matth. XVIII, 11, Luc. XIX, 10, Matth. IX, 13, 1 Tim. I, 15, Luc. IX, 56.* Peccatores inibi omnes Christus vocat, ac sese, ut eos servet, venisse perhibet. Illi, ad quos servandos venit Christus, vel pro
14. quibus mortuus est, vocantur *mundus.* Mundus vero nec Judæos solos, nec electos tantum, designat, hoc judice. Anne *mundus*, qui Christum haud agnovit, *Jo. I, 10*, denotat electos? An Judæos omnes? Neutrum nobis poterit persuaderi. Apostoli missi sunt *in omnem mundum.* An ad electos tantum? An ad Judæos solos? Num ipsi electos norant? Num ad electos veniebant, cum primum Evangelii nuntium gentibus divulgabant? *Mundus in malo jacet*, non certe in sola electorum multitudine. An *mundus*, qui Spiritum sanctum recipere non po-
16. terat, est electorum cohors? Electi non vocantur mundus, sed *e mundo electi.* Mundus itaque denotat universitatem hominum, cujus pars sunt electi, illecebras multitudinis exosi. Nihilo minus *Theodorus Beza* in colloquio Mompelgardensi monuit & contendit, per *mundum* denotari *electos, pag. 540. Joannes Piscator* eum fuit secutus. *Joannes* quidem *Dallæus* in *Apologia pro duabus Synodis pag. 22 & 1209* plane fatetur, & aperte præ sese fert, interpretationem illam in Ecclesia ante *Joannem Piscatorem* inauditam fuisse. Dicendum ipsi erat, *ante Bezam*, qui, ab adversario provocatus (*pag. 547*), ut unicum saltem e scriptoribus ecclesiasticis veteribus, vel novis, nominaret, qui verba Christi *Jo. III, 16*, sic interpretatus esset, nullum nominavit. *Mundum* in hoc loco universitatis electorum esse indicem, copiose negat Noster. Legitur profecto ibi *v. 17*: *Deus*

*) Adde: *qui secus sentiebant, & Remonstrantes vocabantur.*

Digitized by Google

Deus non misit filium suum in mundum, ut mundum judicet, id est, condemnet. An electi videri poterant damnandi? *Judicare* ibi idem est ac condemnare, id quod patescit ex *Cap. XII, 47, 48.* Deus vult *omnes homines* servari *1 Tim. II, 4*, filiumque suum pro *nobis omnibus* morti tradidit *Rom. VIII, 32.* Gratia Dei salutaris *omnibus hominibus* apparuit, *Tit. II, 11.* Christus *pro omnibus* est mortuus, *2 Cor. V, 14, 15, Hebr. II, 9, 1 Tim. II, 6*, pro omnibus hominibus, labe insita infectis, *Rom. V, 18.* Illi, pro quibus Christus mortem oppetiit, possunt perire, *Rom. XIV, 15, 1 Cor. VIII, 11, Ebr. X, 26-29, 2 Pet. II, 1.* Apostoli omnibus ubique gratiam Dei annuntiare debebant, Pag. 30.
Marc. XVI, 15, Rom. XV, 9, Col. I, 6, scilicet ut omnes servarentur. Ἀπείθεια perniciei est causa. At, si perpetuo improbi non valuerunt in Jesum credere, denegatio assensus & fiduciæ, qua Jesum contemserunt, eis vitio dari nequit. Hæc est *Capitis primi* ac *secundi* summa. Quicquid hisce sententiis alii excipiendo obmoliuntur, illud Noster extricare simul & expedire studet. Primus, qui gratiam particularem publice docuit, fuit *Gotescalcus* Monachus, qui medio Seculo IX 35.
in Gallia vixit. *Augustinus* gratiæ universalis fuit propugnator. Immerito ei sententiam, contraria tenentem, fuisse olim afflictam, apologia *Prosperi Aquitani* est indicio. Reformatores, quos ita vocamus, primi, *Augustinum* ducem potissime secuti, noluerunt vel re, vel verbis, dogma gratiæ particularis, quod cum *Gotescalco* emortuum fuerat, amplexari, donec tandem *Theodorus Beza* in colloquio Mompelgardensi dilucide, 36.
Christum pro omnibus esse mortuum, negavit. *David Pareus*, Theologus Heidelbergensis, id colloquii propterea vocavit *infelix*, quod *istam de morte Christi litem Ecclesiæ pepererit*, fatente *Ludovico Crocio*, Theologo Bremensi, *Syntagm. Dissert. pag. 97.* Exeunte ergo Seculo XV, Particularistarum patrem *Beza* se præbuit. *Joannes* certe *Calvinus*, gratiam Dei esse universalem, docuit in *Comment. ad Matth. XXVI, 28*, & *Jo. I, 29.* Synodus ipsa Dordracena Particularistis pollicem haud pressit, monente *Joanne Dallæo* in *Apologia utriusque Synodi pag. 947, 971.* Patribus ejus mors Christi videbatur suffeciss

redimendis hominibus univerſis. At poſthæc noluerunt ſucceſſores eorum eam ſententiam amplius admittere, rati, mortem Chriſti ad eos haud pertinere, qui efficaciam redemtionis
Pag. 39. haud obtineant. *Bezam* ſectatus eſt *Joannes Piſcator*, qui ſcripſit: *Pro reprobis nullo modo mortuus eſt Chriſtus, ſive ſufficienter dicas, ſive efficaciter.* Vid. Acta & ſcripta ſynodalia Remonſtrantium *pag. 288.* In Belgio *Franciſcus Gomarus* fuit primus, qui ſic docuit, eademque profeſſus eſt. Inprimis *Frid. Spanhemius*, pater, operoſe gratiam univerſalem oppugnavit tribus voluminibus, A. 1646 editis. A quo tempore Particulariſmus placuit plerisque. Particulariſtæ ſuffugiunt ad *Jo. XVII, 9, Jo. X, 15, XI, 52, Eph. V, 25, Matth. I, 21, Rom. VIII, 34, Matth. XX, 28, XXVI, 28, Hebr. IX, 28.* Quam ob cauſam Noſtro id inprimis curæ cordique fuit, ut loca illa diligenter evolveret, & objectiones enodaret. Dedimus ſpecimen tractationis, e quo de reliquis judicium ferri poteſt. Cur vero judicium ipſi facere recuſemus, ejus rei ratio neminem facile præteribit. Id unum adjungimus, Autorem in eo deſudaſſe, ut ſenſum *Capitis IX Epiſtolæ ad Romanos* ſcriptæ erueret. Oſtendit ipſe ex Apoſtoli ſcopo & orationis complexu, ne verbum quidem ibi de abſoluto prædeſtinationis decreto legi; ſpectare potius omnia ad inſtantem Judæorum ruinam & theocratiæ finem, ſiquidem Judæi innitantur externis patrum prærogativis, ac ob fiduciam in vanitatem operum ſuorum, citra fidem in
100. promeritis Chriſti defixam, contumaciæ ſint rei, carituri eo honore, quo eousque fuerant gaviſi. *Joannem Alphonſum Turrettinum*, veritatis pacisque amantiſſimum virum, in eadem fuiſſe ſententia, nemo facile ignorat.

JACOBI DRACKEI, CELEBERRIMI ANTHROpologiæ Autoris, Orationes tres, de Febre intermittente, de Variolis & morbillis, & de Pharmacia moderna. In lucem edidit, & Præfationem adjecit, EDUARDUS MILWARD, Med. Doct. & Soc. Reg. Londin. Socius.

Amſte-

Digitized by Google

Amſtelodami, apud Henricum Bouſſiere, 1742, 8 maj. Plag. 8 1/2.

Celeberrimus *Drackeus*, qui edita *Anthropologia* immortalem ſibi nominis famam peperit, in Academia Cantabrigienſi has quondam Orationes habuit, ſummos in Medicina honores conſecuturus, & primam quidem pro Baccalaurei, reliquas autem binas pro Doctoris, dignitate. Quamvis tantam eloquentiam, Romanique elegantiam ſermonis, in iis nos quidem non obſervaverimus, quantam Cl. Editor prædicat; non tamen hoc nomine contemnendæ penitus videntur. Prima Oratio de febre intermittente diſquirit. Initio Autor ordinaria febris ejusmodi phænomena recenſet, eorum cauſam in bile flava ſitam eſſe arbitratur, quæ, relaxato fibrarum in ductu communi annularium tono, copioſius unice in duodenum effundatur, indeque ſurſum ac deorſum ad ventriculum & inteſtina delata, per mediam præcipue ventriculi tunicam diffuſa, fibrillas nerveas ſalium aculeis irritet, contrahatque. Contractio hæc partibus ceteris per nervos ventriculi impertitur, præcipue autem cerebro, inter quod & ventriculum ſingularis intercedit conſenſus. Atque hinc reliquorum ſymptomatum origo explicatur. Periodicus ille, qui certis ſtatisque intervallis fit, recurſus ex eo derivatur, quod ad certam & determinatam bilis quantitatem denuo colligendam, qualis ad debitam vaſorum felleorum extenſionem neceſſaria eſt, certum etiam determinatumque temporis ſpatium requiratur. Atque hinc etiam febrium tertianarum, quartanarumque, differentiæ repetuntur. Quippe, quo major fibrarum eſt imbecillitas, eo major eodem tempore fellis fit profuſio, atque exinde, quod in quartanis plerumque accidit, paroxyſmus redditur violentior. Quo vero majus bilis eſt diſpendium, eo longius ad reparandum illud poſtulatur temporis intervallum, & viciſſim. Verum hæc nobis non ſatis accommodata eſſe ad explicandas horum phænomenorum rationes videntur, quare aliæ febres ſingulis, aliæ alternis, aliæ quarto quovis die, & ſtrictim quidem, accurateque vel ſummo mane, vel ante & poſt meridiem, atque ita porro, revertantur. Poſthæc originem ſymptomatum anomalo-

rum pariter atque criticorum eruit, &, medendi methodum, noſtra ætate receptam, inprimis per emetica & corticem Peruvianum, cum ſua hypotheſi convenire, declarat. Omnem enim iſtius corticis efficaciam vi adſtringenti tribuit, quæ, fibras ductuum biliariorum, ceterasque totius corporis, ad juſtam tenſionem reducendo, immodicum iſtum bilis effluxum ſiſtat, ingreſſumque ejus in venas lacteas, priſtino tono jam reſtitutas, prohibeat. Oratio ſecunda de Variolis & morbillis agit. Nulla horum morborum apud veteres exſtant veſtigia, quos Arabes primi notaverunt. Poſtquam diſcretarum juxta ac confluentium variolarum ſymptomata ordinaria & extraordinaria enarravit, morbos hos aeris eſſe progeniem, atque ab halitibus quibusdam ſulphureis, per atmoſphæram volitantibus, generari contendit, nec tamen, ſintne illi arſenicales, an alius generis, certo determinare audet. Phænomena tamen variolarum cum effectibus Arſenici, quantum eos cognitos habemus, ejusdem eſſe proſapiæ, aſſerturus, binas recitat hiſtorias, ubi ab Arſenico tum in vino, tum ſub vaporibus admiſſo, puſtulæ prodierunt, ſub iisdem fere ſymptomatibus, qualia in variolis accidunt, ſtatisque temporibus abſolutis denuo exaruerunt. Quod plerique ſemel tantum per totam vitam infeſtentur variolis, non ideo fieri putat, ac ſi quod remaneret a partu in corpore, quod eſſet expurgandum, ſed quia, ſuperato hoc morbo, pori glandularum & cuticulæ patentiores evadant, quam antea, atque ea de cauſa virus peſtilentiale iterum in cute moram non ſubeat, ſed faciliorem exitum nanciſcatur. Quamprimum incidit variolarum ſuſpicio, primæ viæ evacuentur emetico, &, ſanguis ſi efferveſcat, mittatur ejus aliqua portio, præſertim in adultis junioribus, catharcticum quoque, ſi id ſatis tempeſtive fieri poteſt, in uſum vocetur. A diaphoreticis abſtinendum eſt, niſi ubi pulſus non eſt vehemens, nec calor intenſus, ubi Autor diaphoreticorum nomine vehementiora Bezoardica intelligere videtur. De morbillis plane ſilet. Oratio tertia Pharmaciam hodiernam deſcribit. Initio medicina paucarum fuit herbarum. *Hippocratis* etiam tempore pharmacia admodum ſimplex fuit. Poſthæc majores minoresque compoſitiones concinnarunt,

narunt, quod exemplo Theriacæ probatur. Atque ejusmodi ineptis atque absurdis miscelis etiam nunc delectantur multi. Verus itaque Pharmaciæ finis esse videtur, ut ad manus habeatur promtuarium remediorum probatissimorum ex tempore non probabilium, &, quæ frequens usus postulaverit, adsint ad arbitrium Medici, non ut formularum nugarumque plus quam anilium collectio exstet inepta atque misella, quam utique e Pharmacia exterminare, & tot aquis destillatis, pilulis, elixiriisque, nuntium remittere, deceret.

JOANNIS HENRICI SCHULZE, D. Medicinæ & Antiquitatum in Regia Fridericiana Academia Professoris, Dissertationum Academicarum, ad Medicinam, ejusque historiam, pertinentium, Fasciculus primus.

Halæ, impensis Caroli Hetmanni Hemmerde, 1743, 4. Alph. 1.

Cel. Autor, ad amplificandam Medicinam, ornandasque meliores literas, natus, sed non ita pridem præmatura morte iisdem ereptus, eam doctissimis ingenii sui monumentis sibi nominis famam comparavit, ut, Dissertationes has, nova cura recusas, sine nostra etiam commendatione cum plausu exceptum, avideque lectum, iri, prorsus confidamus. Ut enim is vir fuit, qui omnis elegantioris doctrinæ copia se a vulgari Medicorum turba maxime distinxit; ita in his Exercitationibus utilibus Medicinæ doctrinis amœnitates quasdam historicas & philologicas tam præclare intermisceri videmus, ut earum lectio viris hujusmodi rerum cupidis & intelligentibus summam omnino voluptatem afferat. Ii vero ipsi simul dolebunt, morte ejus præmatura omnem haud dubie spem aliarum quoque Dissertationum, quas pariter novis curis recognoscere in animo habuit, intercidere. Nos interim, præsenti bono contenti, summam earum, quas hic fasciculus continet, suo ordine evolvemus. Prima, de *Athletis veterum, eorumque diæta & habitu*, sibi quondam Cel. Autor viam ad summos in Medicina honores paravit, nunc vero eandem Diss. I.

dem pauciſſimis quidem locis mutavit, bene autem multis au-
§. 1-20. xit, & illuſtravit. Initio ejus, ut fere natura rei poſtulat, multa de variis exercitationum in ludis generibus, aliisque, præmittenda putavit, quæ, ut præclare doctèque diſputentur, hic tamen, ubi ad finem principem Diſſertationis tantum reſpicitur,
21-25. copioſius repetere non licet. Quæritur autem non immerito, ad quosnam præcipue pertineant, quæ apud Græcos pariter atque Latinos ſcriptores de athletis, corporibus gymnaſticis, ſeu athleticis, aut diætæ gymnaſticæ cultoribus, commemorantur. Noſter, omnes, quoscunque habitus vel diætæ illius, quam conſiderandam ſumſit, ſtudioſos invenit, in hac tractatione cum athletis ſtricte dictis conjungendos eſſe, ratus, de gladiatoribus etiam, aut ſi quos alios Roma apud Græcos natis athletis adjecerit, aut in aliam formam transmutaverit, quædam admiſcet, ſimulque adverſus *Joubertum* diſputat, ex cujus mente ſolis pugilibus, luctatoribus, & pancratiaſtis, nomen illud remaneret, curſores autem cum ſalientibus & jaculatoribus, ex parte etiam gladiatores, excidérent, confidenterque aſſeverat, certaminum diverſitatem non illud efficere, ut idem vitæ genus non fuerit omnibus legitimis athletis, quemadmodum nec vitæ genus, corporisque habitus, per ſe ullum prohibuit a conſuetis exercitiis, quæ gymnicorum & palæſtricorum
26-28. nomine uſpiam denotantur. Quod itaque ad athletarum diætam attinet, victu utebantur antiquitus ſimpliciori, maxime
29-31. ficubus, quibus & homines & animalia *nutriendi vim* ineſſe,
32.33. veteres jam norant, caſeo recens preſſo, tritico, *ſive ex eo*
34. paratorum panum communiſſima ſpecie, qualis victus ratio illa athletarum *ξηροφαγία* eſſe videtur. Ut vero carnem eo
38.39. firmiorem alerent, ad carnium ex animalibus eſum poſtea pro-
40-42. ceſſerunt. Pauciſſimi caprina, aut bubula, carne paſti eſſe leguntur, cum proprium ipſis quaſi alimentum fuerit ſuilla, aſſa
43.44. tamen magis, quam elixa. Erant autem coacti, ut tum alia,
45. tum carnes, ad certam menſuram, quam quisque capere poſſet
47. maximam, devoraret, quæ notiſſima illa *αναγκοφαγία* eſt.
48. Quæ Coliphia athletarum fuerint, certo definiri nequit. Illud vero exploratum eſt, pane azymo nunquam eos veſci eſſe ſolitos,

Digitized by Google

litos, ſecus ac *Faber* ſibi perſuaſit. Ipſos hos cibos facetis §. 51.
ac ſcurrilibus jocis velut condire laborarunt. Potus loco 52. 53.
aquam biberunt, eamque ab exercitationibus adhuc calentes,
primo calidam, inde frigidam, tandem vinum, aqua tem-
peratum. Prandium ipſis erat frugale, cœna lautior, jentacu- 54.
lum vero nullum. Victus huius vivendique rationem facilius
tolerabant ii, quos nunc ſanguineos & phlegmaticos vocamus,
ita tamen, ut naturæ conſuetudo acceſſerit. Ut vero melius 57-70.
ferrent tam copioſum alimentum, novoque ad ſtatam horam
ingerendo idonei eſſent, frequenti clyſmatum uſu, & vomi-
tionibus tantum non quotidianis, quod excrementitium ſordi-
dumque erat, e corpore eduxerunt; qua occaſione multa de
modo veterum, excitandi vomitum, & aliis, afferuntur. Som- 73.
no utebantur multo & longo. Ne vero per ſomnium vene- 74.
reis ludibriis vexarentur, & pollutionibus nocturnis virium
magnam jacturam facerent, (nam a venere toto tempore exer-
citationum erat abſtinendum,) curioſe ab illis efficiebatur la-
minis ex plumbo renum ac lumborum regioni per noctem ap-
plicatis. Ne etiam ſub tanta voracitate in iners & inutile pon- 76.
dus excreſceret corpus, laboribus præſcriptis impediebatur.
Ante prandium nullam exercitationem ſubibant. Poſt prandi-
um, brevi interjecto tempore, quod deambulationibus in gym-
naſio conficiebant, ſe præparabant. In ipſis laboribus is in
univerſum ordo erat, ut, qui exerceri inciperet, levioribus
daret operam, & per gradus ad altiora gravioraque anniteretur. Idem in quotidianis laboribus obſervabatur, & levius primo, deinde vehementius, labore contendebant, in ſuo quisque genere, quod præſcribente magiſtratu tenendum erat, donec tempus moneret, ab exercitationibus deſiſtere, & ad cœnam venire, a qua ad ſomnum redibatur. Qui gravioribus exercitiis maxime defatigantibus volebant occupari, ne nimium extra corpus per tranſpirationem expelleretur, tam vero etiam ut fibras molliores redderent, per totum corpus inungebantur. Apotherapiæ ad demendam laſſitudinem, & impuritates e corpore educendas, primus erat gradus, ut a vehementiſſimis exercitationibus ad leniores ſenſim veniretur

Hoc satis jam facto, in gymnasiorum illam partem veniebant, ubi frictiones instituebantur. Hic ante omnia illis, qui oleo & pulvere usi prius fuerant, strigilibus, ex ferro, vel alia commoda materia, paratis, abradebantur sordes, multo jam sudore perfusæ, deinde quoque fricabantur. Cum jam satis sudor evanuisset, ungi solebant. Si quibus lavari placebat calida, id ante unctionem faciebant; deterſi vero statim unguentis
§. 80. illinebantur. Aeris ratio in gymnasiis exstruendis ad loci commoditatem fuit habita, & apud Græcos æstui frigorique ferendo assuescebant athletæ. Animi quoque affectus curæ habebant, & maxime iram compescere quavis ratione conaban-
82. tur. Quid *Rhododaphne*, a *Galeno* commemorata, significet, non eadem omnium est sententia. Nostro videtur instrumentum pœnæ fuisse, quo in illos animadvertebatur, qui vel segniores essent, vel adversus instituti leges quidquam admisissent. Nec inepte hic vitex intelligitur. Adversus *Hieronymum Mercurialem* disputatur, qui, athletas ordinem nullum, vel perpusillum, in comedendo servasse, nec temporis ullam habuisse rationem, contendit. In supplementis, nunc adjectis, potissimum habitus athletarum consideratur, in sensu scilicet medico sumtus, quo sonat aliquam dispositionem corporis humani, ad agendum & perferendum, longa exercitatione & usu per gradus & consuetudinem comparatam, inque actionibus potissimum naturalibus & voluntariis elucentem, in partibus autem tam solidis, quam fluidis, fundatam, qualis in aliis, non æque exercitatis & assuetis, haud pariter deprehenditur. Solent vero Medici etiam qualitates corporis externas, in oculos, aut tactus sensum, incurrentes, ut colorem, densitatem, &c. habitum vocare. Atque, ejusmodi habitum bonum & virilem athletica arte potissimum parari, credebant, quorum referebatur
90. color subfuscus, viva rubedine distinctus, carnium multitu-
91. do, & tori lacertique exstantes, cum odio haberent pinguedinem, inter cutem & musculos acervatam, quæ obscuraret musculorum, ad motus intensorum, elevationem. Ipsa consuetudo in voracitate & bibacitate etiam habitum valet inducere,
94. si a paryis initiis per gradus adscendatur. Singularis quoque

apparet

apparet talium corporum habitus, per consuetudinem acquisitus, quod tantam omnis generis meatuum repletionem tolerare potuerunt, & per annos perferre. A quotidiana per §. 95. 96.
vomitum & clysmata excretione inducebatur crebra, si non perpetua, ventriculum per superiorem viam exonerandi, tum & alvum subducendi, necessitas, omninoque pauci ad temperantiæ legem per tardos gradus revocabantur. Habitum quo- 97. 98.
que acquisiverunt, in maximo solis æstu & sub continuis exercitationibus non facile sudandi. Ceterum vero habitum ath- 99. 103.
leticum, si ad bonæ valetudinis normam exigatur, veteres Medici non admodum laudarunt, aut ullo habuerunt in pretio. Longe tamen gravius inde damnum capiebat respublica, 100.
quod res gymnastica plures suppeditaret cives, inutiles civitati, publico tamen sumtu alendos. Sed quorsum procederet nostra hæc enarratio, si eodem modo & reliquarum Dissertationum argumenta essemus persecuturi ? Quare earum summam breviter tantum complecti placet. Utriusque Ellebori, Diss. II.
albi & nigri, genuinam & salutarem applicationem, & magna in gravissimis desperatisque morbis beneficia, veterum Medicorum libri prædicant. Quam ob rem Noster Dissertatione secunda, *de Elleborismis veterum*, ejus medicationis inventorem, utriusque ellebori notitiam, modum ex hibendi, virtutes & usum in atrocissimis morbis, ex antiquis monumentis eruit, eo potissimum consilio, ut tam præstantis remedii usus, diu intermissus, innotesceret, ac tempestive magno cum fructu, & sine ullo periculo, revocaretur. Nunc vero ex adjecta quadam Nota apparet, Cel. Autorem prorsus mutasse sententiam suam, &, post aliquot experimenta infidæ ellebori indolis, parum elleboris tribuere, atque ab usu illorum cum ipsum abstinere, tum alios dehortari. Plane enim existimat, nobis in medicamentis, ex stibio & hydrargyro paratis, si quis recte uti illis possit, suppetere, quicquid veteres ab elleboro utroque exspectarunt, minorique tam dantis, quam accipientis, periculo hæc adhiberi. Elaterii itidem magna apud veteres fuit commendatio, cujus præstantiam Noster Dissertatione tertia extollit, Diss. III.
idque *ad magnos mortalium usus parari*, cum *Plinio* affirmat.

Pauca de cucumere asinino, ex quo conficitur, præfatus, modum, præcipue ex carne illud extrahendi, veteribus usitatum, & ab eo, qui nostra ætate ex succo fit, longe diversum, ex *Dioscoride* repetit, rationem illud exhibendi explicat, usumque illius in hydrope potissimum, tum apud veteres, tum recentiores, collaudatum, atque recentissimis aliquot observationibus confirmatum, explanat, eos autem, qui Elaterium variis de causis accusant, refellit. Dissertatio quarta *Mors in olla* inscribitur. Sæpius accidit, ut gravis error in vasorum, ad ciborum medicamentorumve vel præparationem, vel asservationem, necessariorum, delectu rite constituendo, aut eorundem tractatione, committatur, unde aliquid non sentientibus, aut suspicantibus, nobis subintret, quod gravium in corpore noxarum causa esse possit. Quomodo itaque metallicum hoc contagium in ciborum, potuum, & medicamentorum, præparatione & asservatione cavendum sit, hic indicatur.

Diss. IV.

THEORIE DE LA FIGURE DE LA TERRE, TIRE'E des Principes de l' Hydrostatique &c.

hoc est,

THEORIA FIGURÆ TELLURIS, EX PRINCIPIIS hydrostaticis eruta. Autore CLAIRAUT, *Acad. Scient. Paris. nec non Societ. Reg. Londinens. Socio.*

Parisiis, apud Durandum, *1743*, 8 *maj.*
Alph. 1. cum Schematibus, textui *insertis.*

Egregium hoc peritiæ mathematicæ insignis specimen eo majori cum voluptate perlegimus, quo dignior ipsa tractationis materia est, & quo accuratius in ea enucleanda Cl. Autorem sagaciusque versatum deprehendimus. Nolumus hoc loco totam hujus rei historiam pertexere, ac sententiarum divortia circa nobilissimam de figura globi, quem incolimus, quæstionem copiosius enarrare, quod alibi, idque non obiter, pro instituti nostri ratione fecimus. Certum nempe, atque dimensionibus, jussu Christianissimi Regis in regionibus, qua

quæ ſunt prope Polum & Æquatorem, ſuſceptis, evictum eſt, axem Telluris minorem eſſe diametro Æquatoris, idque in ratione numeri 177 ad 178 quam proxime. De obſervationibus quidem æquatoreis nondum plane certi quidquam ad nos allatum eſt; nuntiatum tamen, eas cum polaribus egregie conſpirare, imo rationem axis Terræ ad diametrum Æquatoris eam parere, quæ eſt numeri 173 ad 174. Utcunque eſt, nihil amplius dubii circa figuram Telluris ſphæroidico-latam (qualis nempe rotatione ſemi-ellipſeos circa axem minorem procreatur,) relinqui videtur. Sed quis eſt, qui non videat, hac ratione id aſſumi, quod quam maxime probandum eſt? Ultro nempe in oculos incurrit, Terræ figuram quandam regularem, & lege certa definitam, per quandam veluti πρόληψιν attribui, ad quam, actione gravitatis interveniente, natura ſeſe compoſuerit. Quod ut in hac re præcipuum tamen atque difficillimum eſt; ita maxime laudanda Viri Cl. induſtria, quam in arduo Problemate dilucidando poſuit. Cui enim non poſſit in mentem facile venire, figuram Telluris ex legibus mechanicis fortaſſe minus ordinatam reſultare, ſed talem potius, quæ ad alterum quidem Polorum depreſſior, ad alterum vero elatior, ſit, atque Meridianos habeat diſſimiles? Quo ſane caſu Tellus non rude quidem chaos indigeſtaque moles, ſed ultra omnium tamen, qua patent, legum mathematicarum limites poſita, eſſet, menſurisque omnibus, quales ad hunc diem ſuſceptæ fuerunt, nihil aliud, quam opera oleumque perderentur. Quibus cauſis adductus Autor, ex legibus Hydroſtaticis, iisdemque firmiſſimis, figuram Telluris exſtruere annititur. Certum quippe eſt, nihil erroris oriturum, ſi concipias, Terram originarie fluidam fuiſſe, &, poſtquam partes ejus ad æquilibrium ſeſe compoſuerunt, tum demum ſolidam duramque evaſiſſe. Deinceps vero maxima quoque in hoc negotio vis eſt gravitatis, cujus actione corpora ſecudum certam quandam legem ad motum urgeri, quam maxime cum ratione conjunctum, atque ex ipſa naturæ analogia, vagis quippe rerum cauſis haud ludentis, evidentiſſimum eſt. Quamobrem ante omnia de principiis generaliſſimis diſpiciendum, ex quibus

figura maſſæ cujusdam fluidæ permanens ſemper conſequitur, ſive motu vertiginis aliquo, ſive nullo, feratur, deinceps lex gravitatis in computum ducenda, ſingulas maſſæ particulas ad centrum quoddam pellentis, habita ſemper ratione conatus centrifugi, qui diſtantiis ab axe rotationis proportionalis eſt, ſi ad motum vertiginis attendatur; ex quibus tandem figuram maſſæ calculo certiſſimo elicere, vel ſaltem oſtendere, datur, legem gravitatis aſſumtam cum ſtatu maſſæ permanenti non poſſe conciliari. Si Syſtema *Carteſianum*, idque perpolitum ac recentius, admittas, atque ex vi centrifuga vorticum, Planetas ambientium, deducas conatum, quo gravia ad centrum, vel corpus, in centro locatum, urgentur, quadratis diſtantiarum reciproce proportionalem; ſi porro largiaris, vim centrifugam *ſub* Æquatore eſſe $\frac{1}{289}$ gravitatis naturalis, ſive primitivæ; hisque datis, inquiras in figuram Terræ, quæ nimirum talis eſſe debet, ut directio niſus, ex gravitate primitiva & vi centrifuga oriundi, ad ejusdem ſuperficiem ubique perpendicularis ſit; invenies, eam eſſe Sphæroides, ad Polos depreſſum, ut axis ad diametrum Æquatoris eam proportionem habeat, quæ eſt numeri 577 ad 578, qualem jam *Hugenius* in Tract. de Cauſa grav. tradidit. In Syſtemate autem *Newtoniano*, plene admiſſo, alia rerum facies cernitur. Omnes enim materiæ particulæ ſe mutuo trahunt, idque in ratione diſtantiarum reciproca duplicata; quælibet itaque particula ab omnibus aliis, pro ratione diſtantiæ & obliquitatis, plus minusve afficitur: adeoque pro figura Terræ tale inveniendum eſt Sphæroides, ut corpuſculum, *in* ea poſitum, a ſingulis particulis reliquis attractum, atque inſuper a vi centrifuga pulſum, directionem affectet ad ſuperficiem ejus perpendicularem. Quod Problema cum ſolvit *Newtonus*, in Sphæroides quoque, ſed magis depreſſum ad Polos, incidit, exiſtente nimirum proportione axis ad diametrum Æquatoris ut 230 ad 231. Porro plurimæ dantur hypotheſes gravitatis, quibuſcum ſtatus maſſæ fluidæ permanens ne conſiſtere quidem poteſt, quod egregie jam pridem Cl. *Bouguerus*, Geometra eximius, animadvertit. Quæ cum ita ſint, ultro perſpicitur, operam ſuam minime ludere, qui rem omnem

ad

ad principia ſua revocat, atque, varias de gravitate hypotheſes expendendo, quousque cum reliquis naturæ legibus, & præcipue cum experientia, conſpirent, quam fieri poteſt curate inquirit. Quo quidem labore egregie defunctum eſſe Cl. *Clairaltium*, nemo rerum peritus eſt, qui negare poſſit. Diſtinxit opuſculum totum in duas partes principes, de quibus pro inſtituti ratione paulo luculentius, ſed breviter tamen, dicendum erit. Prima tota in enucleandis hypotheſibus, ad æquilibrium maſſæ fluidæ conciliandum idoneis, inque figura Planetarum, data nimirum gravitatis lege, determinanda verſatur. Ab eo igitur orditur doctiſſimus Autor, ut principium quoddam Hydroſtatices generaliſſimum, quod amplitudine ſua reliqua omnia contineat, ſtabiliat, & univerſæ tractationi fundamenti loco ſubſternat. Ad hunc diem duobus potiſſimum principiis hac in re uſi ſunt Geometræ, quorum alterum *Newtono*, alterum *Hugenio*, acceptum eſt referendum. Nimirum, ut maſſa quædam fluida in ſtatu manenti perſeverare poſſit, ad mentem *Newtoni* opus eſt, ut gravitatio fluidi in duobus canalibus quibusvis, in centro ſeſe contingentibus, ſit æqualis: ſeu, quod eodem recidit, ut gravitatio in ſingulis hiſce, quos imaginari licet, canalibus, vel columnis fluidis, datæ ſit quantitatis. Addidit *Hugenius*, maſſæ figuram hanc requiri, ad cujus ſuperficiem directio gravitatis ubique ſit ad angulos rectos. Hiſce principiis, quæ quidem ſatis genuina videntur, aliud latiſſime patens ſubſtituit Autor, cujus reliqua non niſi poriſmata quædam cenſeri debent: omnem nempe, quem in maſſa fluidi concipere licet, canalem in ſe redeuntem, cujuscunque demum figuræ ſit, in ſtatu quietis eſſe debere, niſibus gravitationis in utramque partem æqualibus, adeoque ſe mutuo elidentibus. Quodſi, maſſam circa axem quendam rotari, ponas, acceduntque conatus particularum centrifugi, peculiari modo illud commodi accidit, ut horum quoque actiones, ad partes oppoſitas aequaliter urgendo, ſe mutuo perimant, nullaque plane eorum ratio habenda ſit, poſito nempe, canales in ſe omnes reverti. Exinde non difficulter conficitur, ut Sphæroides quoddam, circa axem rotatum,

tum, figuram perpetuo eandem conſervet, nihil aliud, quam ſtatum canalis cujuslibet, in ſe redeuntis, atque in plano Meridiani conſtituti, manentem, requiri; ſicque propoſitio generalis ad rationes & calculos magis inflectitur. His ita præſtructis, Cl. Autor ad examen hypotheſium de gravitate propius accedit, maſſamque fluidi, motu vertiginis circa axem latam, formam ſuam conſtanter retinere, oſtendit, modo lex gravitatis a ſola diſtantia a centro attractionis pendeat, nullis aliis quantitatibus admixtis, ſive unum, ſive plura ejusmodi centra, ſtatuantur. Quin etiam idem obtinet, ſi gravitas ab attractione ſolidi cujusvis, nuclei inſtar in centro locati, oriatur. Quodſi autem ex attractionibus ſingularum maſſæ partium, inter ſe combinatis, gravitas naſcatur, immane quantum difficilius de figura Sphæroidis judicari poteſt. Ipſa enim gravitatis lex a figura quæſita pendet. Interim tamen, hoc quoque caſu æquilibrium partium obtinere, ex ratiocinio Autoris non obſcure colligitur. Ponatur jam, legem gravitatis per alias quoque quantitates, præter diſtantiam a centro attractionis, dari; hiſce caſibus nunquam evenire poterit, ut maſſa fluidi ad figuram permanentem ſeſe componat, ſi vel maxime duo principia recepta, quæ antea recenſuimus, ad unam eandemque Sphæroidis figuram conſpirent. Ex quo facile colligitur, hæc non ſatis late patere, ex eorumque conſenſu figuram Sphæroidis manentem non continuo inferri poſſe. Unde forſitan nec omnia ſatis firma ſunt, quæ Cl. *Bouguerus* in eleganti ceteroquin Diſſertatione, *Commentariis Acad. Sc. Par. A. 1734 inſerta, tradidit*; & principii generationis, quale Noſter adſtruxit, neceſſitas ſponte elucet. Ex eo autem methodum univerſalem elicuit, cujus ope tuto dijudicari poteſt, an maſſa fluidi, circa axem rotata, figuram conſtantem ſervet, an ſecus, data nimirum gravitationis lege. Caſus enim priores, de quibus modo diximus, methodo quadam particulari diſcuſſit. Ad hujus methodi ſpeciem quandam effingendam ſit *EMP* quadrans meridiani Sphæroidis, circa axem *CP* revoluti, atque *CM* canaliculus quidam utcunque curvus, a centro *C* ad ſuperficiem usque pertingens; conſideretur autem ejus portio quævis *ON*, atque elementum quoddam

TAB. V Fig. 1.

dam Sr. Ex punctis O, S, s, N, M, in CP ducantur perpendiculares, ſitque $CH = x$, $HS = y$, adeoque $Sr = Hh = dx$, $sr = dy$. Reſolvatur porro vis gravitatis, ad C tendentis, in binas alteras, quarum alterius directio ſit perpendicularis ad CP, & quæ dicatur $= P$; alterius autem directio ſit parallela CP, hæcque dicatur Q. Jam ex principiis ſtaticis vulgo notum eſt, vim, ex P derivatam, in directione Ss fore $= \frac{P\,dy}{Ss}$; quare gravitatio ipſius Ss inde reſultans eſt $= \frac{P\,dy}{Ss} + Ss = P\,dy$. Simili ratiocinio invenitur gravitatio ipſius Ss potentiæ Q debita $= Q\,dx$. Quæ conjunctim efficiunt, ſumtis integralibus $\int(P\,dy + Q\,dx)$ pro gravitatione canalis ON, addita tali conſtante, quæ efficiat integrale $= 0$, poſita $x = CG$. Facta deinceps $x = CQ$, proveniet gravitatio totius canalis CM. Jam vero, per principium Autoris hydroſtaticum, quilibet canalis, in plano meridiani conſtitutus, & in ſe rediens, debet eſſe in ſtatu manenti, idque nulla ratione vis centrifugæ habita, vel, quod eodem recidit, ſumma gravitationum in aliis canalibus quibusvis inter O & N eadem obtinere debet: igitur neceſſe eſt, ut $\int(P\,dy + Q\,dx)$ poſſit inveniri absque relatione peculiari inter y & x, unde $P\,dy + Q\,dx$ debet eſſe differentiale functionis cujusdam τῶν x & y, abſolute conſideratarum, cum gravitatio a peculiari curvatura canalis ON pendere nequeat. Quotiescunque hoc obtinet, de figura Sphæroidis manente tuto pronuntiandum eſt. Æquatio autem ipſius meridiani EMP facile eruitur. Poſitis ejusdem coordinatis, $CQ = x$, $QM = y$; ſit r diſtantia, ad quam vis centrifuga eſt $= f$: erit vis centrifuga puncti $M = \frac{fy}{r}$, adeoque ſumma virium centrifugarum totius $QM = \frac{fy}{r} + \frac{1}{2}y = \frac{fy^2}{2r}$, quæ per principia ſtatica eſt æqualis ſummæ virium centrifugarum canalis CM. Gravitatio autem ejusdem inventa eſt $= \int(P\,dy + Q\,dx)$; e qua ſi dematur vis centrifuga, reſtat ejusdem gravitatio actualis $\int(P\,dy + Q\,dx) - \frac{fy^2}{2r}$,

$\frac{fy^2}{2r}$, quæ debet esse constans, cum omnium canalium inter C & M gravitatio eadem esse debeat. Unde patet, æquationem ad Curvam EMP esse, $f(Pdy + Qdx) - \frac{fy^2}{2r} = A$. Quodsi vis gravitatis non resolvatur in duas P & Q, sed in directione sua relinquatur, facile intelligitur, quid facto opus sit, nec in hac quoque re desiderari industriam suam passus est doctissimus *Clairaltius*, hacque occasione ἐναντιοφάνειαν quandam inter suam vulgaremque methodum ingeniose solvit. Quin &, methodum hanc extendi ad quotvis potentias, quæ singulas fluidi particulas secundum datas directiones sollicitant, breviter commonstrat. Hypotheses, a *Bouguerio* tractatas, quibus directiones gravitatis statuuntur ad Curvam quandam directricem perpendiculares, peculiari opera ad examen revocat, eoque casu solo æquilibrium in Sphæroide dari, evincit, cum gravitas aut constans est, aut functioni cuidam distantiæ a Curva directrice proportionalis. Cumque præter hanc de figura Planetarum quæstionem plures dentur aliæ, *quarum* solutio ad principia hydrostatica, eaque generalissima, referri debet, atque naturæ consentaneum sit, easdem leges in minima guttulæ, ac in vastissima Planetæ, massa vigere; hinc ansam arripuit Autor, rem in sensu latissimo tractandi, positis nimirum viribus quibuscunque, singulas fluidi particulas animantibus, idque secundum quasvis directiones, *quæ non sint in eodem* plano.

TAB. V Fig. 2. Sit massæ fluidæ canalis quicunque DNE inter puncta D & E, cujus elementum Nn afficiatur a potentiis quibuscunque, non in eodem plano sitis; atque canalis ipse duplicem habeat curvaturam. In plano quodam fixo, quod jam cum charta congruit, sumatur AP pro axe, atque ex N demittatur in planum perpendicularis NM, & ex M ducatur MP ad axem perpendicularis. Sint $AP = x$, $PM = y$, $MN = Z$, $Pp = Mm = dx$, $ms = dy$, $nq = dz$. Jam, omnes potentias facile, constat, ad tres revocari posse, quarum una agat parallele ipsi NM, quæ dicatur P; altera parallele ipsi MP, quæ sit $= Q$; tertia denique parallele ipsi AP, quæ sit $= R$. Per doctri-

doctrinam igitur compositionis & resolutionis virium, erit vis, ex P derivata, qua elementum Nn juxta suam ipsius directionem urgetur, $= \frac{Pdz}{Nn}$, quare gravitatio ipsius Nn exinde oriunda $= \frac{Pdz}{Nn} \times Nn = Pdz$. Similiter gravitatio ex Q oriunda erit $= Qdy$, atque ex R oriunda $= Rdx$. Unde gravitatio ipsius Nn tota erit $= Pdz + Qdy + Rdx$, cujus integrale, debitis correctionibus adhibitis, erit $=$ gravitationi totius canalis, si nempe τοῖς x, y, z, tribuantur valores, qui respondeant puncto E. Jam vero, per principium hydrostaticum, omnes canales, in se redeuntes, debent perseverare in statu manenti, hoc est, gravitatio canalis DNE debet esse æqualis gravitationi canalis cujusvis alterius, inter puncta D & E constituti. Quare integratio hujus elementi non a peculiari relatione inter x, y, & z, pendere debet; ideoque oportet $Pdx + Qdy + Rdx$ differentiale completum esse functionis cujusdam quantitatum x, y, & z. Quodsi jam æquatio desideretur pro superficie massæ fluidæ, circa AP rotatæ, accedente adhuc conatu centrifugo, hæc invenietur: $\int (Pdz + Qdy + Rdx) - \frac{f}{2r}(zz + yy) = A$, sive quantitati datæ. Tacemus jam, Cl. Autorem aliam adhuc, eadem omnia Problemata solvendi, methodum aperuisse, atque ejus specimen quoddam demonstrasse. Tacemus quoque, eundem theoriam suam, ne sterilem nimis atque evanidam subtilitatem præ se ferre videatur, ad insignem quandam in scientia naturali, atque multum agitatam, quæstionem applicuisse, ubi ὡς ἐν παρόδῳ de adscensu aquæ in tubis capillaribus acute & geometrice differit, & quæ in theoria *Juriniana* desiderari possint, demonstrare satagit. Quibus missis, de phænomenis differit, quæ in massa ex variis fluidis, quæ secum invicem permisceri nequeunt, ad æquilibrium composita, locum habent; qua quidem in re notabile est, easdem hoc casu gravitatis leges, ac si massa tota homogenea esset, observari. Tandem, primæ

diſquiſitionis ſuæ parti colophonem impoſiturus, theoriam cum obſervationibus conjungit, &, qua ratione iis, quæ circa magnitudinem graduum, & variationem penduli in diverſis locis, detecta fuere, in perveſtiganda gravitatis lege utendum ſit, commonſtrat. Quamvis autem per obſervationes in legem gravitatis inquirere, Problema indeterminatum ſit; id tamen utilitatis hæc tractatio habet, ut plurium hypotheſium cum obſervatis comparatione poſſit, ceteris excluſis, vero quam proxima elici. Ita demonſtravit Cl. Autor, rejiciendam omnino eſſe hypotheſin gravitatis primitivæ, (hoc eſt, conatu centrifugo non acciſæ,) cujus directio ad centrum Terræ vergat. Quamcunque enim ejus formulam, ſive legem, adoptaveris, ſemper incides quam proxime in proportionem 577:578, quam haberet axis Terræ ad diametrum Æquatoris, utique a proportione 177:178 remotiorem, quam ut differentia ab erroribus obſervationum arceſſi poſſit. Quo facto, in legem gravitatis, ex hac ultima proportione oriundam, curvamque ejus directricem, (ſive directionis ejus determinatricem,) diligenter inquirit, eamque formula quadam, citra errorem qui ſentiri poſſit, definire conatur. Cum vero in *ſyſtema Neutonianum* quam maxime propendeat Vir doctiſſimus, idque videatur in deliciis habere, in *ſecundam* Opuſculi partem compegit, quæcunque ad ejus illuſtrationem & perfectionem ulteriorem dicenda habuit. Quæ quidem nos breviſſime, quam licuerit, delibabimus, in recenſenda priori parte juſtos fere limites egreſſi. Jam diximus, & ſatis conſtat, *quænam* hypotheſeos *Neutonianæ* indoles ſit. Sed, quænam Planetæ figura exinde gignatur, ea quidem res eſt altiſſimæ indaginis. Aſſumſit Vir ſummus, eam eſſe Sphæroides ellipticum, vel ſaltem proxime ad illud accedere; aſſumſit, inquam, ſed nusquam probavit. Quo facto, opera non adeo difficili ex principiis ſuis definit proportionem axis Terræ ad diametrum Æquatoris, ut 229 ad 230. Sed, cum paulo liberius hoc aſſertum videretur *Clairaltio*, ipſe jam ante aliquot annos de eo firmando laboravit, conſcripta hanc in rem doctiſſima Diſſertatione, Actis Anglicis inſerta, qua effati *Neutoniani* veritatem evicit, ſed

ſed eadem, qua *Neutonus*, hypotheſi nixus, quaſi integrum Sphæroides e materia homogenea eſſet conflatum. Cum vero proportio *Neutoniana* ab obſervatis recentiſſimis diſſentiat; eo ipſo hypotheſis ſubvertitur. Quod Cl. Autorem impulit, rem denuo aggrediendi, eamque longe generalius concipiendi, ponendo videlicet, Terram conflari ex ſtratis innumeris, quorum denſitates a centro uſque ad ſuperficiem ſecundum legem quamvis varientur. Quod Problema jam anno 1738 ſolvit, in ea tamen hypotheſi, quod ſtrata omnia Curvas inter ſe ſimiles referant. Poſtea tamen rem altius ſcrutatus, ſolutionem non eſſe legitimam, deprehendit, niſi eo caſu, quo partes Terræ interiores originarie tanquam ſolidæ concipiantur. Animadvertit enim, ſi Planeta ex ſtratis fluidis, iisque heterogeneis, componi intelligatur, per conditiones æquilibrii fieri non poſſe, ut ſtrata Curvas inter ſe ſimiles exhibeant. Facta deinceps inveſtigatione, reperit, hoc quoque caſu ſtratorum Curvas eſſe ellipticas, ſed diſſimiles, ita quidem, ut, quo remotiores a centro eſſent, eo majorem proportionem diameter Æquatoris ad axem obtineret. Hæc quidem pleraque in Actis Anglicis jam exhibuit, adeoque multa exinde huc transtulit, luculentius tamen expoſita. Sed ulterius rem promovere non piguit Virum Clariſſimum, Problema generaliſſime, & in iis quoque caſibus, ſolvendo, quibus partes Planetæ conflantur originarie ex ſtratis fluidis, denſitate juxta formulam quamvis variata. Quæ cum ita ſint, nemo eſt, quin animo præcipiat, multos hic occurrere calculos, eosdemque ſubtiliſſime poſitos. Quos cum huc tranſcribere non liceat, pauca quædam, ut Cl. Autor invenit, excerpenda ſunt. In determinanda attractione Sphæroidis elliptici homogenei, miſſa generali methodo, particularem, ſed oppido pulchram, ſequitur, quam in doctiſſimo de Fluxionibus Tractatu *P. II* propoſuit *Mac Laurin*, Geometra peregregius. Ea hypotheſi, quam diximus *Neutonianam* eſſe, invenit proportionem axis Terræ ad diametrum Æquatoris, ut 230 ad 231 quam proxime; inque eadem proportione gravitas minor eſt ſub Æquatore, quam ſub Polis. Quodſi Sphæroides conſtet ex ſtratis heterogeneis, quorum utcunque

varientur tam denſitates, quam ellipticitates, (vocabulo *ellipticitatis* Autor indigitat fractionem, cujus denominator eſt axis Sphæroidis, numerator autem exceſſus diametri Æquatoris ſupra axem,) ſequentia elicuit Vir Clariſſimus: 1) poſito tempore quocunque rotationis, exceſſum gravitatis polaris ſupra gravitatem in alio loco ſemper eſſe, ut quadratum coſinus latitudinis illius loci; 2) poſita P, gravitate ad polum; Π, gravitate ad Æquatorem; δ, ellipticitate Sphæroidis; ε, ellipticitate, quam Sphæroides haberet, ſi quidem homogeneum eſſet; his poſitis, inquam, invenit, eſſe $\frac{P-\Pi}{\Pi} = 2\varepsilon - \delta$. Unde, ſi, datis reliquis, δ quæratur, erit utique $\delta = 2\varepsilon - \frac{(P-\Pi)}{\Pi}$. Ex quo conficitur, cum ε ſit $= \frac{1}{230}$, ellipticitatem Terræ ea particula accurate minorem eſſe, qua fractio $\frac{P-\Pi}{\Pi}$ excedit $\frac{1}{230}$. Jam vero per experimenta, cum *pendulis inſtituta*, $\frac{P-\Pi}{\Pi}$ major eſt ac $\frac{1}{230}$, unde ellipticitas terræ hac fractione minor erit. Quod cum effatis *Neutoni* e diametro repugnet, ex cujus ſententia, auctо gravitatis polaris ſupra æquatoriam exceſſu, augeri quoque *ellipticitas deberet; in* cauſas hujus erroris inquirit Cl. Autor, eumque deprehendiſſe *ſibi* viſus eſt. Coronidem denique operi impoſiturus, quæſtionem de figura Telluris, e ſtratis originarie fluidis compoſitæ, quantum datur, ingenioſiſſime reſolvit, factaque methodi applicatione, hoc quoque caſu invenit, axem Terræ ad diametrum Æquatoris minorem proportionem habiturum, quam 230 ad 231. Verum quidem eſt, haſce Cl. Autoris concluſiones cum experientia non ſatis videri conſpirare, cum ratio 178:177 per menſuras circumpolares inventa ſit major ratione 231:230; interim eas menſuras cum theoria in gratiam reducere attentat. Quodſi

Quodſi autem per obſervationes æquatoreas luculentiſſime evincatur, diametrum Æquatoris ad axem Terræ majorem habere proportionem, quam 231 ad 230, ingenue fatetur, non ſolum huic theoriæ ſuæ nuntium mittendum eſſe, ſed variationes quoque penduli cum longitudinibus graduum in ſyſtemate *Neutoniano* quam difficillime, nec niſi hypotheſium, parum veritatis ſpeciei habentium, ope, conciliatum iri. Si itaque verum eſt, quod ab initio diximus, idque novorum publicorum fide, per obſervationes æquatoreas prodiiſſe rationem 174:173, quæ major eſt 178:177, & multo major ratione 231:230; videat doctiſſimus *Clairaltius*, quomodo doctrinam ſuam tueri ac vindicari poſſit. Sed, qui in hiſce nimii forſan fuimus, vela vel tandem contrahimus, atque incredibili deſiderio, certo ſciendi, quid ex obſervationum æquatorearum cum polaribus comparatione vel tandem reſultaverit, nos quidem teneri, fatemur.

MANTISSA RECENSIONIS PRÆCEDENTIS.

Retulimus, a doctiſſimo *Clairaltio* inventum eſſe Canonem, cujus ope ſemper dijudicare liceat, an maſſa quædam fluidi ſit in quiete permanſura, an ſecus. In eo autem conſiſtit, ceu diximus, ut $Pdy + Qdx$ ſit differentiale functionis quantitatum x & y; vel in caſu canalis duplicis curvaturæ, ut $Pdz + Qdy + Rdx$ dein ſit differentiale functionis $\tau\tilde{\omega}\nu$ z, y, x. Cum vero non ſemper proclive ſit dignoſcere, an hæ quantitatum infinite parvarum ſummæ ſint re vera ex differentiatione cujusdam functionis ortæ; regulam adducit Vir Cl. cujus ope de eo tuto judicari poſſit, quamque dicit ſe copioſius expoſuiſſe in *Commentariis Acad. Scient. Pariſ. Anni 1740*, quos nobis quidem inſpicere nondum licuit. Videtur autem Vir Cl. ita loqui, quaſi ipſe regulam hancce primus inveniſſet; ſed in eo quidem falleretur. Interim, cum regula hæc ad inſignem artis analyticæ promotionem conducat, noſtrumque ſit, in annales hoſce referre, quicquid egregii in re literaria eruitur; eam in gratiam Lectorum noſtrorum huc transferre, ejusque demonſtrationem ſubnectere, viſum eſt.

Si itaque nosse velis, an $Pdy + Qdx$ sit functionis cujusdam τῶν x & y differentiale; necesse est, ut invenias $\frac{dP}{dx} = \frac{dQ}{dy}$, vel $\frac{dP}{dx} - \frac{dQ}{dy} = 0$, ubi in dP ponitur y, in dQ autem x constans. Si hoc evenerit, $Pdy + Qdx$ certissime erit differentiale functionis, ex x & y conflatæ.

Pariter, si sit $Pdz + Qdy + Rdx$ differentiale functionis, ex z, y, & x compositæ, oportet esse 1.°) $\frac{dP}{dy} = \frac{dQ}{dz}$; 2.°) $\frac{dP}{dx} = \frac{dR}{dz}$; 3.°) $\frac{dQ}{dx} = \frac{dR}{dy}$; ubi notandum, in quolibet differentiali quantitatum P, Q, R, eam solum indeterminatam statui variabilem, cujus differentiale denominatorem fractionis constituit.

Nituntur autem hæ regula affectione functionum *longe* nobilissima atque generalissima, quæ ita habet: Sit Z functio quælibet, ex quotvis variabilibus, z, y, x, &c. composita, ut hoc loco ex tribus: differentietur Z, posita sola z fluente, &, quod provenit, dicatur $= K$; jam differentietur K, posita sola y variabili, &, quod provenit, dicatur $= L$; tandem differentietur L, posita sola x variabili, &, quod provenit, dicatur $= M$. Dico, idem provenire, quomodocunque differentiandi ordinem permutes, (quod hic sexies fieri potest), adeoque, si v. g. primo loco capias differentiale ipsius Z posita y variabili, &, quod provenit, dicas A; deinceps capias differentiale A, posita x variabili, illudque dicas B; denique sumas differentiale B, posita z variabili, idque dicas $= C$; erit, inquam, $C = M$. Ut res exemplo illustretur, sit $Z = \sqrt{(zz + yy + xx)}$; erit $K = \frac{zdz}{\sqrt{(zz+yy+xx)}}$; porro $L = \frac{-yzdydz}{(zz+yy+xx)^{\frac{3}{2}}}$ & $M = \frac{3xyzdxdydz}{(zz+yy+xx)^{\frac{5}{2}}}$. Jam, permutato differentiandi ordine, est $A = \frac{ydy}{\sqrt{(zz+yy+xx)}}$;

$B =$

$$B = \frac{-xydxdy}{(zz+yy+xx)^{\frac{3}{2}}}; \quad C = \frac{3xyzdxdydz}{(zz+yy+xx)^{\frac{5}{2}}} = M.$$

Hanc vero proprietatem plane insignem primus, nisi fallimur, Cel. *Nicolaus Bernoullius* in *Exercitatione de Trajectoriis Orthogonalibus, Supplem. Actor. Tomo VII* inserta, aperuit, usumque ejus aliquem demonstravit, adeo, ut jure pro inventore reputandus esse videatur. Longo deinceps tempore postea profundissimi in hisce rebus ingenii Vir, Cel. *Eulerus*, in *Tomo VII Comment. Petrop.* non solum hanc proprietatem de functionibus duarum variabilium diserte demonstravit, sed ejusdem quoque usum longe amplissimum luculenter ostendit. Ad cujus imitationem demonstratio pro quotvis variabilium functionibus hunc in modum poterit exstrui: Sit Z functio trium variabilium x, y, z. Scriptis jam ordine, $x+dx$ loco x; $y+dy$ loco y; $z+dz$ loco z; transeat functio Z in valores respectivos X, Y, W. Porro, si statuantur singulæ binæ fluentes, adeoque loco x & y scribatur $x+dx$ & $y+dy$; loco y & z, $y+dy$ & $z+dz$; & loco x & z, ponatur $x+dx$ & $z+dz$; functio Z migret in valores respectivos X', Y', W'; denique si tres simul variabiles statuantur, Z mutetur in Ω. Jam perspicuum est, si in X loco y scribatur $y+dy$, X transituram in X'; idem enim est, ac si sumtum fuisset differentiale Z, positis x & y fluentibus: porro, si in X' scribatur $z+dz$ loco z, eandem transituram in Ω; idem enim est, ac si in dZ omnes variabiles re vera tanquam tales essent tractatæ. Pariter judicandum de Y & W; nempe, scripto $z+dz$ loco z, Y migrabit in Y'; scripto autem in Y', $x+dx$ loco x, Y' migrabit in Ω. Ita, si in W ponatur $x+dx$ loco x, fiat illa W'; quæ iterum scripto $y+dy$ loco y, transit in Ω. Jam sit, ut supra $K=dZ$, posita sola z variabili. Ex natura differentiationis est $K=W-Z$, jam, si differentietur K, posita y variabili, scribendum est $y+dy$ loco y in W & Z, quo facto, W transit in Y', & Z in Y. Unde colligitur, posita y variabili, $dK = Y'-Y+Z-W$, quod supra diximus $= L$, jam, si capiatur dL, posita x variabili, Y' migrat in Ω, Y in X', Z in X, at-

que W in W'. Ergo $dL = \Omega - X' + X - W' - Y' + Y - Z + W = M$. Invertatur jam differentiandi ordo, ſitque, ut ſupra, $A = dZ$, poſita y variabili; erit utique $A = Y - Z$. Sit jam $dA = B$, poſita x variabili; quia hoc caſu Y migrat in X' & Z in X, erit $B = X' - X + Z - Y$. Jam ſumatur $dB = C$, poſita z variabili: quia hoc caſu X' tranſit in Ω, X in W', Z in W, atque Y in Y'; erit $C = \Omega - W' + W - Y' - X' + X - Z + Y$, quod plane eſt $= M$. Pari modo in reliquis variationibus procedet demonſtratio.

Hinc jam facile eſt Canones *Clairaltianos* elicere. Sit itaque $P\,dy + Q\,dx = dZ$, hoc eſt = differentiali functionis τῶν x & y. Poſita y conſtante, eſt $dZ = Q\,dx$; jam, ſi $Q\,dx$ iterum differentietur, poſita x & dx manente, proveniet $d\,Q\,dx$. Ponatur jam ab initio x conſtans, eritque $dZ = P\,dy$; differentietur $P\,dy$, poſitis y & dy manentibus, fit $d\,P\,dy$. Quod per demonſtrationem præcedentem debet eſſe $= d\,Q\,dx$. Unde $d\,P\,dy = d\,Q\,dx$, atque $\frac{dP}{dx} - \frac{dQ}{dy} = 0$. qui primus Viri Cl. Canon eſt.

Sit jam $dZ = P\,dz + Q\,dy + R\,dx$, exiſtente Z functione τῶν z, y, x. fiat 1.°) z conſtans, erit $dZ = Q\,dy + R\,dx$, adeoque hæc tractanda eſt inſtar functionis τῶν y & x. Oportet itaque per caſum præcedentem, ut ſit $\frac{dQ}{dx} = \frac{dR}{dy}$, ſive $\frac{dQ}{dx} - \frac{dR}{dy} = 0$. Ponatur 2.°) y conſtans, eritque $dZ = P\,dz + R\,dx$, atque per eandem rationem $\frac{dP}{dx} - \frac{dR}{dz} = 0$. 3.°) Fiat x conſtans, eritque $dZ = P\,dz + Q\,dy$, adeoque $\frac{dP}{dy} = \frac{dQ}{dz}$, ſive $\frac{dP}{dy} - \frac{dQ}{dz} = 0$. quæ ipſiſſimæ Viri doctiſſimi regulæ ſunt. Poteſt res quoque hunc in modum proponi: Si ſit $dZ = P\,dz + Q\,dy + R\,dx$, ſtatuatur una ſolum indeterminatarum, veluti z, fluens, eritque $dZ = P\,dz$.

Digitized by Google

Pdz. Jam differentietur Pdz, posita y fluente, atque z & dz constantibus, proveniatque $dPdz = Adydz$; hujus tandem differentiale sumatur, posita sola x fluente, emergatque $dAdydz = Bdxdydz$. Inverso jam differentiandi ordine, fluat primo sola y, sitque $dZ = Qdy$; differentietur Qdy, fluente sola x, prodeatque $dQdy = Edxdy$: hocque iterum differentietur fluente z, inveniaturque $dEdxdy = Fdzdxdy$; oportet ergo per naturam functionum, ut sit $F = B$. Quod nisi ita se habere comperiatur, æquatio $dZ = Pdz + Qdy + Rdx$, impossibilis & imaginaria erit.

DE' CALCOLI DIFFERENZIALE, E INTEGRALE, Memorie analitiche, &c.

hoc est,

DE CALCULO DIFFERENTIALI ET INTEgrali Commentarii analytici DOMINICI CORRADI AUSTRIACI, Patricii Mutinensis, in exercitu Serenissimi Ducis Mutinensis apparatus bellici Commissarii generalis, & legioni balistariorum præfecti; dicati Illustrissimæ Comiti CLÆLIÆ GRILLÆ BORROMEÆ.

Mutinæ, typis Francisci Torri, 1743, 4.

Plag. 16, Tab. æn. 1.

Hic liber, quem jam in manibus habemus, prima pars est ejus operis, quod titulus, hic appositus, promittit. In ea parte Autor solum differentialem calculum attigit. Non equidem perfectam & absolutam ejus tractationem pollicetur; ea enim ætate se jam esse dicit, ut, Commentariis suis de utroque calculo, quos olim horis subsecivis composuit, perfecti operis formam a se conciliari posse, vix sperare sibi liceat; tamen hos ipsos Commentarios emittere non dubitavit, propterea, quod, eos cum tironibus, ut utrumque calculum facilius discant, tum iis, qui certitudinem ejus in dubium vocant, ut omnes scrupuli ipsorum animis eximantur, perutiles fore, per-

Mark Twain, Bret Harte, Joaquin Miller, Ambrose Bierce, Frank Norris, Jack London, Gertrude Atherton, Robert Louis Stevenson, Edwin Markham, Charles Warren Stoddard, Ina Coolbrith, Josiah Royce, Charles Keeler

esse posse absolute infinite parva, cum hoc sensu necesse esset, ea semper inter se æqualia esse. Igitur respective tantum esse infinite parva, quatenus e. g. dy ad suam variabilem y relatum minima quantitas sit, qua y determinati nunc valoris crescere, vel decrescere, possit, ut valor ejus contiguus obtineatur. Ceterum dx esse partem veram, absolutam & existentem variabilis $x + dx$, non primam nascentis incrementi quantitatem, sed vere jam natum incrementum. Ex his autem evidens esse, quomodo differentialia secundi, vel altioris, gradus possibilia sint, item hoc, quod dx sit vera fractio unitate minor. Quod quidem posterius Autor sic demonstrare enisus est. Quia, inquit, dx est minima quantitas, respectu habito ad x: erit $\frac{x}{dx} = q$ maxima quantitatum, quæ haberi possunt ex aliis divisionibus quantitatis x per alias, a dx diversas, quantitates; itaque, cum etiam sit $q > x$, erit $\frac{x}{q} = dx$ fractio unitate minor. (In qua demonstratione aut non recte mentem Autoris perspeximus, aut dicendum nobis est, id, quod demonstrandum erat, tacite sumi, scilicet esse $dx < 1$; unde enim alioquin constaret, esse $q > x$?) Ex his denique omnibus, veram nunc tandem, & a nemine antea ostensam, rationem patere, arbitratur, cur differentialia hujusmodi, ut dx^m, $dy\,dx$, cum differentialibus dx, dy composita, pro nullis habenda, & prorsus delenda, sint; scilicet cum ipsis dy vel dx minora sint, quantitates autem ipsis dx vel dy minores nec dari, nec intelligi, possint. Atque hæc quidem est illa, quam sibi Autor effinxit, theoria de natura differentialium, cui exponendæ aliquantum debuimus immorari, quoniam in ea modus, regulas calculi differentialis demonstrandi, ab Autore adhibitus, fundatur, ad quem in hoc libro legendo ut potissimum respiciant lectores, ipse voluit. Quid autem hæc theoria facere possit ad aliquem convincendum, qui de certitudine calculi differentialis dubitat, lectores, harum rerum periti, ex iis, quæ hactenus enarravimus, facile judicabunt. Nobis quidem in ista theoria, ut alia prætereamus, quæ contra eam moneri possunt, hæc

duo maxime videntur ἀσύγκατα, esse elementum dx omni assignabili quantitate minus, & tamen ipsi x, quantitati finitæ, comparabile esse, ita, ut eam augeat additum, ideoque verum sit ejus incrementum, jam factum & natum. Qui autem inter differentialia & incrementa quantitatum variabilium nullum discrimen statuit, is in removendis iis scrupulis, quos nonnulli in calculo differentiali offendunt, frustra laborare videtur. In *tertia Sectione*, quæ in *quatuor Capita* divisa est, ostendit Autor modos, quibus differentialia quantitatum variabilium inveniuntur; & in *primo* quidem *Capite* de inventione differentialium per solum calculum exponit, in *secundo* magnitudinum, quas Geometria considerat, differentialia tractat. Quoniam hæc pars calculi differentialis maxime in dubitationem fuit adducta, dabimus ex hoc *Capite* aliquot specimina demonstrationum, quibus Autor theoremata, eo spectantia, confirmare & evincere contendit. Constat, elementum curvæ, ad axem relatæ, exprimi per $\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$, designantibus x abscissam, y ordinatam; quod recte fieri, propterea affirmat Autor, quia elementum curvæ cum parte tangentis infinite parva coincidat. Quod ostensurus, his argumentis utitur. *Si negas, elementum curvæ* Bb *in tangentem in* B *incidere*; erit ordinatæ bc per punctum b ipsi B infinite propinquum ductæ pars quædam fb inter tangentem & curvam intercepta. Jam, si ducatur per B axi AC parallela Bg, & per ejus punctum b quodvis ordinatis parallela bl tangenti occurrens in l, denique ex puncto i medio rectæ bl per B agatur recta, *hæc rectam* bc *secabit*, secundum Autorem, inter b & g. Si enim iB, inquit, *inter* b & f, vel in ipso puncto b, rectam bc secaret, subtenderet ea arcum curvæ, ipso elemento Bb minorem, vel illi saltem æqualem, &, cum propterea in hoc arcu Bb plura puncta forent, punctum b non foret ipsi B infinite propinquum, id est, adeo propinquum, ut aliud propius concipi nequeat, contra hypothesin. Igitur, cum pro demonstrato habeat, punctum a, in quo iB ordinatæ occurrit, cadere inter b & g, ideoque fb minorem esse, quam fa vel ag, & ergo etiam minorem, quam bg, vel dy; hoc autem absurdum pronuntiaverit in præcedentibus, dari

Digitized by Google

dari aliquam quantitatem elemento dy minorem; congruentiam elementi curvæ cum tangente evictam esse opinatur. En aliud demonstrationum Autoris exemplum. Elementum solidi conoidis, rotatione figuræ ABC circa axem AC orti, (posita ratione peripheriæ ad radium circuli $= p:r$) dicitur esse $= py^2\,dx : 2r$, seu, ut Autor illud exprimit, $= aydx:r$, intelligendo per $r:a$ (ipsis ejus verbis utimur) rationem radii ad aream circuli. Hoc verum esse, demonstraturus, considerat elementum conoidis tanquam conum truncatum. Jam coni, inquit, truncati soliditas habetur altitudine ejus Cc ducta in circulum, qui sectio est per medium punctum $\mathcal{J}$ axis Cc ad basin parallela; qui circulus cum, ob $\mathcal{J}L = y + \frac{1}{2}dy$, sit $= (2ay + ady) : 2r$, erit elementum conoidis $(2ay + ady)\,dx : 2r$: sed, quoniam & $\frac{1}{2}dy$, & $ady\,dx : 2r$ quantitas impossibilis est, invenitur illud elementum $= aydx : 2r$. In *tertio Capite* Autor de Logistica & differentialibus logarithmicis exponit; & in *quarto* regulas calculi exponentialis tradit. Huic *Capiti* adjunxit appendicem satis longam, in qua sibi potissimum proposuit modum docere, quo æquationes, in quibus quantitates logarithmicæ insunt, construi debeant, &, quoniam huc inprimis facit reductio ejusmodi æquationum ad alias, quæ non nisi consuetas algebraicas quantitates complectantur, exposuit mox sub initium hujus appendicis notam elegantemque illam methodum, tollendi quantitates logarithmicas, quæ jubet in æquationem introduci numerum, cujus logarithmus unitati æqualis sit. Sed, hanc methodum postquam explicavit, insufficientem eam pronuntiat, quin & talem, quæ nonnunquam ad errores seducat. Ut lectores intelligant, quibus argumentis Autor gravem hanc accusationem sufflulciat, sententiam ejus in eodem, quo ipse usus est, exemplo breviter declarare studebimus. Si in hyperbola æquilatera inter asymptotos desideratur trapezium hyperbolicum, quod ordinatæ, quæ lateri potentiæ æqualis est, adjaceat, & dato spatio cc æquale sit; dicta potentia hyperbolæ aa, abscissa a centro x, deducitur problema ad hanc æquationem $aa\int \frac{dx}{x} = cc$, seu $cc = aaL\frac{x}{a}$. Nunc, introdu-

cto

cto numero n, cujus logarithmus ſit $= 1$, tolluntur expreſſiones logarithmicæ, & fit $n^{cc} = x^{nn} : a^{nn}$, ideoque $x = n^{cc:nn} a$. Hanc ergo ſolutionem veræ ſolutionis ſpeciem tantum habere dicit Autor; ea enim indeterminatum relinqui, ex quonam ſyſtemate logarithmico ſumendus ſit ille numerus, cujus logarithmus unitati æqualis eſſe debet; & hinc, cum in diverſis ſyſtematibus diverſi deprehendantur numeri, quorum logarithmi unitati æquantur, eadem iſta ſolutione poſſe nos ad errores ſeduci, ſi ex quolibet ſyſtemate, veluti *Briggiano*, illum numerum n excerpamus. Mirum eſt, Virum, qui in ſtudio analyſeos mathematicæ conſenuit, & de augenda amplificandaque hac arte, ſummorumque artificum methodis corrigendis, adeo ſollicitus eſt, ignoraſſe, aut ſaltem ad animum non revocaſſe, prima theoriæ logarithmorum elementa, quæ docent, eum logarithmum rationis x ad a, qui per $\int \frac{dx}{x}$ exprimitur, eſſe ex ſyſtemate logarithmorum naturali. Quod ſi conſideraſſet, vidiſſet ſane, ex eodem ſyſtemate petendum eſſe numerum n, cujus logarithmus unitati æquetur. Sed ad hæc animum non advertens, & perſuaſus, cuilibet problemati, in cujus ſolutione ad quantitates logarithmicas pervenitur, peculiarem quandam logarithmicam competere, per quam illud perfecte ſolvi poſſit, multus eſt in docendo, qua ratione invenienda ſit, auxilio canonis logarithmici *Briggiani*, ſubtangens ejus logiſticæ, quæ dato cuidam problemati conveniat. Methodo ad hanc rem utitur ſatis quidem operoſa, neque tamen ſatis exacta. Nam e. g. ſubtangentem ejus logiſticæ, quæ *Briggii* logarithmis reſpondet, methodo iſta invenit $= 4341000$; cum tamen e veriori logarithmorum theoria conſtet, numerum, qui illam ſubtangentam exponat, ſeu modulum ſyſtematis *Briggiani*, eſſe 0, 43429 &c. Poſtquam hoc argumentum copioſe pertractavit, maximam, quæ reliqua eſt, hujus appendicis partem impendit in id, ut lectori perſuadeat, falſo huc uſque Geometras docuiſſe, aſymptotos hyperbolæ eſſe infinitas longitudine, & hyperbolam *Apollonianam* cum aſymptotis ſuis ſpatium infinitum comprehendere. Non negat ipſe, adeo paradoxam eſſe hanc ſuam ſenten-

ſententiam, ut verendum ſibi ſit, ne a viris doctis cum indignatione aliqua excipiatur. Sed hos rogatos cupit, ut hæc duo tantum argumenta penſitare dignentur, quibus ſuam ſententiam defendi poſſe perſuaſus eſt. Primum eſt, quod, cum in hyperbola inter aſymptotos ſemper & ubique ſubſiſtere debeat hæc æquatio $xy = aa$, ordinata y nunquam evaneſcere poſſit, quo ipſo ſpatium conſtans aa in nihilum redigeretur. Quæ huic argumento vis inſit finitam aſymptotorum longitudinem probandi, nos hebetiores ſumus, quam ut videre poſſimus. Alterum argumentum, quo Autor probare enititur, finitam eſſe aream hyperbolæ, huc redit: Si ſpatium inter hyperbolam & aſymptotos infinitum eſſet, foret etiam ex altera parte infinita area, quæ adjacet abſciſſæ minori unitate; jam, cum hujus areæ elementum ſit $aa\,dx : x$, ideoque ipſa illa area $= aa\,Lx$, hæc autem quantitas evaneſcat, poſita $x = 1$, ſequeretur hoc abſurdum, aream illam infinitam, quamprimum abſciſſa x creſcendo facta fuerit unitas, ſubito evaneſcere & nullam fieri. Itaque, quod mirum eſt dictu, ignorare potuit tantus analyſeos infinitorum magiſter, formulam $aa\,Lx$, ſi $x < 1$, non exponere aream, hyperbolæ aſymptoto & abſciſſæ a centro x adjacentem, ſed trapezium hyperbolicum adjacens differentiæ inter abſciſſam x & eam, per quam unitas exponitur. Hæc ignoratio cauſa eſt etiam alius erroris, quem Noſter ſub finem hujus appendicis ſtabilire contendit, affirmans, ſummam ſeriei infinitæ harmonicæ non ſolum non infinitam eſſe, ſed multis numeris finitis & aſſignabilibus multo minorem. Duæ adhuc in hoc libro reliquæ ſunt *Sectiones*, *quarta* & *quinta*, quarum illa, de variis theoriis, quæ per ſolum calculum differentialem obtineri poſſunt, hæc de differentialibus ſuperiorum graduum, inſcripta eſt. In illa Autor tantum de determinatione ſubtangentium & ſubnormalium in curvis loquitur, quod ad cetera huc pertinentia argumenta attinet, lectores ad alios Autores ablegat. Ambæ *Sectiones* breviſſimæ ſunt, & unica plagula continentur. Ceterum non poſſumus non accuſare typographi incuriam, qua factum eſt, ut hoc opuſculum erroribus operarum ſcateat. Sed hic filum noſtrum abrumpimus, &, quæ de hoc libro hactenus

enarravimus, ſufficere putamus, ut Lectores intelligant, utrum hoc opuſculum tironibus ſit commendandum, & quæ de altera ejus parte, quam Commentarii in calculum integralem abſolvent, ſpes ſit animo concipienda.

JOANNIS ANTONII VULPII LIBER DE Satyræ Latinæ natura & ratione, ejusque ſcriptoribus, qui ſuperſunt, Horatio, Perſio, Juvenale; ubi eorum virtutes & vitia æqua lance perpenduntur; tempora Juvenalis, contra veterum & recentiorum errores, accurate notantur & ſtabiliuntur; item ejusdem VULPII Paraphraſis perpetua, & Commentarius uberrimus in X Satyram Juvenalis.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1744, 8.
Alph. 1 plag. 4.

Cap. 1 pag. 1. Unde Satyra nomen traxerit, duæ ſunt ſententiæ potiores, de quibus *Diomedes*, Grammaticus, atque alii. Altera derivat a ſatyris, altera a ſatura lance. Eſt omnino ſatyra *Latinorum* ſatyrico poemati & ſillis Græcorum quodammodo affinis. Licet enim δρᾶμα non fuerit, σκώμματα tamen habet permulta, quorum & veſtigia deprehendimus in *Euripidis* Cyclope. Eſt vero etiam, ut *Juvenalis Sat. I v. 85* appellat, *farrago*; neque vituperat ſolum, ſed interdum etiam laudat. Plurimum autem diſcrepat ſatyra illa vetus atque incondita, qua *Romani ante Livium Andronicum* utebantur, a nova, ſive *Luciliana*. Priſco tempore poema erat rude atque extemporale, quod acciti ab Hetruria ludiones paululum emendarunt. *Andronicus* exſtitit primus, a ludicris qui ad argumenta fabularum animos ſpectantium transtulerit. Vid. *Livius Lib. VII* & *Valerius Max. Lib. II, 4.* Porro, cum ludus paulatim in artem vertiſſet, Romana juventus hiſtrionibus fabellarum actum reliquit, ipſaque, ab antiqua conſuetudine non diſcedens, ridicula intexta verſibus jactitare cœpit; quæ poſtea dicta ſunt *exodia*. Inſerebantur vero in fabulas præſertim Antellanas. Hoc genus ludorum, ab Oſcis acceptum,

ceptum, juventus Romana ſibi proprium fecit, neque ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Satyram vero novam, ſeu *Lucilianam*, Noſter verbis *Dan. Heinſii Lib. I de Satyra Horatiana* definit, eandemque deſcriptionem pinguiore primum Minerva, poſtea etiam diſtinctius, exponit. Pertinet autem hoc poematis ge- Cap. 2
nus ad partem Philoſophiæ, quæ purgat & caſtigat. Morum pag. 14.
purgationis tres erant ſpecies apud antiquos, *Pythagorea*, *Socratica*, *Stoica*; quas & ſatyræ imitabantur. *Pythagorea*, mitior ac lenior, nonnihil indulgere vitiis videbatur; *Socratica* lenitatis plurimum atque urbanitatis continebat. Vitiis enim tollendis, quod vitio affine ac ſimillimum eſt, interdum commendabat. *Socrates* v. g. ut noxium amorem ex animis adoleſcentum evelleret, ſe quoque amatorem profitebatur. Id minus cum animadverterent nonnulli, infandum παιδεραστίας crimen homini optimo impoſuerunt. Huic oppoſita erat *Stoica*, quam *Perſius* probavit, ſeveris quippe & auſteris moribus ex diſciplina *Cornuti*, Stoici, hauſtis. Priores ſequitur *Horatius* etiam in libello de Poetica, quem oſcitantes homines perperam inſcripſerunt artem, cum cenſura ſit potius, quam ars; quem ad modum in ſecundo Alcibiade *Platonis* non tam oſtenditur, quid requiratur ad recte precandum, quam improbarum & noxiarum precationum exempla proferuntur, quod Satyrici maxime proprium eſt. Sunt autem materia ſatyræ vitia humana, non ferina, quippe quæ potius abominari, quam ridere, debemus. Eodem ignorantia ſpectat cum erroribus, quatenus hu- Cap. 3
manis accenſeri vitiis poſſunt. Reprehenſio autem ſingulorum pag. 26.
propria eſſe ſatyræ ſolet, unde *Perſius* tanquam Φιλοκάθολος ab *Heinſio* notatus. Genus dicendi eſt vel dramaticum, vel ſimplex, vel mixtum. Convenit autem ſatyræ ſermo humilis Cap. 4
ac familiaris, qualis *Horatii*, quem raro adhibuit *Juvenalis*, Autor pag. 37.
ceteroqui egregius, vel quoniam Satyrorum argumenta elegit copioſa & magnifica, adeo ut ſatyræ modum excedant, vel propter declamandi uſum, cui ab adoleſcentia innutritus fuerat. *Perſii* porro liber altius etiam aſſurgit, quam ſcripta *Juvenalis*, ac nonnunquam poeticæ orationis fines excedit. Ita & *Horatius* ſæpe dicax, raro acer, atque urbanitatem ſibi pro-

priam habet. Non ergo ſolum odium atque indignatio, ſed riſus æque, a Satyricis excitantur. Certe, qui *Naſidienum Horatii* legit, a riſu temperare non poteſt; quippe in qua comœdiam expreſſit antiquam, ubi duas μεθόδους Critici agnoſcunt, alteram amari, alteram ridiculi. Utinam exſtarent, quæ de hoc argumento ſummus Philoſophus & Rhetor *Ariſtoteles* monumentis literarum mandarat. Exſtant tamen exempla, quorum non pauca collegit *Vavaſſor*. Inprimis autem laus eſt *Ariſtophanis* & *Horatii* præcipua, quod ſalſi ſint ac feſtive mordaces, neque ſtilo confodiant, ſed leviter pungant. Neque diſſimulat Noſter, ejus etiam formæ originem ultimam *Homerum* eſſe, Poetarum parentem ac principem. Urbanitas enim & dicacitas in *Homeri* carminibus paſſim occurrit. Cum *Diomedes*, quo potiſſimum exemplo utitur, ingens *Veneri* vulnus inflixiſſet, *Minerva* cavillata in eam lepidiſſime jocatur; ſiquidem ait Græcæ mulieris fibula, inter demulcendum id factum. Jocus porro venuſtior accidit, quoniam *Venus* Trojanis favebat, Græcosque omnes impenſe oderat. Idcirco recte *Ariſtoteles* exiſtimavit, in *Homeri* mente prope divina ſcriptorum omnium ἰδέας καὶ χαρακτῆρας delituiſſe; quos paulatim poſteri expreſſerunt, cum ex illo ſemina ſumſiſſent. Sæpius etiam in *Platone*, accurato veteris comœdiæ lectore, eadem ſe forma prodit. *Menippus* quoque, canis & ipſe appellatus, qui ſectam *Diogenis* profeſſus eſt, ſatyricis ſcriptis inclaruit, quæ omnia, præter pauca fragmenta, intereiderunt. Apud Latinos *M. Terentius Varro Menippi dicacitatem* expreſſit; ejusdem etiam ex fontibus *Horatium* hauſiſſe non pau-
Pag. 49. ca, putat *Dan. Heinſius*. His peroratis, *Capite V* agitur de ſatyrico dramate Græcorum, quod nomen accepit a ſatyris, & tanquam ludicrum aliquid poſt tragœdias exhibebatur. Initio erat μονοπρόσωπος, unam ſcilicet perſonam admittens ſatyrum, qui σικίννιδα ſaltaret; mox plures prodibant hiſtriones, ſermone uſi laſcivo & procaci, quique in periculum adduceret Autores. Differebant ab eo Silli, maledicum poema, quorum ſcriptores ſunt *Timon Phliaſius*, *Demetrius Chalcenterus*, atque alii,
61. quo & pertinent ἰαμβογράφοι *Archilochus* & *Hipponax*. Sequitur

quitur *Cap. VI* ſatyra media Romanorum, ſeu *Varroniana*, quæ ab *Ennio* prius & *Pacuvio* exculta eſt. Hujus originem repetit *Voſſius* a Sabinis, qui, regnante *Romulo*, in urbem recepti ſunt, & altius etiam a Laconibus, quorum illi coloni fuerunt. Huic ſuccedit *Capite VII* tractatio de ſatyræ *Lucilianæ* ſcriptore, *Juvenale*, cujus in prænomen, nomen, cognomen, accurate inquiritur. *Juvenalis* idem fere ſignificat, quod *juvenilis*; ac fuit is forte liberti locupletis vel filius, vel alumnus; patriam autem habuit Aquinium, ſeu Aquinum. Satis omnino locuples fuit, quod ad Satyricum requirit Noſter, cum ſatyra ſcribenda patrimonium ſæpe imminuatur, nunquam amplificetur. Idem argumentum continuatur *Capite* ſequenti, ubi præſertim indicatur, quod illius ſatyræ non niſi *Domitiano* occiſo compoſitæ fuerint, quod *Henricus Dodwellus* novo argumento demonſtrare laboravit, a *Marii Priſci*, Africæ Proconſulis, temporibus petito. Conſtat etiam, *Juvenalem* Romæ fuiſſe tempore *Trajani*; unde relegatio illius in Ægyptum non fieri potuit *Domitiano* regnante. Ablegavit huc autem illum valde ſenem *Hadrianus* Imperator. *Capite IX* argumenta ſatyrarum *Juvenalis* percenſentur, ac notæ quædam ſingulis pæne appoſitæ, unde cognoſci poſſit, eas, interfecto *Domitiano*, conſcriptas fuiſſe, una cum verſionibus. Inter recentiores, præter antiqua ſcholia, explanatores, multi ſunt magni nominis ac meriti viri, quorum labores cum ſuis in præſtantiſſima omnium editione collegit *Henricus Chriſtianus Henninius*. Gallico ſermone verterunt *Quercetanus*, *Morolleſius*, *Tarteronus*, *Silvecanus*; ſoluta oratione alii, verſibus alii. Μετάφρασιν Italicis hendecaſyllabis ἐμοιστελεύτοις olim dedit *Georgius Summaripa*, ſed impoſitam & pæne barbaram. Deinde longo poſt tempore elegantiorem concinnavit *Fridericus Nornius Aretinus*. Poſtremo *Camillus Silveſtrius Rhodiginus* anno Seculi hujus duodecimo luculentam *Juvenalis* editionem protulit, cujus Poetæ Satyras omnes Italicis verſibus interpretatus eſt, notasque appoſuit, ſingulari eruditione plenas, ex antiquis præcipue lapidibus depromtas, ſed μετάφρασις poterat multo elegantius & ſubtiliſius adornari. De virtutibus & vitiis Satyrarum *Juvenalis*

Pag. 66.

75.

92.

Pag. 104. verba fiunt *Cap. X.* Atque ita quidem, ut prius confirmetur, *Lucilium* in ſatyra exilem fuiſſe ac lutulentum, *Franciſcum* tamen *Douſam* illius fragmenta præclarius illuſtraſſe, *Horatii* vero ſatyram inter *Lucilii* & *Juvenalis* mediam eſſe. Hujus verſus, exiſtimat Noſter, *Horatianis* eſſe rotundiores, qua occaſione *Julii Scaligeri* de ipſo judicium examinatur ac rejicitur. Sententias porro *Juvenalis* laudat; neque minus principatum vindicat *Flacco*, cum hujus quidem verſus ſint duriores, attamen ſatyræ convenientiores, quippe ubi *φράσις* ſubobſcura præſtet apertæ, unde & a *Scaligeri* cenſura defenditur *Horatius*, cujus præterea morbos animi curandi ratio miraque urbanitas prædicantur, cum contra *Juvenalis* Poeta ſit iracundus, unde & ita comparatæ mentes *Juvenale* magis, quam *Horatio*, dele-
120. ctentur. Sed ſingulari deinceps *Capite Horatii*, *Perſii*, ac *Juvenalis*, comparatio inſtituitur. *Perſii* Satyræ plenæ ſunt Stoicorum præceptis ac decretis; loquendi libertas in *Juvenale* mirifica, *Flaccus* tandem, quem *Perſius*, in ſatyris callidus & ſapiens, imitatur, Academicorum, & fortaſſe Pyrrhoniorum, nationem in Philoſophia ſecutus, non habuit obſcuritatem generis impedimento, quo minus præclara ſcriberet, atque *omnis*, ſatyras proponendi, modi dedit exempla, & παραινετικὴν eſt Philoſophiam complexus. Ceterum hujus erant mores fœdi, iſtius minus comperti, illius autem integri, ac virtutem præfe-
139. rentes. Poſtremo tandem *Capite* orationis genus, dicendi characterem, jocos, numeros, vitia, eorundem triumvirorum conferre laborat *Vulpius*. Ita vero latinitas *Horatii germana*, &, quæ latinitatem comitantur, virtutes; *Perſius* in ſcribendo celer, ſeverus, truculentus: *Juvenalis* magnificus, vehemens, copioſus. Figuris utitur *Flaccus* jucundis & venuſtis; *Juvenalis* gravibus & impetum facientibus; ita ut aulicum in illo, hominem in hoc forenſem, facile agnoſcas. Apud *Perſium* loco figurarum eſt inſignis morum alienorum imitatio & evidentia, quæ lectoris animum incredibiliter delectat ac docet. Sed parum aptus eſt ad jocandum, quæ ratio ſatyras decet, atque apud *Horatium* eſt inſignis; qui & numerum lyricum & heroicum in ſatyris de induſtria vitavit. *Perſii* porro hexametri ſonori

ac

ac temperati; *Juvenalis* compoſiti, expoliti, ſuaves. Obſcenitas contra, obſcuritas, declamatorius tumor, tria ſunt vitia Satyricorum, qui & vitia docere videntur non raro, dum caſtigant. Quod tamen peccatum adoleſcentibus detrimento non fore arbitratur Vir eruditiſſimus, ſi loca nequiora intacta præterierint, quæ magis nocere poſſint, quam prodeſſe; honeſtiores vero ſatyras ita legere meminerint, ut, ſi qua incidant ejus furfuris, ea ſtatim abjiciant, ut cautos & pudicos decet, neque curioſi eſſe voluerint in re minimi pretii. Quod quidem qui ab adoleſcente, totum ejusmodi Poetam manibus verſante, poſtulaverit, tales ſibi fingere, nobis judicibus, videntur, qui & legentes facile maneant intacti. Ubi autem ſunt iſti? Æquius igitur illorum conatum laudamus, qui omnino removenda curant, quæ nocent, ac potius optimum quodque ſingulorum generum, ac moribus ſimul conveniens, colligunt ſeorſim atque excerpunt. Obſcuritas inprimis objicitur *Perſio*, quæ opinio tralatitia originem potius duxit a deliciis & inſcitia lectorum quam a culpa ipſius Poetæ; præſertim ubi ſine dictionis tropicæ magnificentia diſtinctius cognita, & ſine antiquitatis notitia, illius ad lectionem accingamur; qua occaſione *Iſaaci Caſauboni* in *Perſium* Commentarius inprimis laudatur, quantique huncce Poetam fecerint antiqui, oſtenditur. Quæ huc uſque veluti transcurrentes annotavimus, introductionis tantum loco eſſe videntur in Paraphraſin perpetuam & uberrimum Commentarium in decimam Satyram *Juvenalis*, majorem operis partem conſtituentem. Digna eſſent & hic multa, quæ excerperemus; ne tamen inſtituti fines tranſiliamus, filum potius abſcindimus, præſertim cum ſpecialius ſit illud argumentum.

HERMANNI FRIDERICI TEICHMEIERI, Phil. & Med. Doct. Anatom. Chir. & Botan. P. P. in Academia Jenenſi, &c. Inſtitutiones Medicinæ pathologicæ & practicæ, in uſum Auditorum conſcriptæ.

Jenæ, impenſis Jo. Adam Melchioris, 1741, 4. Alph. 2 plag. 14.

Qui

Qui plerasque doctrinæ medicæ partes in auditorum ſuorum uſum publice edidit *Teichmeierus*, tandem quoque eas, quæ principes & præcipuæ ſuo quodam merito habentur, Pathologiam ſcilicet & Therapevticen, eadem forma exponere, & amplæ felicisque praxeos ſuæ ſuppetiis augere, inſtituit. In quo labore dijudicando æquum omnino eſt, ut, quæ ipſemet a Lectore in Præfatione poſtulat, ante oculos habeamus, nimirum ut meminerimus, Inſtitutiones has in auditorum uſum eſſe conſcriptas, eo præſertim conſilio, ut recitationibus, in eas inſtitutis, uberius explicentur. Ita enim partes ſuas egit, ut primas tantum lineas duxiſſe videatur, ut, quæ deſunt, eo commodius in prælectionibus ſuppleri, manca & mutila reſarciri, nimis conciſa amplius diduci & explanari, &, quæ diſperſa jacent, ſuo ordini reſtitui, queant. Placuit Cel. Autori, morbos ſecundum ea membra, quæ infeſtant, perſequi, & primo nonnulla, quæ ad morbi cujusvis notitiam pertinent, deinde ejus cauſas, tum ſigna diagnoſtica & prognoſtica, demum & medendi rationem, indicare. Ubi quidem omnino fatendum eſt, ipſum aliqua morborum nomina in plerisque partibus adduxiſſe in medium, quæ in aliis ſyſtematibus ſilentio prætermittuntur. Ceterum univerſum Opus in *duas Partes* diviſit, quarum *prima* Pathologiam generalem, *altera* autem ſpecialem, complectitur. In *poſterioris* igitur *Partis Sectione I* affectus capillorum, ut ejus præ ſe fert inſcriptio, exponuntur, re vero ipſa omnes morbi, quos Autor ad caput, tanquam ſedem præcipuam, retulit, explicantur, ut adeo *inſcriptio iſta* utroque loco per feſtinationem irrepſiſſe videatur. Alias enim non intelligimus, qua ratione e. g. Melancholia, & Mania, Apoplexia, ſimilesque morbi, capillorum affectus dici queant. *Sectio II* morbos oculorum, *III* affectus auris, *IV* affectus narium, *V* affectus oris, *VI* morbos thoracis, *VII* morbos cordis, *VIII* morbos abdominis, *IX* morbos renum & veſicæ, *X* febres, *XI* morbos mulierum, morbis, qui in ſolos mares incidunt, omiſſis, *XII* morbos infantum, & *XIII* morbos venereos, edifferit, quos hic nominatim repetere, aut plura de hoc libro commemorare, non opus judicamus.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXLV.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SACRE'S & Eccleſiaſtiques, &c.

id eſt,

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SACRORUM & eccleſiaſticorum, complectens illorum vitas, catalogum, examen criticum, judicia, chronologiam, analyſin, & recenſionem diverſarum editionum, operum ipſorum, &c. Autore R. P. REMIGIO CEILLIER, Benedictino.

Tomus XI.

Pariſiis, apud Paulum du Mesnil, 1744, 4 maj. Alph. 4 plag. 4½.

Ordo Hiſtoriæ literariæ Scriptorum eccleſiaſticorum deduxit præſtantiſſimum *Ceillierium* noſtrum ad illuſtre illud, non Africæ ſolum ſuæ, ſed totius, qua late patet, Chriſtianæ civitatis, ſidus, *Auguſtinum*, cujus vita, res præclare geſtæ, certamina pro veritate, ſcripta, tanti ſunt viſa, ut illis enarrandis & hunc & ſequentem *Tomum* dederit. Præſens Volumen *Articulis X* abſolvitur, in quibus, præter recenſionem vitæ, maximam operum ipſius partem ordine exhibet. *Art. I* de *Auguſtini vita* exponit: Tagaſtæ, oppido Numidiæ, in lucem editus eſt A. 354 d. 13 Nov. parentibus *Patricio*, cive Tagaſtenſi, & *Monica*, fœmina multis virtutibus & vitæ ſanctimonia conſpicua. Madauri & Carthagine ad literas elegantiores, Poe-

ſin, & oratoriam artem, tanto incumbebat ſtudio, ut æqualibus palmam præriperet; ſimul amoribus implicitus, ex fœmina, quacum connubii fœdere junctus non erat, procreavit filium *Adeodatum*. Hinc ad Philoſophiam converſus, diligenti manu libros philoſophicos *Ciceronis* & *Ariſtotelis* volvit. Cum rationem & originem mali ſuis cogitationibus exquirere non poſſet, reputans ſecum, Deum mali omnis expertem eſſe, A. 374 Manichæorum partibus ſe addixit. Sed mature levitatem opinionum ipſorum animadvertens, & quod illos cultus divini externi negligentiores conſpiceret, illis ſe ſenſim ſubduxit, quod pleniſſime factum, ubi A. 385, vel 386, Mediolanum delatus, *Ambroſii* doctrina & eloquentia ita eſt captus, ut errores Manichæorum prorſus miſſos faceret, inque cognitione doctrinæ Chriſtianæ ductu *Ambroſii* & propria Scripturæ lectione & meditatione ita proficeret, ut tandem A. 387 tempore verno Catholicorum cœtui ſe adjungeret. Ipſo illo anno, matre *Monica* mortua, in Africam eſt reverſus, & omne tempus oraculorum divinorum ſcrutinio, & exercitationibus ſpiritualibus, dedit, ſcripta etiam quædam in lucem publicam emiſit. A. 395 præter omnem opinionem ſuam concordibus ſuffragiis cœtus Hipponenſis Presbyter eſt poſtulatus, &, oblucatus licet multum muneri ſacro, eſt initiatus, cui *Valerius* Antiſtes, quod Presbyteris adhuc in Africa negatum erat, pro concione dicendi poteſtatem fecit. Sub finem anni 395, volente ita *Valerio*, ſenio confecto, aſſentiente omni credentium multitudine, eccleſiæ Hipponenſis Præſul *ita eſt denominatus, ut decedenti Valerio* illico ſuccederet. Epiſcopus factus, omni cum ſolicitudine ſacra munia tractavit, pro concione diligentiſſime dixit, in vita externa honeſtatem omnem & ſanctimoniam eſt ſectatus, pauperum curam accurate habuit, vitia, inter Afros paſſim graſſantia, tum privatim, tum publice, multa cum prudentia reprehendit. Cum Donatiſtis adeo feliciter eſt congreſſus, ut illorum plurimi, veritati cedentes, ad eccleſiæ conſortium redierint. A debellandis Pelagianis non ante deſtitit, quam communi eccleſiæ conſenſu, quod A. 418 factum, condemnarentur. A. 428, Vandalis ex Hiſpania impreſſionem in Africam

Africam facientibus, & omnia ferro, incendiis, ac cædibus, late vaſtantibus, *Auguſtinus* multo dolore ob communes calamitates patriæ & eccleſiæ eſt confectus, cumque A. 430 ipſam urbem Hipponenſem obſidione cingerent, ipſe una cum aliis preces conjunxit, ut Deus urbis excidium averteret. Ipſo illo anno, antequam urbs expugnaretur, vivis eſt exemtus, d. 28 Aug. anno ætatis 76, miniſterii 40. *Art. II* recenſet *ſcripta* ipſius, quæ continentur *Tomo I* editionis Pariſienſis, A. 1683 publicatæ. Hujus *Articuli Paragraphus 1* eſt de *duobus Libr.s retractationum.* In illis, ſcriptis circa A. 427, vel initium A. 428, quicquid in ſuperioribus ſcriptis ſuis minus recte poſitum offendit, ad limam revocat & emendat. *Paragr. 2* de *Libris confeſſionum* agit, qui præ aliis omnibus ſcriptis ipſius communi applauſu ſunt excepti, quique toti pleni ſunt igne amoris Dei, apti, qui eundem in aliis excitent, exarati circa A. 400. *Par. 3* de *libris contra Academicos* diſſeritur. *Auguſtinus* ante ſuum ad eccleſiam reditum ſeceſſum quæſiverat, & cum quibusdam amicorum ſuorum ſuper variis argumentis diſſertaverat, quarum diſceptationum partem aliquam libris his eſt complexus, A. 386. *Par. 4* agit de libro *de beata vita*, qui pariter eſt fructus confabulationum iſtarum familiarium, ipſo illo anno in literas relatarum; §. *5* de *duobus Libris de ordine*, eodem tempore, quo inter amicos verſabatur, concinnatis; §. *6* de *libris ſoliloquiorum, & de immortalitate, & quantitate animæ*, qui concepti vel ſub finem A. 386, vel initium A. 387; §. *7* de *libris de muſica & magiſtro*, quorum concinnandorum initium jamdum fecerat Mediolani, perfecit in Africa circa A. 389, quorum & tractatio per modum dialogi eſt inſtituta; §. *8* de *tribus Libris de libero arbitrio*, quorum primum Romæ A. 388, duos poſteriores A. 395 in Africa, divulgavit; §. *9* de *duobus Libris de geneſi contra Manichæos*, quos cum vidiſſent nonnulli, antequam ederentur, judicarunt, ſtilo ſublimi magis & ornato exaratos eſſe, quam ut ab omnibus intelligi poſſint; quapropter omnia clare & evidenter explanare eſt conatus; §. *10* de *libris de moribus eccleſiæ & Manichæorum*, quos publicavit vel circa finem A. 387, vel initium A. 388; §. *11* de *libro de vera religione, & de regula S. Auguſtini*, quorum priorem, quod probabile eſt, circa

A. 390 compoſuit, auctum regula, in gratiam virginum ſacrarum ſcripta; §. 12 de *quibusdam libris, Auguſtino ſuppoſitis, de Grammatica, principiis Dialectica, decem categoriis, principiis Rhetorices, regulis Clericorum, vita ſolitaria.* *Art. III* recenſentur Opera, quæ inſunt *Tomo II.* Hujus *Par. 1* tractatur de *Epiſtolis primæ claſſis*, ſcriptis ab A. 386 ad 395, antequam Epiſcopus deſignaretur; §. 2 de *Epiſtolis ſecundæ claſſis*, conſignatis ab A. 396 ad 410, quo collatio Carthaginienſis eſt habita, & hæreſis *Pelagiana* detecta; §. 3 de *Epiſtolis tertiæ claſſis*, exaratis ab A. 411 uſque ad obitum ipſius; §. 4 de *Epiſtolis quartæ claſſis*, in quem ordinem rejectæ ſunt illæ omnes, quarum annus ſcriptionis eſt incertus, licet id pro certo dici poſſit, datas eſſe, a quo tempore Antiſtitis munere fungi cœpit. Adjecit duas, quæ in editione Pariſienſi non leguntur, ſed ſeparatim ſunt editæ *Viennæ Auſtriacæ A. 1732*, & *Pariſiis A. 1724*. *Par. 4* agitur de *Epiſtolis ſuppoſitis*, ad *Bonifacium, Demetriadem, Cyrillum Hieroſolymitanum, Paſcentium.* *Art. IV*, qui eſt *de ſcriptis*, quæ habentur in *Operum Tomo III*, §. 1 differitur de *quatuor Libris de doctrina Chriſtiana*, qui ſunt quaſi clavis methodi, qua uſus eſt vir ſanctus in Scripturæ interpretatione, A. 397 ſcripti; §. 2 de *libro imperfecto ad Geneſin*, qui expedit difficultates, quas Manichæi circa 3 priora *Capita Geneſeos* moverant, ſcriptus A. 393; §. 3 de *XII Libris de Geneſi*, in quibus ſenſui literali vel maxime inhæret; §. 4 de *Quæſtionibus in Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſuæ, Judicum*, exponentibus loquendi modos, Scripturæ familiares; §. 5 de *Annotationibus in Jobum, & Speculo*, deſumto ex Scriptura; §. 6 de *conſenſu Evangeliſtarum, & Sermone habito*, in quorum priori monſtrat, in quatuor Evangeliis nihil omnino eſſe, quod ſibi non conſtet; §. 7 de *duobus Libris quæſtionum in loca aliquot Evangelii*, compoſitis circa A. 400; §. 8 de *Tractatibus in Evangelium & Epiſtolam S. Joannis*, A. 416, vel 417, compoſitis; §. 9 de *Commentario in Epiſt. ad Romanos & Galatas*, cujus initium fecit A. 394; §. 10 de *libris ſuppoſitis*, v. c. *de miraculis ſacræ Scripturæ, benedictionibus patriarchæ Jacobi, quæſtionibus ex Vet. & Nov. Teſt. Comm. in Apocalypſin.* *Art. VI* exhibet *ſcripta*, quæ comprehendit *Operum Tomus IV.* Hujus §. 1 docemur de *explicatione*

Pſalmo-

Dionem, supra l. 4. ch. 10. 7) per quas in Asiam, ubi Mithridates regnabat, transiturus erat. Ita Dio. Sed Appianus, qui hoc bellum accuratius descripsit, Sullam ait Thessalonicam ex Epiro venisse, ibique Mithridatis legatos, qui Macedoniam occupaverant, fudisse. Inde Sullam per Thessaliam, qua Pompeius Strabo, Asclepiodotus, Stratocles, Metrophanes, Neoptolemus, Archelaus, Dorylaus, Taxiles, Hermarchus, Diogenes, Neoptolemus, Midas

de monachis, prædictionibus dæmonum, cura in defunctos, & patientia, editis circa A. 400; §. 11 de *Sermonibus de ſymbolo, cultu vineæ domini, diluvio, perſecutione barbarorum, diſciplina, utilitate jejunii, expugnatione Romæ, & novo cantico*, quorum tres poſteriores non videntur ab *Auguſtino* profecti eſſe; §. 12 de *ſcriptis ſuppoſitis*, quæ ſunt 21 *Quæſtiones, liber 65 Quæſtionum, de fide Petri, de ſpiritu & anima, de amicitia, ſubſtantia amoris, amore Dei, ſoliloquio animæ, de meditationibus, de contritione, liber*, cui titulus, *Manuel, ſpeculum, de tribus habitationibus, ſcala Paradiſi, de cognitione vitæ, vita Chriſtiana, inſtructionibus ſalutaribus, de duodecim abuſibus ſeculi, de 7 vitiis, & 7 donis Spiritus ſancti, de pugna vitiorum & virtutum, ſobrietate & caſtitate, vera & falſa pœnitentia, Pſalterium, Canticum magnificat, de aſſumtione virginis, viſitatione infirmorum & conſolatione mortuorum, converſatione Chriſtiana, in ſymbolum de precibus, ad fratres in ſolitudine. Art. VIII* ſcripta perſequitur, quæ continet *Tomus VII*, quem totum efficiunt libri *de Civitate Dei*; quos ad retundendas profanorum hominum calumnias conſignare cœpit A. 413, abſolvit A. 426, vel 427. *Art. IX*, inſcripti *de operibus, contentis Tomo VIII*, §. 1 agit de *Tractatu de hæreſibus & contra Judæos*, quem precibus Diaconi Carthaginienſis, cui nomen erat *Quodvultdei*, confecit, qui ab ipſo hæreſium omnium deſignationem deſideraverat; §. 2 de *utilitate fidei, & libro de duabus animabus, & contra Adimantium*, in quibus doctrina orthodoxorum ab objectionibus Manichæorum vindicatur; §. 3 de *libro contra Epiſtolam de fundamento*, & *contra Fauſtum Manichæum*. Manichæi ediderant Epiſtolam, cui nomen fecerant Fundamenti, in qua momentum doctrinæ ſuæ explanaretur; hujus initium *Auguſtinus* in hoc libro refellit. Scripſit illum A. 396, vel 397. *Par. 4* eſt de *duobus Libris contra Felicem Manichæum, de libris de natura boni*, & *contra Secundinum*, quorum priores continent diſputationem, quam *Auguſtinus* cum *Felice* de dogmatibus Manichæorum habuit, poſteriores directi ſunt ad *Secundinum*, qui *Auguſtinum* criminabatur, non niſi metu, & ut honoribus atque commodis externis frueretur, Manichæorum

rum ſocietatem reliquiſſe; §. 5 de *libris contra adverſarium legis & prophetarum.* Circa A. 420 aliquis ex ſchola *Marcionis*, vel aliorum hæreticorum ſodalitio, Carthagine librum in vulgus ediderat, in quo legi & prophetis derogabatur multum, quem ut refutaret, *Auguſtinus* rogatus eſt a multis. *Par.* 6 agit de *libro ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas.* Eccleſiaſtici aliqui Hiſpani indicem errorum Priſcillianiſtarum fecerant, deſiderantes, ut *Auguſtinus* rationem monſtraret, qua illi ipſi debellari poſſint; inquiſivit igitur in horum pariterque Origeniſtarum errores. *Par.* 7 differitur de *ſcriptis contra Arianos.* Scriptum quoddam hominis *Ariani* ad *Auguſtinum* delatum erat, quod tanta, quanta potuit, diligentia & accuratione excuſſit. *Par.* 8 exponit de *libris de Trinitate*, quos incepit A. 400, finivit demum A. 416, cum alia, itemque alia, negotia ipſum interpellarent; §. 9 de *ſcriptis ſuppoſitis*, in quorum numerum refert *quinque Libros contra hæreſes, diſputationem contra Judæos, paganos, & Arianos, diſputationem inter eccleſiam & ſynagogam, librum de fide contra Manichæos, de modo recipiendi Manichæos, de unitate Trinitatis, Quæſtiones de Trinitate & in Geneſin, duos Libros de incarnatione, libros de Trinitate & unitate Dei, de eſſentia divinitatis, Dialogum de trinitate unitatis, de dogmatibus eccleſiaſticis.* *Art. X*, qui eſt de operibus, *Tomo IX* incluſis, §. 1 recenſentur *Cantica contra ſchisma Donati*, & *libri contra Parmenionem*, in quorum illis texit hiſtoriam factionis Donatiſticæ ad annum uſque 397, ſubjuncta errorum refutatione; in his reſpondet ad objectiones, quas Donatiſtæ pro ſchismate ſuo proferunt; §. 2 agitur de *ſeptem Libris de Baptiſmo contra Donatiſtas*, quos, ut deſideriis fratrum faceret ſatis, circa A. 400 compoſuit; §. 3 de *tribus Libris contra Epiſtolas Petiliani*, qui ipſe poſt collationem Carthaginienſem Epiſtolam ſcripſerat, in eaque libros *Auguſtini*, contra ſe editos, perſtrinxerat, ac orthodoxos multis conviciis laceſſiverat, ab *Auguſtino* ſolide graviterque refutatus; §. 4 de *libro de unitate eccleſiæ*, ſive *Epiſtola contra Donatiſtas*, quæ proprie epiſtola eſt paſtoralis, ad omnes fideles diœceſeos ſuæ directa; §. 5 de *quatuor Libris contra Creſconium.* Hic par-

tes

tes *Petiliani* contra *Auguſtinum* propugnandas ſuſceperat; hujus igitur impetum retudit, & ad ipſius exceptiones ſolide reſpondit. Scripſit illos A. 409. *Par. 6* agitur de *unitate Baptiſmi contra Petilianum*, quo in libro Donatiſtarum errorem, ac ſi apud ſe verus Baptiſmus tantum eſſet, profligat; §. 7 de *ſuccincta hiſtoria collationis cum Donatiſtis, Libro ad Donatiſtas poſt collationem.* Acta collationis hujus, vel potius compendium illorum, ab aliis in publicam lucem emiſſum erat, ſed, quia obſcuritate laborabat, & proinde *Auguſtino* probabatur minus, aliud adornavit, vulgatum circa A. 411, vel 412. *Par. 8* docemur de *colloquio*, ſive *collatione, cum Emerito*, in qua enarratur id omne, quod inter *Auguſtinum* & *Emeritum*, unum ex Epiſcopis factionis Donatiſticæ, eſt actum; §. 9 de *duobus Libris contra Gaudentium.* Hic multa cum pervicacia partes Donatiſtarum defenſitabat, & redire ad eccleſiam renuebat; illum igitur a temeraria ſua opinione in rectum tramitem abducere omni virium contentione allaborat *Auguſtinus.* Scripſit circa A. 420. Ultimus eſt §. 10 de *operibus ſuppoſitis*, cujus generis ſunt *liber contra Fulgentium Donatiſtam, & documenta, pertinentia ad hiſtoriam Donatiſtarum.* Sequitur Index ſatis accuratus.

Chriſtoph Wollens, der heiligen Schrifft Licentiatens, und Archidiaconi zu St. Thomas in Leipzig, Betrachtungen über die in der Augſpurgiſchen Confeßion enthaltene Sitten-Lehre JEſu Chriſti, von den innerlichen Verderbniſſen der menſchlichen Seele.

id eſt,

CHRISTOPHORI WOLLII, S. THEOL. LICENtiati, & Archidiaconi ad S. Thomæ Lipſ. Commentationes in Theologiam Jeſu Chriſti moralem, Auguſtana Confeſſione contentam, de internis corruptelis animæ humanæ.

Lipſiæ, apud Bernard. Chriſtoph. Breitkopfium, 1745, 4. Alph. 5 plag. 8.

Eruditio

Eruditio theologica, cui maximum ſine controverſia pretium ponendum eſt, ea hodie felicitate utitur, ut nulla ejus pars inculta neglectaque jaceat. Tum vero iſtud etiam nulli non intelligentiori vehementer probabitur, quod ea cultura multo, quam olim, facilius & ſolidius inſtituatur. Teſtamur hanc in rem Chriſtianam morum Theologiam, quæ inſignem hac ætate nacta eſt acceſſionem. Vix unus eſt in ſacra civitate cœtus, cujus quidem doctores in hac ornanda perpoliendaque non tantum poſuerint operæ ſtudiique, quantum nulla in re alia. Inprimis vero ii, qui Theologi *Evangelico-Lutherani* nominantur, committere noluerunt, ut ſuæ hac in cauſa partes deſiderarentur. Sed diverſa eſt ac varia, quam ſinguli fere inierunt, via & tractandi ratio, quam *methodum* appellare ſolent. Alii ex præmiſſis ſanctioris Scripturæ verbis occaſionem præceptorum moralium enodandorum ſumſerunt; alii vero, ſine his, liberius cogitata ſua expoſuerunt. At nova plane & antehac inaudita ratione Vir Maxime Reverendus, qui de Academia pariter & Eccleſia noſtra præclare adhuc meritus eſt, variisque jam dudum ſcriptis, ætatem laturis, nominis ſibi famam claritatemque peperit, *Wollius*, propoſito ſuo in elaboratiſſimo ſatisfecit Opere, cujus modo indicem recitavimus. Is nimirum ex *Auguſtana Confeſſione*, vel etiam ex ejusdem *Apologia*, verba quædam eximia unicuique præmiſit *Capiti*, tum vero præcipuam morum doctrinam, quæ in iis proponitur, cum cura declaravit. Quid, quod & alios *librorum* Eccleſiæ noſtræ *ſymbolicorum* locos, data quidem occaſione, vel indicavit tantum, vel etiam exſcripſit. Verum is attentius omnia circumſpexit, ac delectum habuit, & non niſi ea enotavit, quæ præclaram aliquam conſiderationem contemplationemque promerebantur. Multi quidem rerum divinarum conſulti veritates dogmaticas, quas *Auguſtana Confeſſio* in ſe continet, illuſtrarunt, atque errores eidem adverſos debellarunt. Sunt etiam, qui ejusmodi veritates, & alias, cum iis devinctas & connexas, explicaverunt, easdemque explicatas ad vitæ morumque præcepta ſimul accommodarunt; in quibus & celeberrimus *Reinbeckius*, cœli civibus nunc adſcriptus, no-

men ſuum profeſſus eſt; nemo vero unus ſolas morum doctrinas ita ſeparatim, interprete *Auguſtana Confeſſione*, declaravit. Quapropter, hujus quidem rei ratione habita, novum omnino laborem Cl. *Wollius* noſter molitus eſt. Diu eſt, quod jurati quidam profeſſique Aug. Confeſſionis hoſtes, dogma Eccleſiæ noſtræ ejusmodi eſſe, faſſi ſunt, ac præ ſe tulerunt, ut omni impietati ac petulantiæ aperte faveat & patrocinetur. Id quo probabiliter defendant, cauſam ſuam, quam agunt, deſperatam ſic inſtruunt, ut ex principiis, quæ Eccleſia noſtra recipit ac tuetur, odioſas ducant concluſiones, quæ minime conſequuntur, hanc in ſententiam: Servator nos redemit. Ergo licentiam nobis dedit peccatis ſerviendi. Chriſtus ſatisfecit pro nobis. Ergo nos nulla amplius lege tenemur, noſtris ſatisfaciendi officiis. Juſtificamur coram Deo, ſine operibus. Ergo ſtudium bonorum operum abjiciendum eſt. Sola fides juſtificat & ſalvat. Ergo hæc fides bonorum operum vacua eſſe debet. Ita ratiocinantur egregie ſcilicet, qui dogmati A. C. male cupiunt. Parum abeſt, quin ſciſcant, corpus illud eſſe nervis & artubus carens. Nec vero infimi tantummodo ſubſellii, nulloque loco ac numero ducendi, *homines*, verum ii etiam, qui in luce orbis eruditi verſantur, tam tenuiter, tamque inconcinne, de *Auguſtana* ſentiunt *Confeſſione*. In his *Joannes Clericus* eſt, qui in *Bibliotheca* ſua *univerſali* & *hiſtorica* ad *A. 1690 Tom. XVI pag. 223 ſeq.* iſta crimina & Aug. Confeſſioni, &, qui huic addicti ſunt, cœtus noſtri Theologis, objecit, partim ficta aperte, partim effutita *temere*. *Hæc Summe* Venerabilis *Wollius* ſub judicium vocavit, & veritatem rationibus confirmavit, quantum potuit, validiſſimis, omnemque navavit operam, ut Aug. Confeſſionem ab injuria, ei illata, aſſereret, in præmiſſa ſatis ampla & pererudita Præfatione, quæ totius inſtitutæ rei rationem reddit, quamque ſemel atque iterum perlegiſſe pœnitebit neminem. Singulare vero eſt ac ſpeciale libri argumentum, cujus nos jam lectione mirifice capimur. *Corruptelæ* nimirum *interiores animi humani*, quæ externorum vitiorum cauſæ ac fontes ſunt, hic enodatius conſiderantur. Sed curæ iſtæ, ſanctioris Theologiæ cultoribus, a multis inde annis

annis dicatæ, jam inter perpetuos occupationum circulos expolitæ, & cum iis ipſis, tum vero etiam aliis lectoribus, traduntur & conſecrantur, quo pro captu quisque ſuo in ſanctiores easdem uſus convertere queat. Has alio tempore conſequentur virtutes Chriſtiano homine dignæ, quas in ſingulari libro in poſterum expoſiturus eſt Vener. Autor, ſi quidem negotioſa, quam agit, vita hoc ei permiſerit. Nos certe publico ipſum nomine oramus, ut ſine mora ſe ad hunc accingat laborem, civitati & ſacræ & eruditæ multa egregia pariter ac utilia minantem. *Methodus*, qua hic utitur, eſt propria ejus, vel, ſi mavis, rectæ ac purgatæ rationis. Probat enim primum *exiſtentiam* ejus, de quo acturus eſt, dogmatis ex *ratione*, *experientia*, & *ſacra* inprimis *Scriptura*, cujus dicta, uti vocantur, *claſſica* ita recitavit, ut & nervum probandi, eruditis artis interpretandi regulis in auxilium vocatis, in lucem protulerit. Deinde *definitio*, ſi qua requiritur, *nominalis*, ubique vero *realis*, ſequitur, quam *diviſio* excipit, ita quidem, ut fundamenta dividendi expreſſis commemorentur verbis. Hanc etenim utramque pro veris & genuinis habet principiis, unde concluſiones manare debent. Hinc ex *definitionis realis* & *genere* & *differentia*, nec non ex *diviſione* interdum, petit *axiomata*, unde utilia ducuntur *conſectaria*. Interdum & *tota definitio*, quæ illuſtri ſeſe brevitate commendat, fons eſt conſectariorum; quin etiam *conſectaria* reperiuntur *nobiliora*, quæ *axiomatum* locum occupant, ac novæ hinc concluſiones ducuntur. Axiomatibus & conſectariis, iis certe, quæ lumen & rationum pondera deſiderant, *explicatio* ſtatim ſubjicitur, ac *demonſtratio*, vel etiam *ſola* interdum aut *demonſtratio*, aut *explicatio*, prout res poſtulat. Huic methodo, quam, ſi rem bene putes, omnes, qui erudite cogitant, ante oculos poſitam habent, tota hæc adſtricta & illigata eſt pertractatio; verum in ſubjecta explicatione liberius & erectius dicendi genus apparet, quod & intellectum convincere veritatis, & animum commovere legentium, poteſt. Elucet ubivis eadem vis rationum, ſed ea facile aciem fugit hebetem & tardam, quæ in iis ineſſe ſolet, qui aliorum narrant cogi-

tata, & in magiſtrorum verba jurant. Accedunt ultimo denique loco *Scholia*, quæ rem adhuc dubiam & obſcuram confirmant magis, ac tenebras, quæ eam cingunt, diſſipant, quo debita luce ſplendeant omnia.

His igitur præfultis, ipſas morales commentationes, quæ nos ad ſe vocarunt, excerpemus, ſed, in tanta rerum lectiſſimarum copia, non niſi potiores indicabimus magis, quam ex-
Pag. 15. plicabimus. *Præparatio*, quæ Præfationem ſequitur, de *natura & neceſſitate Theologiæ moralis Chriſtianæ* agit, quæ utra-
9. que hac fulta eſt *definitione*: Theologia moralis Chriſtiana eſt habitus animi, cognitas ex S. Scriptura veritates, quæ ad actionem vitæ pertinent, Chriſtianis, fide Servatori addictis deditisque, ad ſinceram exercitationem vivide inculcandi, quo de veritate fidei ſuæ certi ſint, vivamque æternæ felicitatis ſpem habeant. *Dividitur* illa in *duas Partes*, quarum *una* de *vitiis*, *altera* de *virtutibus*, agit. Vitia ſunt vel interna, quæ *corruptelas animi* dicere malumus, vel externa. Illis, quæ primo loco nominavimus, hæc opera dicata eſt, quoniam, animo per gratiam divinam a corruptelis purgato, externa, quæ membra corporis requirunt, vitia facile omittuntur, neque adeo ſingularem ſibi flagitant conſiderationem. Ex multis, quæ in hac præparatione vere ſcienterque dicuntur, nonnulla delibaMus, ut ſunt: judicia de nexu veritatum fidei cum veritatibus vitæ, deque uſu etiam myſteriorum in actione vitæ Chriſtianæ; de morum doctrina veterum civitatis ſacræ præſulum,
16. qui *Patres* nominantur; de falſitate *virtutum humanarum*, ab
19. illuſtri Epiſcopo Nemauſſenſi, *Eſprit Fleſchierio*, edita; de
20. Pontificiis, itemque Reformatis, Britannicis, aliisque exteris,
24. morum doctoribus; de diſcrimine Philoſophiæ ac Theologiæ
25. moralis; de famoſa illa muliere peccatrice, quæ *Maria Magdalena* fuiſſe, haud ſine ratione negatur; deque magiſtris Theo-
30 ſeq. logiæ Myſticæ & purioris, & impurioris. Quo & *tabula* illa inprimis pertinet, in qua vis fidei juſtificans & ſanctificans, ad normam dogmatis Lutherani, oculis ſic exhibetur, ut ex beneficiis juſtificationis, quæ fidei tribuuntur, officia ſanctitatis Chriſtianæ, per nexum quendam philoſophicum, legitimam-

que

que conſecutionem, tanquam concluſiones, eliciantur. Quæ gravior res poſtea *quatuor veritatibus* includitur, quæ eo mo- Pag. 35.
do, quem recta probat ratio, enodantur, & exemplo, præſertim magnæ illius peccatricis, cujus ſalutaris hic emendatio nervoſius, & verbis, quæ *Cicero ardentia* dixit, deſcripta eſt, diligenter illuſtratur. Ut locum *Luc. XIV, 23*, qui contra Pon- 39. 41.
tificios eleganter ſolideque vindicatur, plurimaque alia, taciti prætereamus. Ipſe liber in *binas Partes* diſtributus eſt, quarum *prima*, quæ *generalis* vocatur, de *interioribus animi humani corruptelis generatim* exponit, & *V Capita* complectitur. *Cap.* 53.
I de *vitioſis actionibus generatim* agit, *quæ Chriſti morum doctrinæ repugnant*. Sunt illæ, ex data *definitione*, ejusmodi li- 57.
beræ hominis actiones, quæ legi divinæ adverſantur, & peccatori a ſummo legislatore ad pœnam eo imputantur fine, ut legum ſuarum vim & autoritatem tueatur, humanæ ſocietatis ſecuritatem conſervet, aliis hominibus exempla, quæ ipſos cautiores reddant, ante oculos ponat, & ipſum denique peccatorem commoneat, ut, ad ſui temporariam æternamque ſalutem, in ſeſe deſcendat, atque ad frugem redeat. Dividuntur hæ vitioſæ actiones in *regnantia vitia irregenitorum*, & *nævos renatorum*; in *proprias* & *alienas*; in *internas* & *externas*; in *eas*, quæ contra *Deum*, contra *alterum*, & *ſemet ipſum*, admittuntur; in eas, quæ ex *toto*, & in eas, quæ tantum ex 60.
parte, in vitio ponendæ ſunt; in *craſſiores* & *ſubtiliores*; in illas, *quæ pro peccatis habentur*, & in illas, quæ *eo loco minime haberi* ſolent; in *peccata occulta* & *aperta*; in *majora* & *minora*; in peccata *Sanguineorum*, *Cholericorum*, *Melancholicorum*, & *Phlegmaticorum*; in peccata *puerorum*, *adoleſcentium*, 65.
virorum, ac *ſenum*; *maritorum* & *uxorum*; ipſorumque *populorum*, ut *Germanorum*, *Gallorum*, *Italorum*, *Hiſpanorum*, *Anglorum*, & aliorum; in peccata, quæ *hodie in uſu ſunt*, & 73.
quæ *ab uſu receſſerunt*; in vitia *nobilium* & *ignobilium*, *potentum* & *impotentium*, *imperantium* & *ſubjectorum*, *Clericorum* ac *Politicorum*, *divitum* & *pauperum*, *literatorum* atque *illiteratorum*. Hoc ipſum Caput hæc, ſi qua alia, ornant, v. c. diſcrimen temperamenti phyſici ac moralis, hujusque doctrinæ 62. 143.

Pag. 75. emendatio; judicium de vitiis clericorum & literatorum, de-
77. que duplici hominis natura, phyſica & morali. Ex hac altera
80. vera *libertatis humanæ* notio ducitur. Non eſt ea tertia quæ-
86. dam facultas animi, ſed facultas potius voluntatis, aliquid ex
91.92. propria ſua activitate vel volendi, vel nolendi, ſine ulla neceſ-
ſitate, hoc eſt, ullo ſine, interno externoque, coactu. Hac
explanata definitione, ceteræ falſæ notiones rejiciuntur; cu-
94. jusmodi eſt indifferentia æquilibrii, & illa recentioris mecha-
95 ſeq. nicæ Philoſophiæ notio, quæ, ut multis hodie probetur, omnem
tamen morum doctrinam, inprimisque Theologiam mora-
lem Chriſtianam, de medio tollit. Accedit his nova explana-
103 ſeq. tio dogmatis de *imputatione peccati Adamitici*, ubi *imputabi-
litas* ab *actuali imputatione*, omni, qua fas eſt, accuratione
ſecernitur. Illa pertinet ad omnes *Adami* poſteros, hæc vero
Chriſto facta eſt, expiationis cauſa. Atque eadem fit omni-
bus, qui Chriſti expiationem ſpernunt, non immerito, pro-
pterea quod ob incredulitatem, cujus ipſi cauſa ſunt, æter-
108.111. nam pœnam jure meritoque promerentur. Sequitur *verum*
112 ſeq. *moralitatis principium*, id eſt, *lex divina;* itemque funda-
114. mentum obligationis, quæ legibus civilibus debetur; *inficeta*
132. morum doctrina veterum *Gnoſticorum;* finis pœnæ talionis di-
134. vinæ; confutatio eorum, qui pœnas improborum hominum
145. anxie deſiderant; demonſtratio æternitatis pœnarum inferna-
147. rum, nec non infirmatio ſententiæ eorum, qui, pœnas infer-
732 ſeq. nas vim purgandi animos habere, ſomniant. *Cap. II* de *vi-
150. tiis Chriſtianorum non renatorum* inſcribitur. *Hæc ſunt* habi-
154.156. tus mali, quorum ope facultates animi ad inſtinctum peccati
164. originalis, cui libere dominium concedunt, accommodant. Ex
158. quo perſpicuum eſt, vitia in ipſorum *intellectu*, in *imagina-
159 ſeq. tione*, in *voluntate*, in *conſcientia* & *animi motionibus*, in ab-
uſu *membrorum corporis* & *externorum ſenſuum, aliarumque re-
161. rum, extra ſe poſitarum*, reperiri. Quare *peccata* horum,
qui a ſalutari emendatione alieni ſunt, hominum, ſive eximiis
vitiis dediti ſint, ſive ſimulatam colant ſanctitatem, ſunt *mor-
170. talia*, vel rectius, *mortifera.* Horum numero habenda ſunt
172. *peccata ignorantiæ affectatæ* & *pravæ diſpoſitionis; peccata vo-
luntaria*,

Digitized by Google

luntaria, quæ ſcienter & contra conſcientiam admittuntur; *præjudicatæ opiniones* & *adagia*, quæ impiæ vitæ ſerviunt; Pag. 174.
ſtudium *dictis S. Scripturæ* ad carnalem ſecuritatem *abutendi*; 177.
malæ *cogitationes*, ideis pravis identidem veſtitæ, quæ in 178.
animo dominantur; peccata *proæretica* & *malitiæ*, nec non
præcipitantiæ ſponte acquiſitæ; *hypocritica opinio de animo pœ-* 180.
nitentiæ non egente; de *fiducia in propria juſtitia poſita*; *do-* 181.
minans mundi ſuique amor, una cum tribus ejusdem filiabus, 182.
ambitione, *avaritia*, & *voluptate*, & alia ejusdem generis.
Ceterum hic de ſummo hominis bono & bonis relativis, nec 184 ſeq.
non iis terrenis, quæ in ſpeciem bona vocantur, tum vero et- 189.191.
iam de cupiditate ſummi boni recte corrigenda, ex morum
Philoſophia accuratius diſſeritur. Porro removetur a Deo 196.
ſuſpicio, ac ſi ipſe cauſa deſperationis & obdurationis eſſet.
Sacra vero loquendi ratio, qua *Deus obdurare* improbos dicitur, binas in ſe continet notiones. Una: *Deus occultam animi duritiem in lucem profert.* Conf. *Eſ. VI, 10.* Altera: Deus *permittit obdurationem, dum pœnam eorum differt, qui animi duritie laborant.* Hi autem ex mora iſta ſumunt occaſionem animi ſui proprio ſtudio magis obdurandi, & emendationis ſuæ differendæ, quam potius, ſi divino nutui conſilioque obſequi vellent, maturare debebant. Utrumque hoc Deus prædicit de rege Ægypti, *Exod. VII, 3.* Ad Chriſtianos non ſanctos referuntur etiam *philoſophici* & *phariſaici*, &, quomodo 167.201.
hi a *vere ſanctis* diſtent, non alienum erat hic docere. Ad
quæſtionem motam, *an omnia irregenitorum peccata ſint pec-* 203.
cata proæretica & malitiæ, negando reſpondetur, planumque
fit, peccata quoque infirmitatis ab illis committi poſſe; ea vero ejusmodi eſſe, ut propter ea divinitus re ipſa puniantur.
In *Cap. III* de *nævis ſanctorum* ſuſcipitur tractatio. Hi ſunt 206.
ea, legi divinæ repugnantes, ſanctorum actiones, quas, dum 209.219.
a vitiis, ante ſalutarem ſui emendationem ſibi comparatis, quotidie recedunt, propter inhabitans originale peccatum, adhuc 215.
admittunt. Ex ipſa ſanctorum natura evincitur, eos efficere
aliquid poſſe, quod caro velit, ſpiritus autem nolit. Imo &
iſtud in luce ponitur, ut fieri non poſſit, ut ad priſca peccata

retro-

retrocedant, cum ab ipſis recedant potius quotidie. Videntur quidem duo homines, quorum alter ſanctus, alter vero a
Pag. 230. ſanctitate alienus, eſt, in uno & eodem vitio, externo adſpectu, ſibi ſimiles eſſe, ſed non ſunt re vera; id quod novem lineis in orbem ductis peringenioſe clariſſimeque oculis ſubjicitur. Ex
237. altera definitione hæc tribuuntur peccata renatis, nimirum:
243. *nævi ignorantiæ*, at ii non temere adaugendi ſunt; infirma fides, *præſentia malarum quarundam idearum* in *imaginatione*, ac *pravarum cogitationum*; *peccata involuntaria*, quæ quidem
244 ſeq. *a* voluntate proficiſcuntur, ſed *cum* ea, id eſt, ipſa conſen-
247. tiente, minime fiunt; *defectus ſinceritatis* aliquis; *nævi præcipitantiæ*, &, qui *ex antiquo* trium vitiorum, uti vocantur, cardinalium *dominio* adhuc reliqui ſunt; *externæ* quædam *corporis actiones*, *quibus nævi adhuc adhærere* poſſunt; *nævi ægrorum ac tentatorum ſanctorum*; *nævi negligentiæ* cujusdam &
252. *acediæ*; *nævi*, *quos haud agnoſcunt*, aliique. Ex his vero ſanctorum peccatis, quæ S. nos docet Scriptura, perſpicuum eſt,
256. fictam eſſe ἀναμαρτησίαν illam *abſolutam*, quam fanatici, alii-
263. que homines, ſanctis in hac vita vindicare ſtudent. Eadem renatorum peccata per ſe non ſunt *venalia*, ſed propter Chri-
264 ſeq. ſtum venia eorum impetratur. Per hæc ex gratia divina non excidunt ſancti; at, ſi in proæretica relabuntur, ejusmodi quidam relapſus argumento ſunt, eos in fide Dei haud amplius
274 ſeq. manere. Tandem quæſtio, *cur exempla lapſorum ex gratia hominum*, *qui ſancti fuerunt*, *ut Davidis*, *Petri*, *Demæ*, *quorundam Galatarum*, *& aliorum*, *in ſacras Literas relata ſint*, *& quare in ſcriptis moralibus toties iterentur*, non ſine ratione movetur, atque ad eandem cum cura reſpondetur. Hoc, quod hactenus pertractatum eſt, argumentum occaſionem quoque
240. præbuit Max. Rev. Autori, doctrinam moralem de *mendacio* explicatius declarandi, & litem illam celeberrimam, cujus cauſam *Jacobus Saurinus* in cultiore Belgio dederat, paucis verbis com-
241. ponendi. *Veritas* ethica eſt convenientia animi & cogitationum cum verbis noſtris, ad quam officium, quod alteri debemus, nos obligat. Ergo hæc *veritas* ſemper ſine ambiguitate dicenda eſt, quando noſtrum erga alterum officium nos ad

eam

eam obligat. Sed tunc licet *aliter loqui*, ubi nulla hujusmodi adeſt obligatio; ubi veritas aut nobis, aut aliis, officere poteſt; ubi *aliter loquendo* alteri prodeſſe valemus. Venia nobis datur *ambiguitate* quadam utendi, quæ nobis prodeſt, & obeſt nemini. Licet nobis id *tacendo celare*, quod nobis, aut aliis, ſi enuntiaretur, noxium eſſe poſſet. Quid ergo, his præſultis, *mendacium* eſt? Aliquid a vero alienum, quod ore profertur, ubi officium noſtrum erga alterum convenientiam animi & cogitatorum cum verbis noſtris poſcit; ubi amor, quem alteri debemus, ejusmodi requirit verba, quæ cum animo conſentiunt. *Ambiguitas* igitur, quam obligatio reſpuit, verum quoque mendacium erit. Quomodo vero hoc nominandum erit, ſi quis *aliter loquitur*, quam cogitat ipſe, ubi nulla re ad verum ſincere dicendum obligatur? Hoc *mendacium* dici nequit, nec *falſiloquium*, ſed *oratio*, *quæ alia in ſe verba continet*, quam *quæ alter ſcire debet*. Nullum violamus officium, ejusmodi verba ore proferendo. Alter nullum habet *jus*, majus lumen, ac verius, a nobis poſcendi. Ergo nec ulla in nobis *obligatio* reſidet, rem, uti eſt re vera, ei enuntiandi. Poſſumus vero alteri aliquid *aliter*, atque *ſcire debet*, dicere, vel ex *joco*, vel ex *neceſſitate*. Qua quidem occaſione liberum ei hoc etiam eſſe volumus, ut aliter, atque nos dicimus, animo ſecum cogitet. Aliquid *tacendo celare*, ad quod enuntiandum nulla lege tenemur, neceſſaria eſt prudentia, quæ nullum ex tribus illis, quæ in medium attulimus, nominibus meretur. *Ambiguitas*, a qua nulla nos obligatio avocat, ſemper eſt *dimidia* quædam *veritas*. Utimur tunc quidem voce, cui duplex ſubjecta eſt poteſtas, ſed facile hunc patimur deligere, utram velit. Verum is nullum habet jus, fixam determinatamque notionem flagitandi. *Lutheri* dictum: Renati traducunt vitam ſuam, labentes & reſurgentes, ſapienter enucleatur. *Cap. IV* de *influxu moralis naturæ in omiſſionem vitiorum*, *ex parte irregenitorum*, exponit. Quo quidem nomine complexus virium deſignatur moralium, quibus homo, extra ſtatum gratiæ in Chriſtiana civitate vivens, legibus & naturalibus & civilibus, nec non externæ religionis Chriſtianæ

Pag. 254. 280. 291 ſeq.

professioni, convenienter quodammodo vivere potest. Vitia, a quibus ejusmodi homo, civiliter ac naturaliter bonus, se abstinere potest, nec non officia, quibus aliqua ex parte satisfacere valet, hic accurate definiuntur & enodantur, præeunte Aug. Conf. Tum vero vires illæ naturæ moralis, quatenus a *gratia Dei creatrice* proficiscuntur, ab ea, quæ in iis inest, corruptione, vel, si mavis, a *corrupta*, quam vocant, *natura*, cum cura & solertia secernuntur & segregantur; secus quam multi alii Theologiæ moralis præceptores facere so-
Pag. 303. lent. In *Cap. V* de *influxu gratiæ in omissionem vitiorum, ex*
312. *parte sanctorum*, præcipitur. Hoc nomine intelligitur complexus virium moralium supernaturalium gratiæ salutaris, quibus renati firmitatem dexteritatemque acceperunt, ea omnia, quæ a Deo vetita sunt, e verbo ejus revelato cum divino assensu cognoscendi, efficaci odio prosequendi, solerterque evi-
315 seq. tandi & fugiendi. Ex hac definitione *discrimen naturæ & gratiæ* circa hunc, de quo disputatur, influxum solidius, quam
326 seq. vulgo fieri solet, evolvitur. Sub finem *Capitis* docetur, ut *natura* & *gratia* in studio vitia fugiendi, non sine pernicie animi, confundi queant.

Accedimus ad *Partem II* specialem, *de corruptis facultatibus animi humani speciatim* inscriptam, quæ *tribus Sectionibus* absolvitur. Harum *prima*, de *corruptelis intellectus* agens,
355-445. *VII Capita* suo complectitur ambitu. *Caput I*, de *ignoratione rerum divinarum in civitate Christiana*, multo est elaboratius, sedulaque lectione ac meditatione *inprimis dignum*. Argumentum hoc ipsum ex interioribus Theologiæ Christianæ adytis educitur, adjuncta hac continua observatione, istam ignorationem vitæ omnis impiæ causam & autorem esse. Præterea vero Cel. Autor non solum ulcera ignarorum Christianorum tetigit, verum iis etiam medicinam paravit. Primæ, in quibus cardo & omnis, & inprimis Christianæ, religionis verti-
359 seq. tur, veritates hoc loco solidius demonstrantur, ut: divinitas,
353-354. veritas, commodumque tempus patefactionis a Deo datæ; ge-
368. nuina τῆς ἐφοδοξίας & αἱρέσεως notio; possibilitas mysterii sacrosanctæ Trinitatis, quod & adversus problema algebraicum

cum vindicatur, & exemplo quodam arithmetico illuſtratur; Pag. 371
poſſibilitas myſterii τῆς ἐνανθρωπήσεως Servatoris, quæ con- ſeq.
tra irriſores defenditur; neceſſitas ſanctitatis Chriſtianæ; præ- 373 ſeq.
ſentia Chriſti in S. Cœna, ubi & hujus neceſſarius, idemque 378 ſeq.
dignior, uſus, verba item inſtitutionis, enodantur, dubiumque 374 ſeq.
ſimul illud removetur, qui fieri poſſit, ut corpus & ſanguis 380.
Chriſti in pluribus locis ſimul accipi queat; poſſibilitas reſur- 381 ſeq.
rectionis mortuorum; exiſtentia malorum angelorum, ex S. 382 ſeq.
Scriptura tantum, quæ ſapienter eam declarat, patens; exiſten- 383.
tia ſummi Numinis, quæ ex ordine ac ſerie cauſarum atque 417 ſeq.
effectuum naturalium, nec non ex finibus naturæ, ſimpliciter 420 ſeq.
& aperte demonſtratur, remota *idea innata Renati des Cartes*, 363.
& fortuita atomorum Epicurearum concurſione; exiſtentia 421.
providentiæ, cœli, & inferni, quin etiam immortalitas animi 423 ſeq.
humani, quæ ex eſſentiali, eamque ob cauſam divina, homi-
nis cupiditate perfectæ cujusdam & æternæ felicitatis ſumta eſt,
& cum generatim de hominibus probis, tum improbis, robo- 431 ſeq.
rata; divinitas Scripturæ S., cum qua tamen demonſtratione 434.
interior Spiritus demonſtratio amico fœdere copulanda. Dici 29. 444.
non poteſt, quantum detrimenti ex inſcientia, quando hæc in
ſanctioris ordinis viris reperitur, in ſanctiorem redundet civi-
tatem. Iſtud hic perquam notabili exemplo *Nic. Antonii* il- 355.
luſtratur, qui, cum ad Judæorum caſtra clam tranſierit, ſa-
cro tamen in reformato cœtu officio, per aliquot annos, mi-
ſere functus eſt. Hujus hominis vita & mors ſummatim de-
ſcribitur, &, qui ſacris apud nos rebus præſident, cavere ju-
bentur, ne ejus ſimiles ſanctioribus muneribus præficiantur.
In remediis, morbo ignorantiæ opponendis, *Catechetica inſtru-
ctiones* numerantur, quæ quo modo inſtitui debeant, lectiſſi- 390.
mo hic exemplo docetur. Dubia, quæ veritati Chriſtianæ re-
ligionis objiciuntur, ſunt maxima ex parte *dubia ignorantiæ*.
Ex hac naſcuntur alia, ut: *ſcepticiſmus*, *indifferentiſmus re-* 396 ſeq.
ligionum, *opinata perfectio naturalis religionis*, *enthuſiaſmus*,
atheiſmus, *licentia libere cogitandi Deiſtarum*, *hæreſes*, & *fa-
ctiones*; quo inprimis myſterium impietatis, in *Herrnhuthiana* 405.
ſocietate occultum, refertur. Quo loco novam rationem,

Pag. 399 cur neceſſaria divina revelatio fuerit, reperimus. Ornat hanc
ſeq. tractationem demonſtratio ſolida, qua cupiditas perfectæ &
428,429. æternæ felicitatis in homine re vera eſſe & exiſtere vincitur.
Accedit demonſtratio, qua certi reddimur, eam a Deo ſuam
429. accepiſſe originem. Anquiritur porro, an & quo ea ſenſu *infinita* nominari queat, immo & planiſſimum redditur, quod eadem vehementiſſima, &, in hac quidem vita, inexſatiabilis, reperiatur. Ubi & hoc oſtenditur, varias cupiditates ex illa
430,433. eſſentiali hominis cupiditate per errorem natas eſſe, dum homines vanitati famulantes in honore, aut opibus, aut denique voluptate, hanc, in præſenti vita, exſatiari poſſe, credunt.
446. *Cap. II* de *incredulitate* exponit, cujus natura cum cura evol-
453,456. vitur, & nervi omnes inciduntur. Contra *atheos* demonſtratur, religionem fraudibus ſacerdotum origines ſuas haud debere, ſed ejus primam revelationem divinitus conceſſam eſſe.
454. Qui totali favent incredulitati, bina, quæ infinito a ſe intervallo disjuncta ſunt, turpiter confundunt, nimirum *ſuperſtitionem* & *religionem*. In illa inveniunt *oracula* & *miracula*, quæ vaferrimi hominum finxerunt. Hæc autem cum *religione*, hujusque veris ac divinis *oraculis* ac *miraculis*, confundunt. Ex quo accidit, ut, cum *ſuperſtitionem* ſpernere debeant,
478. ipſam contemnant religionem. In *Cap. III* de *vitioſa credulitate* inſtituitur tractatio, cujus & natura, & cauſæ, & reme-
505,593. dia, conſiderantur. *Caput IV*, quod ſequitur, eſt unum iterum ex iis, quæ longiorem ſibi meditationem vindicarunt. Index ejus hic eſt: de *abuſu rationis* ad *paralogiſmos in rebus fidei ac religionis*. Nulla hic occurrit notio, quin enucleetur. Plurima quoque ejusmodi paralogiſmorum recitantur exempla, indicata eorum *falſa* vel *forma*, vel *materia*, vel utraque, quam leges artis ratiocinandi docent. His etiam remedia uti-
540,546. lia, in quorum numero *catechetica* iterum *inſtitutio* habetur, opponi debent. Vinculum rerum, quæ hoc loco declarantur, interiorum impulit Summe Vener. Autorem, ut confuta-
548,589. tionem binorum famoſorum libellorum, qui A. 1743 Amſtelodami, ſicut index præ ſe tulit, re autem vera Berolini, in lucem editi ſunt, inſereret. Unus eſt: *Rationales cogitationes de*

uſu

uſu methodi ſcientificæ in Theologia. Alter: *Rationi conſentanea contemplatio factorum ſupernaturalium.* Utrumque hunc libellum S. Rev. *Wollius* eo ipſo anno in prælectionibus ſuis theologicis refutavit, ejusdemque refutationis compendiariam enarrationem illuc retulit. Non eſt diſſimulandum, ſed præ nobis ferendum, ad mota hæc ignorantiæ dubia tanto rationum pondere & efficacitate reſponſum eſſe, nihil ut ſupra poſſit addi. Cum vero a re noſtra propoſita ſejunctum ſit, ipſam verboſius recenſere confutationem; in optatis nobis foret, ut ea ſeparatim formis deſcriberetur, quo plurium hac ratione uſui ſerviret. Ut cetera taceamus, exſtat hic demonſtratio neceſſitatis ſatisfactionis, a Deo, hominem induto, præſtandæ, indeque ductæ neceſſitatis divinæ revelationis, quæ methodo ſcientifica nititur; & conſideratio *novæ telluris theoriæ Whiſtonianæ*, qua, fieri haud poſſe, probatur, ut cometa diluvii autor fuerit. In *Cap. V* de *vitioſa curioſitate*, *ſcindique cupiditate*, & nimia rerum terrenarum admiratione atque æſtimatione, diſputatur. Atque hoc eximium argumentum haud ſegniter dilucidatur, & exempla, quæ iſtud illuſtrant, non ſine delectu recitantur. *Cap. VI* de *malis cogitationibus*, & *de ideis imaginationis, cum iis connexis*, agit. Harum variæ ſunt ſpecies. In uſum hujus tractationis bina eximia Philoſophiæ capita, unum *Lockii*, de *connexione idearum*, alterum *Malebranchii*, de *communicatione imaginationis*, convertuntur. Finem huic *Parti* imponit *Caput VI* de *vitioſa oblivione.*

Pag. 555. 577 ſeq. 596-624. 625. 629 ſeq. 646.649. 650 668.

Partis II ſpecialis *Sectio II* de *corruptelis conſcientiæ*, ejusque *Caput I* de *falſa conſcientiæ tranquillitate ſceleratiſſimorum hominum*, qui ἀμαρτωλοὶ in ſacris tabulis vocantur, diſſerit. Sunt quidam clariſſimi Theologi morales, quibus *ſtatum irregenitorum* in *ſtatum ſecuritatis & ſervitutis* dividere placuit. Ab his ſuam ſejungit ſententiam Cel. *Wollius*, & *homines improbos*, prælucente Aug. Conf. in *hypocritas* & *apertos peccatores profeſſosque* diſtribuere maluit. Syllogiſmus conſcientiæ practicus, &, quæ illuc pertinent, reliqua, ſtudioſe hic declarata leguntur. In *Cap. II* de *falſa conſcientiæ tran-*

669. 670. 673 ſeq. 692.751.

tranquillitate hypocritarum, id eſt, ſimulatæ & externæ ſanctitatis cultorum, pluribus exponitur verbis. Hæc tranquillitas deſcriptius enodatur, & exempla, quibus ea illuſtratur, in loco uſurpata ſunt. Solent homines, qui pietatem ſimulant, maxima peccata, ſine ullo mentis violatæ ſenſu, committere. Exempli loco *profanatio diei Solis* eſſe poteſt. Hinc occaſio
Pag. 716- S. Rev. Autori oblata eſt, copioſam de *divinitate diei dominica* commentationem elaborandi, quæ hoc ipſum *Caput*, ſi quid
729. aliud, ornat. Diſtribuit *cives Eccleſiæ Dei* in *patres*, qui πατριάρχαι dicuntur, in *Judæos*, & *Chriſtianos*. Eccleſia *patriarcharam* ſeptimum diem, id eſt, diem Solis, Deo ſacrabat, ipſo Deo jubente. *Adamus* primus eum diem ſanctum habuit. Namque dies ſeptimus erat primus ac plenus vitæ ſuæ dies, a quo dies, menſes, & annos, numeravit. Erat hic *dies* re vera *ſeptimus*, quia ſex præcedentes dies creationis ſequebatur. Idem vero *primus* quoque *primæ hebdomadis dies* erat, a quo tempus vitæ ſuæ primi ducebant homines. Hunc vero ipſe creator ſummus cultui ſuo deſtinabat, *Gen. II, 1, 2, 3.* Itaque ſeptimus, idemque primus perfectus, hoc eſt, ex die nocteque conſtans, dies, *Gen. I, 24 ſeq.* quem *Adamus* vixit, primum ſolenne Sabbathum fuit, Deo conſecratum. Hunc omnes Patriarchæ ſequentes celebrarunt, ipſique plurium Numinum cultores, ad quos fama hujus divini diei perlata eſt, eum, tanquam ἑορτὴν πάνδημον, feſtum egerunt, *diem*que *Solis*, propterea, quod eum *Soli* dicabant, nominarunt. Atque ſiæc cauſa fuit, cur ipſe Deus *in locum ſeptimi diei ſextum* ſufficeret, quem ab Eccleſia *Judæorum* celebrari voluit. Lex moralis ac univerſalis *diem* præſcribit *ſeptimum*, id eſt, *ipſum Solis* diem, *Exod. XX, 11.* Sed Deus, ſingulari, quam commemoravimus, cauſa impulſus, ſolis Judæis *ſextum* inculcavit, & ſuo honori ſigillatim ſacrum eſſe voluit, adjunctis quibusdam cerimoniis, quæ cultum Vet. Teſt. *Leviticum* palam redolent, *Devt. V, 12-15*, coll. *Exod. XII, 16, 18.* Tandem vero primum illum, ab *Adamo*, & antiquis veri Dei cultoribus, celebratum, Solis diem, in lege morali omnibus hominibus præſcriptum, *Eccleſiæ Chriſtianorum* ipſe ſummus reſtituit Ser-

vator,

vator, in vitam revocatus. Hæc omnia magna veri ſpecie ornat S. R. *Wollius*, atque ex hac divina diei Solis origine *vim* Pag. 725.
obligandi ducit, quam habet ille, ut omnes ipſum homines ſanctiſſimo ritu obeant. Quo ill[illegible]loco celeberrimas illas *de* 726.
jure Sabbathi lites, ſub hujus Seculi principium agitatas, valde improbat, A. C. ejusque Apologiam ſibi conciliat, inpri- 727 ſeq.
misque ſacras Eccleſiæ Britannicæ leges, quas acutiſſimi ejusdem Theologi erudite vindicarunt, huic ſententiæ favere, oſtendit. Fanatici morum doctores conſcientiam hominis pro unica actionum norma venditant, pluresque alias eidem laudes tribuunt; id quod Autor Epiſtolarum *de Religione hominis eſſentiali*, Gallica lingua exaratarum, & Amſtelodami A. 1738, 8, 730.
editarum, præ ceteris facere conſuevit. Præmiſit idem, qui putatur, Autor alia quædam fanatica ſcripta, quorum hic in- 731 ſeq.
dices nominantur. In his jam antehac primarias quasdam Chriſtianæ religionis veritates de medio ſuſtulit, & ſimilium, quos poſtea in dictis Epiſtolis propoſuit, errorum ſemina ſparſit. Verum in iis moralibus Epiſtolis omnem impietatem ſuam in Chriſtianam, imo & naturalem, religionem evomuit. Totum vero, quod ipſe hic ſtabilivit, religionis ſyſtema nihil eſt aliud, quam Deiſticum Jus Naturæ, cujus principium prava eſt *philautia*. Ex hac quædam in *alterum* manare debent, quæ nobis videntur, non ea, quæ nobis aliqua obligatio imperet. Officia vero *erga Deum* plane evaneſcunt, quoniam ipſe eſt ens ſibi cummaxime ſufficiens ac perfectiſſimum, eamque ob cauſam a nobis requirere nequit, ut pie vivamus. Quaſi quis unquam docuiſſet, Deum eo conſilio colendum eſſe, ut ejus infinitæ perfectioni nonnihil accedat. Ita credulos homines hodie ludificantur Deiſtæ, & robuſti, qui vocantur, ſpiritus. Nulla in his Epiſtolis Philoſophiæ cultioris, ſed multa fanatici vafrique ingenii, quoquo nos vertimus, perſpiciuntur veſtigia; quemadmodum S. Rev. *Wollius* aperte oſtendit, qui in coercenda hominis petulantia multus, atque adeo totus, fuit. Utinam hæ *Epiſtolæ*, a Cel. *Wollio* confutatæ, cum illis *duobus*, quos ſupra memoravimus, *famoſis libellis*, in unum volumen coactæ, ſeorſim typis exſcriberentur! Sunt,

qui

Pag. 749. qui putant, virginem *Hubertam*, quæ cum parentibus ſuis primum Genevæ vixiſſe, deinde vero Lugdunum habitatum conceſſiſſe, dicitur, earum Epiſtolarum Autorem eſſe. At S. 750 ſeq. Rev. *Wollius* conjectura, quam belle exornavit, ducitur, Autorem quendam *Muraltum* eſſe *Helvetum*, qui ordines in militia duxit. Fuit is principio unus ex famoſi *Dippelii* diſcipulis, qui in prima claſſe ſedit, poſtéa vero ex fanatico homine *Deiſta*, imo fere *atheus*, evaſit. Nec mirum profecto. Ille quoque *Edelmannus*, qui profana rerum divinarum irriſione hodie ſe nobilitavit, initio *Dippelianus* fuit, hodie vero *Spinozæ* nomen dedit. Atque, in hoc homine malitia ingeſſio freta quid 752. efficere poſſit, videtur experta. *Partis II* ſpecialis *Sectio III* enodationi *corruptelarum voluntatis atque affectuum* deſtina- 753-784. ta eſt, & ex *V Capitibus* conſtat. *Cap. I* agit *de voluntate, per vanum ſui ipſius & mundi amorem corrupta.* Quo quidem loco *philautia* ex principiis philoſophicis & theologicis 753,758. curate declaratur, prava illa ἐπιθυμία, *Rom. VII, 7, Jac. I, 14, 15*, ipſa eſſentialis, quæ in homine ineſt, ſummi boni, hoc eſt, perfectæ æternæque felicitatis, cupiditas hodie corruptiſſima, eſſe probatur. Ex hac depravata voluntate cum *repugnantia malitioſa* exiſtat; conſequens eſt, ut in ejus ſalutari 785-809. emendatione princeps & maxima cura ponenda ſit. In *Cap. II* agitur *de voluptate, primo affectu cardinali voluntatis cor-* 810-832. *ruptæ*, in *Cap. III de ambitione, ſecundo affectu cardinali voluntatis corruptæ.* Ubi occaſio ſe obtulit S. Rev. Autori, locum 823 ſeq. illum eximium *M. Aurelii Antonini, τῶν εἰς ἑαυτὸν Lib. XI §. 3*, qui vexationem Lugdunenſium Chriſtianorum reſpicit, iisdemque ψιλὴν παράταξιν exprobrat, eleganter declarandi. 833-851. *Cap. IV de avaritia, tertio affectu cardinali*, & *Caput V*, idem- 852-862. que ultimum, *de permiſtione horum trium affectuum cardinalium*, exponit.

Hæc igitur morum præcepta, in Auguſtana Confeſſione tradita, ſtilo culto, facili, amœno, erectoque, interpretatur, & ſolide ſimul demonſtrat S. R. Archidiaconus noſter. Oſtendit is ubique, quemadmodum hæ explicatæ animi corruptelæ fontes & cauſæ externorum vitiorum, impiæque vitæ, ſint, quæ

in

in Christiano dominatur orbe; cuique *Capiti* præmisit argumentum, & discrimen naturæ & gratiæ singula finit *Capita*. In hac tota pertractatione variæ res inveniuntur, quas quidem tardiora ingenia hic minime quærerent, lectoribus autem, qui varii sunt, utiles & jucundæ, neque a causa, quæ agitur, secretæ, sed cum hac ipsa amice copulatæ. Illuc pertinent tot philosophica, philologica, literaria, poetica, & alia, quæ elegantiores sibi literæ vindicant; multa item, quæ Historiam philosophicam & Christianæ civitatis illustrant. Cel. Autor Theologiam cum vera, quæ nulli familiæ addicta est, Philosophia, uti semper solet, hic etiam conjunxit, & rationi purgatæ, ac S. Scripturæ, imo & naturæ & gratiæ, debitum posuit pretium, & etiam atque etiam cavit, ne aliena cæderet vineta. Unius veritatis, philosophicæ ac theologicæ, habuit rationem, sed ei mascule, pro ea insigni & acri, qua valet, judicandi facultate, adfuit. Cum multi hodie Aug. Confessionem spernant; optandum esset, ut, ipsius Autoris cura, hæ Commentationes Latine verterentur, quo & exteri eas legere valerent, & Christianam morum doctrinam, qua nihil præstabilius est, in A. C. propositam, inde discerent. Ceterum quatuor subjiciuntur Indices, *Autorum* nempe, *dictorum*, & *verborum explanatorum*; Index vero *rerum* magna cum cura confectus est, & ad usus sanctiores accommodatus. Dedicatus est liber Illustrissimo Comiti *de Holtzendorf*, qui sacris in Saxonia rebus hodie præsidet; præfixaque Autoris imago. Charta est pura & elegans; literæ sunt novæ ac politæ; nihilque, ut breviter dicamus, ornamenti externæ libri formæ deest, quod ab arte in eum proficisci potuit.

Joh. David Köhlers, P. P. im Jahr 1740 wöchentlich herausgegebener Historischer Müntzbelustigung zwölffter Theil, ꝛc.

hoc est,

JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. PARS XII historicorum ex Numis oblectamentorum, Anno 1740 vi-

cibus hebdomadarum editorum, in qua varii memorabiles ac rari Joachimici, Ducati, & Metalliones, nec non alii ſingulares aurei argenteique Numi ætatum variarum, numero LXIV, curate in æs inciſi, deſcribuntur, ac hiſtoricis ex monumentis plene exponuntur. Præfationis locum tenet decima continuatio ſciagraphicæ Thalerorum collectionis.

Noribergæ, apud Chriſtophori Weigelii ſenioris, Chalcographi, viduam, 1740, 4.

Alph. 3.

Oblectant nos jure & conſpectu ſuo hæc oblectamenta, quoties *Partis* eorum novæ in *Actis* noſtris rationem habemus. Dodecas jam illorum prodiit in lucem, necdum apparatum ſuum exhauſit Cel. Autor. Candor hiſtoricus, & lectionis multijugæ abyſſus, utramque faciunt paginam. *Tomum* hunc ſacravit Perill. *Rudolpho Joanni de Wrisberg*, Libero Baroni, Conſiliario ſtatus publici Electoralis Brunſuico-Luneburgici intimo, cujus haud ſecus ac patris avique, *Wrisbergiorum*, merita cedro digna ſuccincte expoſuit. In Præfatione diſſeruit de Thaleris Principum Sileſiæ, quos feriri juſſerunt Epiſcopus Vratislavienſis, Ordines Evangelici, Duces Lignicenſes ac Brigenſes, Munſterbergenſes & Oelſenſes, Saganenſes, Troppaviæ & Jægerndorfii, nec non Teſchinii. Sub initio *Tomi* ſequentis de Thaleris Comitum *Sileſiæ* ſeſe acturum eſſe, promiſit liberaliter. Paginam tituli exornavit duorum Numorum Judaicorum, eorumque conjugalium, iconibus, quos deſcripſerat *Part. I pag. 91 n. VI*, & *pag. 76 n. VIII. Tenzelius* ſæpius eorum meminit. Autor, hoſce ex officina eadem prodiiſſe, arbitratur. Ipſa oblectamenta exorditur a Numo *Pauli Jovii*, Comenſis, Epiſcopi Nucerini, A. 1552 percuſſo. Hiſtoriographi iſtius celeberrimi natalem in A. 1483, 19 April. incidere, oſtendit, vitamque ejus & apologiam exhibet. Quæ
Pag. 9. ipſa tractatio ſeſe ſingulari veritate commendat. *Jovii* metallionem excipit rariſſimus *Hermanni Egonis*, primi Principis Fürſtenbergici,

ſtenbergici, Thalerus ad A. 1670. Vitam & tabulam ejus genealogicam, equeſtri ratione concinnatam, idem ſubjecit. Attentione dignus eſt Numus mnemonicus, quo *Maximilianus*, Dux Bavariæ, dignitatem Electoralem, A. 1623 obtentam, celebravit, & ad poſteros transmiſit. Eleganter & ſolide ad hunc Numum differit ex Imperii Germanici hiſtoria de fundamentis Bavarici Electoratus, ac de controverſia Palatinorum cum Bavaris, eam ob cauſam agitata. Haud recuſat ipſe jura Ducum Bavariæ, prælucente hiſtoria, firmiter conſtabilire. Qui ſequitur, Thalerus, ad *Fridericum* Cardinalem, Epiſcopum Wratislavienſem, Darmſtadinum Landgravium, eſt referendus. Excipit eum Numus ſepulcralis *Ottonis Ludovici*, Comitis Schœnburgenſis, ad A. 1701, quem Autor illuſtrat eleganti de originibus Schœnburgenſium Comitum Commentario. Succedit ei Thalerus primi Principis, *a Schwarzenberg* appellati, *Joannis Adolphi*, ad A. 1682. Vitam ejus & dignitatem, ab Imperatore reportatam, Cel. Vir egregie ſolideque, id eſt, pro more, recenſet. Proximus illi eſt nitore & venuſtate commendabilis Thalerus, juſſu Epiſcopi Auguſtani *Alexandri Sigismundi*, Palatini Comitis ad Rhenum Neoburgenſis, cuſus. Hujus latus claudit Thalerus *Joſephi Joannis Adami*, Principis ac gubernatoris Lichtenſteinenſis, ad A. 1728, cujus pater *Antonius Florianus* A. 1713 in Principum imperii conſeſſum fuit introductus. Memoriam *Alberti Erneſti* primi, Principis Oettingenſis primi, ac dignitatis, ab eo obtentæ, Principalis ſervat, colendamque offert, Thalerus mnemonicus, A. 1675 percuſſus. Ratior eſt Metallio *Wilhelmi III*, Epiſcopi Argentoratenſis, Comitisque Hohnſteinenſis, ad A. 1526, cujus vitam & progenitorum ſeriem Cel. Autor pro more expoſuit. Memoratu dignus eſt rarus ille Thalerus, quo ſponſalia *Caroli*, Principis Electoralis Palatini, ac *Wilhelminæ Erneſtinæ*, Regiæ Principis Danicæ, ad A. 1671 exhibentur, quæ minus proſpere ceſſerunt ob *Rüdinam de Collenberg* a *Carolo* æque aſſumtam. Addit Autor hiſtoriæ gamologicæ ſummam, ex *Daphnæi Arcuarii* libro depromtam. Hinc lectori offert *Bernhardi III de Glæſſ*, Epiſcopi Tridentini, ad A. 1520 rarum Metallionem. Epi-

Pag. 17. 25. 33. 41. 49. 57. 65. 81. TAB. VI Fig. 1. Pag. 89.

ſcopi illius de errantibus reducendis judicium calculo albo
Pag. 93. prorſus eſt dignum. Allicit porro oculos icon Numi, qui memoriam hæreditatis Oldenburgicæ, ab Imperatore adjudica-
97. tæ *Auguſto*, Duci Holſato-Plœnenſi ac Norburgenſi, ſervat, ad A. 1676. Executus fuit Cel. Autor controverſias, de adeunda hæreditate ultimi Comitis Oldenburgici ortas, loco illuſtrationis. Deinceps Numum aureum Electoris *Caroli Ludovici*, Comitis ad Rhenum Palatini, præbet viſendum, cujus in averſa Symbolum exhibetur ſingulare, & adjectis inſigne
105. verbis: *Juvet prudentia ſortem.* Numus *Hieronymi Comitis Portiæ*, Epiſcopi Adriæ, A. 1607 cuſus, ſymbolicus eſt peræque, quem diatribe de illuſtrioribus Comitibus Principibus-
121. que Portienſibus adjuncta reddit memoratu digniorem. Succedit ei *Philippi Magnanimi* rarior Thalerus, A. 1538 factus. Haud tralatitia ſunt ea, quæ Eruditiſſimus interpres ibi de ori-
129. gine leonis Haſſiaci heraldica ediſſeruit. Hinc ſpectandus exhibetur ab eodem Numus mnemonicus, demonſtrans felicem Erfurti ingreſſum *Anſelmi Franciſci Erneſti* Liberi Baronis *de Warsberg*, hinc inde Canonici Capitularis & Præpoſiti, ad annum 1732. Percenſet ad Numum quodammodo *illuſtrandum* Autor jura Reverendiſſimi & Sereniſſimi Electorum Moguntinorum in urbem Erfurtum, additque Liberi illius Baronis progenitores illuſtres. Sequens hebdomas offert quatuor urbis Erfurti Numos, & *numulorum liberorum* expoſitio-
145. nem. Excipiunt eos duo Ducati, alter Regis Danorum *Chriſtiani IV* rariſſimus & genuinus ad A. 1647, alter Hollandicus adulterinus ad A. 1736. Illuſtratio adjecta ſpectat ad rem
153. numariam Norwegicam & Germanorum auratam. Succedit eis rarus unilateralis Metallio *Wilhelmi de Grumbach*, proſcripti ad A. 1567, ejusque vita haud unius fortunæ. Dolet Autor ejus merito vicem, nonnulla defendit, ac, meritorum patris rationem nullam habitam fuiſſe in exacerbata pœna filii, ſolide monet. Adjunguntur ei duo quadrati Numi, Gothæ A. 1567
169. intra obſidionem cuſi. Ad Thuringiam præterea referendus eſt Numus, quo Erfurtana Academia A. 1692 tertium ſuum Jubilæum confirmavit, poſteritatique prodidit. Recenſetur in

expoſi-

expoſitione Academiæ Erfurtanæ viciſſitudo hiſtorica. Spectatoribus dignus eſt æque *Maximiliani I* Belgicus dimidius Regalis ad A. 1487, ſiquidem is rariſſimum ejus monogramma in poſtica ſuppeditat viſendum. Poſt *Maximilianum I* Cæſares monogrammata haud amplius adhibuerunt, & præter unum *Maximiliani* Diploma, A. 1512 datum, ſupereſt nullum, in quo illud exſtet. Rarus eſt Numus mnemonicus *Henrici Hopfen*, Jurium Profeſſoris Erfurtani, & Præpoſiti ad S. Mariæ, A. 1570, qui Gandershemii natus, & A. 1573, 14 Dec. mortuus, variа inopum Studioſorum, inprimis Gandershemenſium, levamenta, quæ vocant ſtipendia, fundavit. Vocat nos paulo poſt Thalerus *Anshelmi Caſimiri*, Archiepiſcopi & Electoris Moguntini, ejusdemque vita & genealogia. Rarus eſt Numus mnemonicus, qui *Abrahamum de Schœnberg*, Electoralem Saxonicum Conſiliarium intimum, exhibet, cui genus & vita ejus annectitur. Proximus ei eſt Thalerus glorioſiſſimi *Friderici III*, Ducis Holſato-Gottorpienſis, ad A. 1626. Thalerus ſuccedit *Georgii II*, Regis Angliæ & Electoris Brunſuico-Luneburgici, glorioſiſſime regnantis, cui edictum ejus numarium additur. Hunc excipit Metallio *Joannis Friderici II*, Ducis Gothani, ad A. 1576, qui annos 28 in captivitate imperiali ſeſe continuit. Metalliones duo ſequentes ſpectant ad Regem Poloniæ, *Sigismundum III*, ejusque uxores duas, ſorores, & Auſtriæ Archiducum filias. Ad res Polonicas perinde referendus eſt rarus mnemonicus Numus, quo *Vladislaus V*, Rex Poloniæ, Smolenskoviam, A. 1634 a ſeſe ereptam obſidioni, illuſtravit. Adjunxit ei Autor belli Ruſſici, exorti & compoſiti, enarrationem. Numulus Altenburgicus, qui ſequitur, tres haleros æquat, in antica crucem, in poſtica manum expanſam, repræſentans. Hunc Cel. Autor pro halero habet Altenburgico. Seculo enim XIV haleris crux & manus aſſignata fuit, & Altenburgo, urbi olim imperiali, jus fuit monetæ. Burggravii Altenburgenſes inſignis gentilitii loco adhibebant roſam, cujus figura manui apparet impreſſa in hoc ipſo Numo. Manus eſt fidelitatis & ſubjectionis, crux vero imperii Germanici, ſignum. Sed progrediendum eſt ad alia. Viſendus enim nobis traditur

Pag. 177. TAB. VI. Fig. 2.

Pag. 185.

193.

217.

233.

241.

249.

257.

263.

Thalerus tutelaris Ducis Wirtenbergici *Ludovici Friderici* ad A. 1629, qui progeniem Mumpelgardicam sevit. Rarior au-
Pag. 273. tem est Metallio dejecti Cancellarii supremi Electoralis Saxonici, *Wolfgangi Diterici*, Comitis Beichlingensis, ad A. 1702, cui ejus vita & genealogia accedit. Hunc excipit Numisma *Michaelis Hospitalii*, Cancellarii Galliarum famosissimi, ad annum 1560 circiter rejiciendum; & aliud, quod refert Præsidem Parlamenti Parisiensis *Wilhelmum de Lamoignon* ad
289. A. 1679. Accedit Numisma, quo catarrhactæ Sluisenses, per Comitem *de Monterey* A. 1675 denuo patefactæ, illustrantur.
305. Raritate sese commendat Thalerus *Joannis I*, Comitis Palatini ad Rhenum, primi religionis Reformatæ Principis Bipontini, ad A. 1600 circiter. Rarus est æque Thalerus *Joannis* Baronis
313. *de Bernstein*, possessoris hypothecarii Comitatus Glacensis, ad A. 1540; ac Thalerus *Alberti V*, Ducis Bavariæ, ad A. 1557. *Vladislaum Sigismundi*, Principem juventutis regium Polonicum, A. 1610 electum Russiæ Czarium, sequens repræsentat
329. Numus mnemonicus. Tunetum A. 1573 celerrime a *Joanne* Austriaco, *Caroli V* notho, expugnatum, Numisma illustrat,
337. in cujus postica leguntur hæc: *Veni & vici.* Excipit illud rarior Thalerus Ducis Meclenburgici, *Adolphi Friderici*, qui progeniem Suerinensem condidit, ad A. 1642. Numisma ei
353. proximum repræsentat *Andream Teufels de Gundersdorff*, Tribunum militarem equestrem Cæsareum, & A. 1566 cusum
361. fuit. Historiam Brunsuico Luneburgicam illustrat Numus *Wilhelmi* senioris, qui progeniem Harburgensem clausit, sepulcralis, A. 1642 percussus. *Societas Alethophilorum, ab* Ern.
TAB. VI *Christophoro S. R. I. Com. de Manteuffel instituta Berolini A.*
Fig. 3. *1736* numi mnemonici ope in memoria hominum viget. Cœ-
Pag. 369. litibus adscriptus est *Carolus Borromæus*, Purpuratus Romæ, & Archiepiscopus olim Mediolanensis, cujus Numisma terricolæ
377. hic spectando prosequuntur. Huic sodalem associavit inclytissimum ætatis nostræ Philosophum, *Christianum Wolfium*, numo *Dassierii*, Genevensis, expressum. Ad societatem Alethophilorum illustrandam Cel. Autor de controversia, quæ *Christianum Wolfium* & *Joachimum Langium* intercesserat, fuerat commen-

tatus.

tatus. Ad numum vero *Wolfii* exhibet ſatyricam larvati cujusdam hominis epiſtolam, qui ſeſe *Aletophilum*, alienæ laudis deſtructorem potius, appellavit. Divinando aſſequi licet plerisque, quis epiſtolæ ſit autor. Recolimus memoria illud *Diogenis*: *Calco Platonis foſtum*, & illud *Platonis*: *ſed majori faſtu.* Sed quidni feſtinamus ad Numiſma præſtantiſſimum, quo Archiater Pontificius, *Marcellus Malpighius*, ad A. 1693 repræſentatur? Deploranda ſunt fata D. *Chriſtiani Brück*, Cancellarii Saxo-Gothani, qui Numiſmate viſitur hic expreſſus. Quod ipſum ſequitur Numiſma, denuo Ill. *Chriſtianum Wolfium* repræſentans. Adſpergitur ei denuo larvati illius Anti-*Wolfii* epiſtola quædam, qui rationes exponit, cur Philoſophia *Wolfiana* ad tantum approbationis publicæ faſtigium ſit evecta, & cur is, qui Theologiam apodictica penes ipſum ſcripſit methodo, nonnunquam lectores ad Logicam & Ontologiam Ill. *Wolfii* remiſerit. Superſunt pauca, a nobis expedienda. Omittendus haud eſt rarus Florenus aureus Ducis Pomeraniæ *Philippi II* ad annum 1614, quem Cel. *Schulzius* illuſtravit. Succedit illi Numiſma, *Sigismundi III* Regis Polonorum, ac Reginæ, uxoris prioris, *Annæ* Auſtriacæ, vultum memoriamque referens; & Numus, expugnatæ Smolenskoviæ ad A. 1611 memoriam repræſentans. Varias hic Cel. Autor intexit emendationes & ſupplementa, locumque dat tertium *Aletophilo* ſuo larvato, qui leges ſocietatis *Aletbophilorum* Berolinenſis ſub limam vocat *Holmannianam*, nec ferre poteſt Theologorum doctrinam, docentium, Deum mala haud permittere niſi ſapientiſſimas ob rationes, ac ne ipſe bona alia impediat majora. Qui, Deum eſſe minus præſcientem, & intellectu finito præditum, credunt, illis illa mali permiſſio ſordet. Sed controverſiæ abſint a nobis philoſophicæ. Et ſuffecerint hæc in præſens.

Pag. 393. 401. 410. 417. 425. 435.

LUCUBRATIONES ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI THEOPHANIS PROKOPOWICZ, quæ (præter unam narrationem) jam Orationes, jam Poemata, jam Epiſtolas, in ſe comprehendunt. Nunc primum in unum corpus collectæ, & in publicam lucem editæ.

Vratis-

Vratislaviæ, apud Jo. Jacobum Korn, 1743, 8 maj. Plag. 11 ½.

Non ſolum Ruſſis ſuis, ſed & nobis Germanis, atque omnibus omnino literatis, pergratum fecit doctiſſimus harum eminentiſſimi Viri lectiſſimarum lucubrationum Collector. Tribus ſe potiſſimum ad id faciendum cauſis eſſe impulſum, profitetur; tum quod Autor poeta & orator ſit excellentiſſimus, tum quod varietas hic delectet, tum quod *Petri* magni laudes decantentur. Nos autem habemus, cur & triplices ipſi gratias agamus. Non omnino id ſine cauſa fieri, vel exigua Commentationum luſtratio docebit. Quæ primum locum occupant, ſunt lachrymæ *Roxolanæ*, ſeu de obitu *Petri*, magni totius Ruſſiæ Imperatoris, brevis narratio, duæque de laudibus ejusdem divi Principis Orationes. Opponitur illa narratio, ab oculato teſte facta, falſis nonnullorum, atque ex rumore collectis, relationibus. Morbus, quo *Petrus* ereptus eſt, fuit ſtranguria, ſeu urinæ ſtillicidium cum acerbo dolore, & continua ſtimulatione. Eo ſub finem adhuc anni 1723 tentari cœperat. Qua moleſtia ut ſeſe expediret, ad martiales, quas vocant, aquas, quæ in regione Olonetz dicta ſcaturiunt, quo & *alias itare* conſueverat, ineunte ſequentis anni vere, conceſſit, hinc ad alias Moſquam. Ita per intervalla morbus, modo remittens, modo ingraveſcens, tandem, accedente totali urinæ ſuppreſſione, cum Petropoli eſſet, in lethalem veſicæ gangrænam deſinens, anno 1725, ineunte 17 Kal. Febr., fatales vires exſeruit. Tantaque ingruit lotii excernendi difficultas, ut *in aquæ ſtillicidio*, quod ſæpius proritabatur, acerbiſſimo dolore ægrotum excruciaret, & ille a maximis clamoribus, ferreæ alias vir patientiæ, temperare ſibi non potuerit. Tum dixiſſe eum ferunt: *vel ex ſemet ipſo ſatis conſtare, quam miſerum animal ſit mortalis homo.* Ipſe etiam, ut erat Anatomes peritus, de ſe agi ſentiens, paucis diebus poſt, ex quo decumbere cœpit, juſſit in majore palatii aula ſacellum, ex more, pro euchariſtiæ liturgia adornari, ipſeque peccata ſua Deo coram ſacerdote profeſſus, myſtica Salvatoris noſtri cœna religioſiſſime ſeſe refecit. Et, quo multos ad propitium ſibi Deum faciendum conciliaret, omnes in univerſo imperio, maieſta-

majeſtatis, peculatus, aliorumque criminum, reos (exceptis privatorum injuriis,) carceribus emitti, ſuppliciis liberari, multis repetundisque abſolvi, juſſit. Septimo Cal. Febr. cum periculoſius angeretur, Præſules ex Synodo, aliique, qui aderant, ſolitas ſuper ægrotum preces ac vota nuncuparunt, eumque ſacro oleo inunxerunt. Poſtridie acciti duo Præſules & Archimandrita, moribundum hortaturi, acceſſerunt. Ubi cum unus ex monitoribus mortem Chriſti, quæque per illam parta eſſent, recordari ſuaderet, cum ipſe alias de gratuita per Chriſtum juſtificatione peccatoris non raro in colloquiis amicorum copioſe ac docte diſſeruiſſet; ipſe mox inter acerbiſſimos dolores, cum potu antea fauces arentes humectaſſet, quaſi excitatus erigere ſeſe laboravit, balbaque jam voce, *id vero demum eſt*, inquit, *quod ſitim meam reſtinguat, unicum iſtud eſt, quod me reficiat.* Cum iterum monitor verba proferret, quæ apud Ruſſos accedentes ad ſacram Cœnam proferunt: *Credo, Domine, & confiteor, te eſſe Chriſtum, filium Dei viventis, qui veniſti in mundum, peccatores ſalvaturus, quorum ego primus ſum;* ſubjecit *Petrus*: *Credo, Domine, & confiteor*: *credo, Domine, adjuva meam incredulitatem*, ut & antea dixerat: *Credo, confidoque.* Cum hæc vultu ad lætitiam compoſito eſſet locutus, ad plura deficiens, annuendo ad alia, manumque nunc attollendo, nunc ad pectus applicando, reſpondebat. Tanta vero etiamnum corporis firmitudo erat, ut, tametſi per momenta ſpiritum efflare videbatur, tamen ad quindecim uſque horas cum morte fit luctatus. Interim vero, ſiniſtra dum hemiplexia, ſeu paralyſi, affecta jacebat, dextræ motu varia pii ſenſus indicia præbebat, & ſacram Cœnam repetebat. Quid poſt obitum factum ſit, quo modo imperium *Catharinæ* confirmatum, quæ aliæ acciderint converſiones, quam ſplendide fuerit Imperator elatus, longum foret omnia commemorare. Alterum locum occupat Panegyricus de celeberrima victoria, quam *Petrus* primus de univerſis Suecorum copiis A. 1709 die 27 Junii reportavit, Kijoviæ in templo cathedrali Sanctæ *Sophiæ*, ipſo *Petro* præſente, ejusdem anni die 10 Julii dictus, ac deinceps, ipſius pariter juſſu, typis exſcriptus. Dicitur autem

ibi facundiſſime tum de victi hoſtis robore, audacia, potentia, nec non de atrocitate belli illo præſertim extremo anno, tum indidem colligitur, quantus ſit, qui tot difficultates ſuperaverit, ille heros. Viro autem eloquentiſſimo digna ratione argumentum iſtud tractatur, Theologo digna, piis precibus, concluditur. Eandem poetices laudem meretur epinicium, atque ſermone Latino, Slavonico, & Polonico, expreſſum. Adjungitur Elegia Latina, ubi *Alexius* ille, fato exſtinctus immaturo, exilii voluntarii ſeriem narrat; & laudatio *Boriſthenis*, carmine heroico ſcripta. Tandem ſequuntur Epiſtolæ Ill. hujus ac Rev. Scriptoris, variis temporibus & ad varios amicos datæ, numero XVIII. Plures quidem multo earundem paſſim errant, ſed caruit Editor easdem nanciſcendi occaſione. Qui multam ſe ideo operam impendiſſe facile perſuadebit lectori; dum & in externa collectionis elegantia nihil deſiderari paſſus eſt, Lipſiæque apud *Bernh. Chriſtoph. Breitkopfium* Opus excudendum curavit.

JOANNIS ASTRUC, REGI A CONSILIIS medicis, Tractatus therapevticus.

Genevæ, apud hæredes Cramer & fratres Philibert, 1740, 8. Alph. 1 plag. 8.

Fœtus hic literatus, incerto adhuc parente uſus, in lucem editur. *La Mothe*, Medicus Monſpelienſis, primus libellum hunc librariis excudendum per literas commendavit. Quem ut vidit Medicus quidam Genevenſis, *Cl. Aſtrucii laborem* eſſe agnovit, & cum ſuo manu exarato exemplari contulit. Cum duo hæc exemplaria non adeo multum inter ſe differrent, ex duobus illis unicus poſthæc coaluit hic libellus, retentis etiam iis, quæ ex *Bærhaavii* Tractatu de viribus medicamentorum in *la Mothianum* exemplar translata erant. Duæ ſunt hujus opuſculi *Partes*, quarum *prima* de variis medicamentorum adminiſtrationibus, ſive formulis, breviter agit, *altera* varias & ſingulas indicationes, quæ diverſam medendi methodum poſtulant, tum & remedia, quæ ſingulis indicationibus ſatisfaciunt, proponit. *Partis* itaque *I Sectione I* de medicamentorum internorum compoſi-

compoſitione præcipitur, tum liquidorum, ut apozematis, juſculi, potionis, julepi, emulſionis, ſyrupi, ptiſanæ, looch, tum ſolidorum magis & ſiccorum, ut pulveris, boli, opiatæ, pilularum, fabellarum. *Sectio II* compoſitionem medicamentorum externorum explicat, quorum vel liquida forma, ut in fotu, aquis thermalibus, acidulis, linimentis, vel ſolida forma, ut in cataplaſmatibus, emplaſtro, veſicatorio, pomata, unguento, eſt. *Sectio* denique *III* compoſitionem medicamentorum attingit, quæ itidem dividuntur in liquida & ſolida. Ad illa pertinent clyſter, injectio, gargariſma, collyrium; ad hæc vero referuntur ſuppoſitorium, peſſarium & naſcale, ſternutatorium, & maſticatorium. Facile hinc apparet, formularum claſſes ſine neceſſitate interdum augeri, cum diverſis titulis diſtinguantur, quæ ſub uno alias ſatis commode comprehendi ſolent. Multæ etiam hic obveniunt, quæ alias in ejusmodi libellis non tractantur, formulæ, cum nunquam a Medico ex tempore præſcribantur, ſed in officinis jamjam paratæ proſtent, e. g. ſyrupi, looch, &c. Contra ea deſiderantur quædam formulæ, e. g. mixturarum ex variis eſſentiis, tincturis, elixiriis, ſpiritibus, &c. indies in noſtris terris concinnandarum. Sed ferri hæc facilius poſſent, modo plenior & accuratior eſſet cujuslibet conſcribendæ formulæ inſtitutio, unde tiro diſceret, quænam medicamentorum genera, & qua doſi, quave proportione, inter ſe commiſceri, & qua ratione medicamentum, inde emerſurum, parari debeat. Sed de his vel plane nihil, vel mancum quidquam & mutilum, traditur, ut eadem in aliis libellis longe accuratius enucleentur. *Altera* etiam *Pars* ita procedit, ut facile intelligatur, ultimam toti opuſculo limam & manum adhuc defuiſſe, idque inſcio Autore exire in lucem, ex manuſcripto codice, ad prelum certe initio non deſtinato. Quare etiam ſatis nobis erit, argumentum ejus ſummatim tantum repetere. De methodo itaque medendi Noſter præcepturus, eandem variis indicationum generibus accommodat. *Prima* itaque *Sectione* indicationes prophylacticas proponit, a cauſa morbifica deductas, & primo quidem loco indicationes, quæ a plethora repetuntur, ubi

& de ſanguinis miſſione, variisque ejus generibus, uſu, atque illis, quæ eandem poſtulant, vel prohibent, cautionibusque hic neceſſariis, agitur. Tum ſimili ratione indicationes, quæ a cacochylia oriuntur, vomitum, purgationem, & clyſteres, perquirit, & ad indicationes, quæ deſumuntur a cacochymia, progreſſus, fonticulos, ſetacea, atque veſicatoria, exhibet. *Sectione II* perſequitur indicationes therapevticas, quæ a morbo petuntur, & primo quidem loco eas, quæ a morbis partium ſolidarum deducuntur. Dividuntur autem illi in morbos partium ſimilarium, morbos partium ſolidarum in conformatione vitioſa, tum ſecundum figuram & ſuperficiem, tum ſecundum meatus & poros, & morbos partium earundem, in magnitudine, numero, & proportione. De indicationibus, quæ repetuntur a morbis fluidorum, poſthæc tractatur. Quæ indicationes vel vitioſæ ſanguinis qualitati conveniunt, & quidem vel vitioſæ ejusdem diatheſi, nunc grumoſæ, nunc diſſolutæ, nunc ſiccæ & grumoſæ, vel cuilibet ſanguinis dyſcraſiæ, nunc ſeroſæ, nunc acidæ, aut ſalſo acidæ, nunc acri, aut ſalſo acri, vel ammoniacali, vel morboſis ſanguinis motibus conducunt, ſive fermentatio & circuitus præter naturam augeantur, ſive minuantur. Annectuntur indicationes, quas morbi compoſiti ſuppeditant. *Sectio III* agit de indicationibus mitigatoriis, quæ a ſymptomatibus urgentibus deducuntur, & primo quidem de actionibus læſis, indicationibusque mitigatoriis, inde repetendis, de actionibus læſis animalibus, & potiſſimum de agrypnia & dolore, de læſis actionibus *vitalibus, præſertim de tuſſi*, de læſis actionibus naturalibus, ac præcipue de anorexia & dysorexia. Tum diſquiritur de vitiis excretorum, & indicationibus mitigatoriis, præcipue fluoris albi. Demum & agitur de qualitatibus mutatis, & indicationibus mitigatoriis, hinc deducendis, præcipue frigoris & palloris ſyncoptici. *Sectio IV* complectitur actiones vitales, ſive conſervatorias, quæ ab ægrotorum viribus repetuntur, & partim rationem conſervandarum virium præſentium, tum per remedia, tum per diætam, partim modum reficiendarum virium attritarum, tum diæta analeptica, tum remediis cardiacis, exponit.

MISCEL-

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum Scientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis III Pars III.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii hæredes, 1745, 8.
Plag. 12.

Scenam aperit *Jo. Chriſtoph. Harenbergii Expoſitio critica Epiſtolæ catholicæ, a Juda Thaddæo, ſeu Lebbæo, quondam conſcriptæ, ac impuritatum aſſectatoribus oppoſitæ.* Tractatio hæc re- Pag. 374.
ferta eſt notitiæ rerum eccleſiaſticarum interioris præſidio, Philoſophiæ orientalis ac magicæ arcanis, & veteris ævi, quod Seculo a C. N. primo præcipue proprium eſt, literatura. *Caput I* eſt iſagogicum; alterum, Epiſtolam *Judæ* labi Gnoſticorum, ac Simonianorum ſcabiei metaphyſicæ, oppoſitam fuiſſe, oſtendit. Præmittitur *Judæ* Apoſtoli patria, eaque Cana Galilææ, a 376.
Judæis *Secanja*, a *Joſepho Sogane*, appellata, unde *Simon*, frater ejus, Καναναίτης & Καναναῖος fuit dictus. Tribuitur *Judæ* pater *Clopas*, ſeu *Chalphai*, *Alphæus*. *Maria*, *Clopæ* uxor, diſcernitur a *Maria*, Jeſu matre. *Joſephum* fabrum ab hoc *Alphæo* eſſe diſcernendum, demonſtratur. *Judas* exſtitit *frater Jeſu*, id eſt, conſanguineus, æque appellatus *Levi Marc. II, 14*, id eſt, *Lebbæus*. Scripſit ipſe epiſtolam ſuam anno fere C. 383.
N. 70, quo Philoſophia orientalis, ſeu Perſica, per Syriam, Palæſtinam, & Ægyptum, cœperat increbreſcere. Simoniani, *Simonis Magi* aſſectatores, ex ea ſentina biberunt, ſuamque reſtinxerunt ſitim, Gnoſticosque & Menandrianos progenuerunt æque ac Cerinthianos. Hi mundum ſpectabilem, qui ſub obtutum cadit, in numero rerum malarum ac Arimanii fœtu deputarunt. Ac eapropter corpus humanum iidem in eandem 386.
retulerunt claſſem, Jeſumque corpus e cœlo attuliſſe, ac φαντασικῶς actiones ſuas ac perpeſſiones in terra obiiſſe, credidere. Docetarum hinc propullulavit error. Theogonias orien- 389.
talium Noſter ſimul exponit, licet incredibilem exiſtimet &

intolerabilem operam, ſi quis theogonias gentium ſingularum inter ſe audeat conciliare. De incantationum ac theogonicis accinendi ritibus, eorumque viribus imaginariis, diſſerit eru-
Pag. 391. dite. Pſillos adhibuiſſe loco antidoti herbam aſſazoen, ſerpentibus venena auferentes, ſibi perſuadet ex teſtimonio *Jobi Ludolphi*. Theogonias & incantationes Gnoſticorum ex *Irenæo* illuſtrat. De vaticiniis, arcanisque eorum ſymbolis, exponit. Aperit myſteriorum, ab eis cum aliis communicatorum, ratio-
395. nes. Magos ac *Leucam*, aliosque, matrimonia ac ſobolis procreationem Arimanio tribuiſſe, prodit. Locum *Pauli 1 Tim. IV, 3, 4*, exponit ex Philoſophia Perſica. Magorum & *Platonis* pronuntiata libidinoſa ac impuritatis venereæ labem dete-
398. ſtatur. *Platonem* laudibus pæderaſtiam, eique deditos, proſecutum fuiſſe, longe lateque oſtendit. Exiſtimavit *Plato*, pec-
402. cati inſiti originem ad corpus per ſe malum ſpectare, cui quippe illud innaſcatur. Ἰυγγας, quæ in Philoſophia orientali ac
405. Perſica commemorantur, Noſter non pro *ideis*, ſed protervis venereis, ac earum illecebris immodicis, habet, fultus teſtimoniis ac fide *Apuleji* atque *Theocriti*, immo *Damaſcii, de*
409. *principiis* commentati. *Gnoſticos* a Metaphyſicæ intricatioris ac ſenſus myſtici aucupatione ſtudioſiſſima atque *notitia* traxiſſe nomen, docet. Gnoſticiſmo exitium intuliſſe ſectam Philoſophorum Potamicorum, evincit argumentis haud unis. Gno-
413. ſticos ſingulos religioni Chriſtianæ dediſſe nomen, negat, *Porphyrii* loco clariſſimo innixus. Gnoſticorum parentem exſtitiſſe *Simonem Magum*, ex *Irenæo* oſtendit. *Addit*, eos ad exemplum magiſtri feneſtram voluptatibus & μαλακίας vitio
416. aperuiſſe. *Epiphanii* autoritatem, qui peſſimas libidines in Simonianis ac Gnoſticis notavit, ab inſultibus recentiorum defendit. Exponit locum *Act. VIII, 10*, ac, *Simonem* ſeſe pro Meſſia ac Paracleto geſſiſſe, monet. Gnoſticos fuiſſe *pſychicos*, mollitiei vitæ hujus deditos, tradit. *Platonis* Ethicam, libidinis peſſimæ fautricem, averſatur. Nicolaitas exſtitiſſe
426. quandam Gnoſticorum propaginem, docet. Alumnos Philoſophiæ orientalis, ad caſtra Chriſtianorum progreſſos, *Chriſtum abnegaſſe*, contendit. Docetas jam a *Joanne* fuiſſe repudiatos

pudiatos *1 Ep. IV, 1, 2, 3,* docet. In Angelos ipſos peccaſſe Philoſophiæ orientalis ſectatores, Noſter demonſtrat. *Capite* autem *altero* pleraque Epiſtolæ, a *Juda* perſcriptæ, momenta ex Simonianorum Philoſophia orientali illuſtrat. Si reliquis Nov. Teſt. Epiſtolis conſimiles admoveantur Criticorum faces, multæ evaneſcent tenebræ, quibuscum adhuc confligendum eſt lectoribus. Noſtrum non eſt, hiſce diutius immorari. Pro- 461.
grediendum enim eſt ad *Petri Zornii Diſſertationem de Sigillo Dei in frontibus fidelium, ad Ap. VII, 3, IX, 4, Ezech. IX, 4.* Spectant ad hanc loquendi formulam propius noſcitandam verba *Maimonidæ* ex libro *de Pœnitentia Cap. 3 §. 3,* ubi hic docet ſuos, primo ſingulorum annorum die hominis cujuslibet ſive injuſtitiam, ſive iniquitatem, expendi, eumque, qui tunc reperiatur juſtus, obſignari ad vitam æque ac impium ad mortem, eos vero, qui inter utrosque ſint medii, die expiationis curam ſui merito habere, ſiquidem hi tunc, ſi ad ſanitatem 463.
reverterint, ad vitam, ſin minus, ad mortem (damnationem), ſint obſignandi. Nec tamen omittenda ſunt ea, quæ Judæi doctores olim de *ſigillo Dei* commemorarunt. Vocem תו *Ezech. IX, 4,* Noſter per *ſignum* generatim interpretatur, idque *obſignans*, atque ſimul *Olai Rudbeckii* opinionem refellit non mi- 406.
nus, quam *Genebrardi.* Vocat nos porro *Matthiæ Belii,* V. D. M. Poſonienſis, Hiſtorici patrii, Acad. Scient. Londin. & Berolinenſis Socii, *Obſervatio hiſtorico-phyſica de Aquis Neoſolienſium æratis, vulgo* Cementwaſſer *dictis, ferrum ære permutantibus.* Celebre apud doctos nomen eſt aquarum æratarum Neoſolienſium. Scatent eæ uno ab urbe Novoſolii in aquilonem milliari in vaſtiſſima illa cupri fodina, quam Vallem Dominorum appellant. Feruntur illæ A. 1605 innotuiſſe, indolem vitrioli referentes, & cameris viginti incluſæ. Reddunt eæ tantundem puriſſimi æris, quantæ molis fuit ferrum, eo immiſſum. Aqua apparet in labris ſubviridis, licet, vitro pellu- 473.
cido hauſta, ſit limpida, & ad criſtalli modum transparens. Alveos & labra, quibus continetur, non modo non corrumpit, ſed conſolidat etiam, ut ſolito diutius perdurent. Metalli foſſores, pronum in morbos genus hominum, eam, cum morbis laborant

borant desperatis, tanquam potionem medicatam, magna salubritatis confidentia obfirmati, bibunt. Quæ deinceps aut citam alvum, aut vomitum, aut utrumque simul, provocat. In ophthalmia tutior ejus usus est. Non est, quod de earum habitu, ac de experimentis, ad eam pernoscendam institutis, copiose exponamus. Adeundus est Viri Cel. labor literarius ipse,
Pag. 478. omni ex parte sese lectori commendans. Candide solideque idem monet, aquam illam æratam neutiquam permutatricem esse ferri in cuprum, sed disponere tantummodo æreas particulas, quibus jam ipsa fuerit antea gravida. Efficacitas *ejus* repetenda est a soluto per retrusos subtus meatus pyrite æreo. Tota enim ibi metallifera oppidi regio intus ac extus pyrite
480. æreo abundat. Succedit hisce deliciis *Jani Gruteri Suspicionum criticarum Liber decimus, nunc primum editus* a *I. G. R.*, qui, cum Belgium obiret, ac Amstelædami versaretur, Codicis describendi, residuosque Libros publicandi, veniam impetravit. Præfixit Editor Præfationem, ac in ea nos docuit, *Gruterum* in summa adolescentia ejusdem argumenti Libros 24 composuisse, e quibus non nisi novem publicati prostant. Dederat sese *Gruterus* emaculando *Senecæ* Rhetori, & emendationibus *Dionysii Gothofredi* convellendis, quas hic exposuit *Libro V Conjecturarum ac variarum Lectionum in Senecam.* Nimis vehementem impugnationem secuta est defensio *Gothofredi* nihilo pacatior. Exinde *Grutero* enata fuit occasio, confirmationem *Suspicionum* suarum elucubrandi. Asservat Codicem *Gruteri* Amstelædamensis Remonstrantium *Bibliotheca*, cujus custos Cel. *Wetstenius*, Prolegomenorum in Nov. Test. autor, ceteros quoque Libros, condimenta nimirum *Plautina*, æque formis publicis describi patietur. *Cistellariam Plauti Gruterus* Libro *decimo* emendat, illustrat, ac passim refingit. Ipse, in confesso esse, putat, antiquiores sine personis evul-
489. gasse fabulas. Omittimus reliqua, quæ quippe in compendium ire recusant. Progredimur potius ad *Jo. Georgii Wal-*
521. *theri Emendationem loci Vellejani Lib. I Cap. 6 §. 1, atque hujus & consequentis Capitis explicationem.* Cur tot maculæ adhuc contextui verbisque *Velleji* insideant, Vir Cl. docte *solide*-

deque

deque ſignificatum ivit. *Æmilio Suræ* vindicat hæc, quæ diſpicit & expendit, apud *Vellejum* verba: *Aſſyrii, principes* Pag. 523.
omnium gentium, rerum potiti ſunt, deinde Medi, poſtea Perſæ, deinde Macedones. Exinde, duobus Regibus, Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo poſt Carthaginem ſubactam, devictis, ſumma imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus & initium Nini, Regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni 1995. Verba hæc *Vellejo* poſtmodum ſunt intruſa & aſſuta. Turbant ipſa rerum verborumque *Vellejanam* comprehenſionem, præſcindunt orationis filum, ac loco plane demunt lumen. Si gloſſema, ſeu pannum, ejicias, cohærent ea, quæ conſequuntur, cum eis, quæ præmiſerat *Vellejus. Hujus temporis æqualis Heſiodus fuit* - - Hæc ſunt verba proxime conſequentia. *Hujus* referendum eſt ad *Caranum*, Macedoniæ Regem, cujus ante laciniam illam *Suræ*, inſutam incommode, meminerat *Vellejus.* Memorandum præterea eſt, in 760 annorum ſumma, quæ
apud *Vellejum* eſt *pag. 38*, errorem graviſſimum fuiſſe com- 528.
miſſum. Videtur *Vellejus* adhibuiſſe ſiglas haſce D[[[[XX,
pro quibus librarius ſcripſerit DLLLLLX. Veteres enim ad 530.
Seculum uſque quartum indicarunt numerum centenarium hoc ſigno [. Probabiliſſima ea eſt ſententia, qua inductus Autor conjicit, *Æmilium Suram* quinquennio poſt *Vellejum* ſcribentem vixiſſe, ut adeo verba illa *Suræ, inter hoc tempus & initium Nini* - - ad ætatem ſcribentis *Æmilii Suræ*, veluti ad terminum, ſint referenda. Succedit hinc *J. C. S. Obſervatio de* 533.
Vocabulorum quorundam Germanicorum originibus. Vir laudatiſſimus vocem *Geſpenſt* deducit ex *Geſpan*, ſodali, & hanc ex *ſpannen*, tendendo. Videtur enim *ſpectrum* omnino eſſe extenſum & diductum, quod quippe hic illic ſimul dicitur apparere. Protenſus ille ſit oportet admodum, qui in ſepulcro eſt, & ſimul apparet in domicilio priſtino alibique. Vocem *Pflaume*, qua prunum & plumam deſignamus, credit eſſe utriusque vocis Latinæ matricem. Noſter *auer* certe Latinis dedit *urum*, *Donau* eis dedit *Danubium.* Vocant nos tandem 536.
Voces aliquot Latinæ, quæ in vulgaribus Latinæ linguæ Lexicis

fruſtra quæruntur, ex priſcis Autoribus collectæ a Frid. Ottone Menckenio. Habes hic, Lector, *rurigenam Ovidii*, *ſacerdotis* vocabulum adjectivum, adverbium *ſatisdato*, id eſt, per ſatisdationem, ex ſatisdationis formula, Subſtantivum *ſaxatilis*
Pag. 543. in *Ovidii Halievticis*, quod in *Plinii Hiſt. Nat. XXXII, 11*, excidit, Subſtantivum *ſcitus*, unde eſt *plebis ſcitu* apud *Livium* ac *Ciceronem*, Subſtantivum *ſcutatus* apud *Livium XXVIII, 2*, & *Frontinum* in *Strateg. II, 5, §. 31*, Subſtantivum *ſeptenarius* penes *Tullium* in *Tuſc. Diſp. I, 44*, *ſeptentriones ventos* ex *Tullii* ad *Attic. Lib. IX Epiſt. 6*, vocem *ſesquilibra*, a qua
549. haud abhorret vox *ſesquimodius* apud *Ciceronem*, *Varronem*, & *Columellam*. Adde voces *Caſſiodori ſimulatorie* & *ſimulatorius*,
552. *ſpodiacum collyrium Scribonii Largi*, *Stacton* ejusdem *Scribonii*, quod *Apulejus* appellaſſe videtur *Stactam*, Subſtantivum *Stipendiarius*, verbum *Suavificare*, dignum *Caſſiodoro*, Subſtantivum *ſubſidiarius*, Adverbium *ſummoto*, de quo multa hic diſputantur, quæ legiſſe neminem pœniteat. Nec omittitur
561. vocula *ſuperficialiter*, in ſtercore *Caſſiodoriano* nata. Exit hæc vocum collectio in verbum *Silii ſuperinſtrepo*, & illud *Caſſiodori ſuperſpero*. Reliqua in apricum proferet dies.

JOAN. PHIL. CONR. NAD DE חרטמים, *eorumque operibus, nec non de Pythoniſſa Endorea, Diſquiſitio.*

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus Jo. Andr. *Baueri*, *1743*, 8.

Plag. 5.

Diſſertationis hujus theologicæ haud minus, quam philologicæ, partes ſunt duæ. *Capite priori* variæ Philologorum ſententiæ recenſentur & expenduntur. *Poſteriori* opinionem ſuam Cl. Autor cum civitate erudita communicavit. Inquirendum exiſtimat in vocis originationem. Tum vero ad Ma-
Pag. 4. gorum opera attendere jubet lectores, ut cognoſcatur, an notio, per etymologiam eruta, reſpondeat muniis operibusque, per Magos illos peractis. *Fullerus* vocem חַרְטֹם deducit ex חרט,

חרם, *cælo, ſtilo ſcriptorio.* Incredibile videtur Noſtro, literæ ם nullam hic rationem eſſe habendam. *Guſſetio* ſimilis arriſit derivatio. Ipſe vero voci חרט tribuit *rei cavæ*, & *cujus cavitas interna arcte tegitur*, ſignificatum, fundamento inniſus prorſus nullo. *Samuel Bochartus* aliam inſtitit viam. Deduxit enim *Chartümmim* ex vocula Arabica رطن, *rtan*, cui ſignificatus eſt *murmurandi, & proferendi verba per linguam ignotam.* At ubinam eſt ח in hac opinionis umbra? Quis juſſit virum tantum, ut, *m* & *n* ſibi ſubſtitui olim potuiſſe, crederet? *Lempereur* confugit ad vocem Chaldaicam חרש, quæ notat *incantatorem.* An illa literarum ש & ת permutatio Ebræis fuerit in uſu, merito dubitatur. *Hottingerus* igitur & *Thomas Hyde* excurrerunt uſque ad Perſas, apud quos حرل (hharad) eſt idem ac *ſcivit*, *cognovit.* Num vero Ægyptii & Ebræi nomina Perſica adhibuerunt? Cel. *Millius*, pulcherrimum illud Academiæ Ultrajectinæ decus, in *Diſſert. Select. VIII*, vocem ex טום & חור conflatam eſſe, cenſet. Prior vocula notat idem ac *videre*, poſterior *occultare.* *Avenarius*, ſimili via uſus, illam deduxit ex חרט, *ſtilo*, & אטם, *obturando, comprimendo*, ſeu *occludendo.* Monet Noſter, compoſitiones ejusmodi in lingua Ebræa haud eſſe admittendas, niſi in nominibus propriis. Nec tamen eis aſſurgit, qui nomen צַלְמָוֶת malunt ex ظلم, *obtenebreſcendo*, repetere. Probat eos potius, qui, hoc nomen & eſſe compoſitum, & *umbræ mortis* indicem, contendunt. Commendat inter hæc formam vocis קַרְדֹּם, quæ *ſecurim* denotat. Ultimum ם in hoc vocabulo eſt ſervile omnino. Hæc ſpectant ad *Caput prius.* Summatim carptimque nunc de *poſteriori* quoque dicemus. *Chartümmim*, hoc judice, exſtiterunt agyrtæ ac circulatores, qui ſub ſapientiæ larva aliis impoſuerunt, ſuasque artes celarunt fraudulentas. Originem eorum ex verbo Arabico خرط, *hharath*, arceſſendam eſſe, opinatur. Deſignat illud verbum haud aliud quidpiam fere ac hoc: *inopinantem adortus eſt turpi dicto, vel facto, ob ignorantiam ſtolide egit*, & (qui ſignificatus ipſi perplacet) *celer fuit, celer in curſu perrexit.* Adhærens *mens* reputat pro litera ſervili, ac verbi cauſa vocem שלשום ex שָׁלֵשׁ

Pag. 7. 9. 11. 14. 15. 19.

שָׁלַשׁ laudat, nec non פְּרִיוֹם ex פָּרַח, atque קַרְדֹּם ex קָרַד, *ſecando*, unde profluxit קֶרֶץ, *incidit, concidit.* Arabibus cer-
Pag. 27. te uſitata ſunt nomina, per ם in fine aucta. Eam ob cauſam Cl. Vir voces *agyrta* & *chartom* pro ſynonymis habet. Peropportune ei in mentem venit nomen κρυφιαστὴς (vulgo *occultorum interpres*), quo *Aquila* utitur in ſua interpretatione. illo deſignatur *is, qui occulte quid tractat.* Lau-
31. dat Cl. *Hauberum*, Bibliothecæ magicæ ſcriptorem, ratus, Magos Ægyptios fuiſſe nugivendulos ventilatores, qui בלטיהם, ἐπαοιδαῖς, certis incantandi & accinendi formulis, modo prorſus naturali, oculos mentesque ſpectatorum celerrime fefellerint. Miracula cacodæmoni, ejusque ſatellitibus, tribui poſſe, negat. Diabolum arti ventilatorum ſpeciatim innectere, exiſti-
40. mat a re alienum. Sunt certe inter Chinenſes, qui virgas in ſerpentes convertunt, ex judicio quidem ſpectatorum. *Webſteri*, Angli, ſententiam, de arte Magorum Pharaonicorum expoſitam, prædicat, eumque ſenſu communi deſtitutum omnino cenſet, qui contra hiſcere auſit. Ad artes naturales refert omnia illorum Magorum conata, qui miracula, per *Moſen*
42. edita, imitari ſtuduerunt. *Tractatio de Pythoniſſa Endorea* locum occupat mantiſſæ. In ea Autor *Turretino* accedit, qui, hanc non niſi arte & fraude naturali *Saulum* lactaſſe, immo ter-
48. ruiſſe, ſibi perſuaſerat. Nec omittit quidquam eorum, quibus opinionem ſuam & ſtabiliat & ornet. Mentita omnino fuit *Endorea*, prænuntians, filios *Sauli* ſingulos exitio mox communi involutum iri. Beneficio laternæ *magicæ Endoream* re-
52. præſentaſſe perſonas, ac perſonatum *Samuelem*, addit. Reſtat, ut, laternam eam illa ætate jam fuiſſe inventam ac notam, teſtimoniis luculentis oſtendatur. Beati *Joannis Franciſci Buddei* ſententiam variis oppugnatum it argumentis. Ad *Marc. VI, 49*, & *Luc. XXIV, 37*, unde, ſpectra dari, docere
59. homines docti ſolent, ita reſpondet, ut exiſtimet, de opinione diſcipulorum Jeſu erronea ibi fieri mentionem. Tandem recolit memoriam dignitatis, qua *Daniel* ornatus, & cujus reſpectu ipſe vocatus fuit רב חרטמיא, *princeps agyrta-*
60. *rum*, *Dan. IV, 6.* Monet circumſpecte, id nominis inditum fuiſſe

fuiſſe *Danieli* non a Spiritu ſancto, ſed a Rege *Nebucadnézare*, qui errore haud uno, quantum ad doctrinas & res Magorum attinet, laboravit, eundemque *Danielem Beltſchazarem* cognominavit in honorem Deaſtrorum. Exſpectamus a Viro politiſſimo in poſterum quoque ea, quæ bonæ frugis ſunt plena, & ſoliditate haud minori inſtructa.

PLATONIS PHÆDO, SIVE DIALOGUS de animæ immortalitate, Græce & Latine. Verſionem MARSILII FICINI emendavit, Dialogum ex ipſo Platone illuſtravit, & Commentationes philoſophicas adjecit, JO. HENRICUS WINCKLER, Gr. & Lat. Literar. P. P. O. Lipſ.

Lipſiæ, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1744, 8.

Alph. 1 plag. 4½.

Qui philoſophica inſtitutione antea utilis juventuti fuerat Cl. *Wincklerus*, nunc etiam, Profeſſoris linguarum officio ſe ſatisfacere, atque hanc ipſam facultatem feliciter ac ſapienter cum illa conjungere, publice demonſtrat. Duo ſunt hic inprimis animadvertenda: Præfatio & Annotationes. Ibi iterum duo nobis occurrunt momenta: occaſio ſuſcepti laboris, & Oratio, qua Profeſſionem linguarum accepit, auſpicalis. Illam ſuppeditabat ipſa Profeſſionis philoſophicæ in illam docendæ linguæ Græcæ Latinæque converſio, vel potius conjunctio utriusque, qua ductus, Philoſophos Græcos arbitrabatur ſibi exponendos. Accedebat conſilium Viri, rerum ſacrarum cognitione doctrinaque illuſtris, ni conjectura nos fallit, Magnifici tunc Academiæ Rectoris, Cel. *Bærneri*, qui easdem olim literas ſumma cum laude profeſſus eſt, cumque hac ipſa provincia munus ordinarium, mores ac politicen docendi, commutarat. Ita commotus Noſter, cum *Phædonis* non ſuppeterent exemplaria, publici hunc Dialogum juris faciendum, atque obſervationibus prævviis illuſtrandum, curavit. Uſus eſt ad id ipſum editione *Aldina*; verſio autem poſt finem demum verborum Græcorum

rum locum invenit, annotationesque habet immixtas. Ceterum ad commendandum *Platonem* pertinet Oratio illa, qua, eum linguæ, animi, ac virtutis, esse magistrum, Cl. *Wincklerus*, *Tullio* duce *de Orat. III, 34*, demonstravit; postquam in prolusione, quanti *Cicero Platonem* fecerit, quantamque ex ejus præceptis sentiendi dicendique comparaverit sibi vim & copiam, ostenderat. Linguæ magistrum censet, præeunte *Tullio*, & docendo, & delectando, & movendo, pollere debere, quibus omnibus dotibus, si quis alius, conspicuum sese fecerit *Plato*. Quanta vero cum excellentia præstantiaque in tribus *his* officiis versatus sit idem, ex ejus Dialogis, in quibus summa sit ingenii judiciique claritas, intelligi contendit. Ad perspicuitatem genera quædam analyseos referuntur, quorum magna vis sit atque potestas; cum modo ab eo, quod sentimus, ad id, quod intelligentia capitur, auditores lectoresque adducat *Plato*, modo ex demonstratis, quod ignorabatur, planum faciat, modo ex hypothesi ad ea, quæ sine hypothesi sumuntur, procedat. Soni porro ac numeri tam egregium se præstitit artificem, ut, quod in verbis jucundum est, orationem illius ornet ubique. Conf. *Diogenes Laertius* in Vita *Platonis Segm. 7*, & *Cicero* in *Orat. Cap. 20*, & *Quintilianus IX, 4, X, 1*. Adjuncta est suavitati eloquentiæ vis, quæ moveat animos & flectat. Vid. *Cicero de Offic. I, 1, Tusc. Quæst. I, 34*. Quantum vero verborum ornamentis, sententiarum luminibus, & orationis impetu, valuerit, ex *Demosthenis* virtutibus elucet, qui ex schola *Platonis* prodiit orator. Conf. *Quintilianus XII, 10*. Animi præterea magister appellatur *Plato*. Sive enim, qua usus est, philosophandi rationem, sive, quibus explicandis studuit, rerum nobilitatem, contemplemur; virum conspicimus, qui iis, quæ ad animi vim atque intelligentiam pertinent, & perscrutandis, & explicandis, & illustrandis, operam adhibuit egregiam. Scita ipsum ad veri disquisitionem maxime accommodata secutum esse philosophando, ex *Theæteto* constat & *Parmenide*. Ipse vero etiam in pervestigandæ veritatis monstrata via gnaviter industrieque processit, ingenium nactus acre & solers, doctrinæque amantissimum. A prima statim pueritia delectatus est artibus, quæ ingenii acumen postulant. Præter

ter picturam Poeseos studiosissimus fuit adolescens. Poemata vero, quorum magnum composuit numerum, ad regulas severe exegit. Quo tempore annum ætatis vigesimum agebat, se totum *Socrati* dedit, *Heracliteis* ante opinionibus imbutus. Vid. *Aristotelis Metaph. Lib. I Cap. 6.* Inde quæ hauserit, inque scriptis aperuerit suis, membratim ac singulatim exponitur. Sic in eruenda scientiæ notione *Theætetum*, in explicandis rerum essentiis Sophistam, in exquirendis subtilitatibus *Parmenidem*, in exploranda mente humana *Phædonem*, consignans, *Plato* se præbuit animi magistrum. Sed & virtutem præceptis communivit, suisque ipsius moribus illustravit. Hanc æternæ pariter vitæ causa vult coli. Inde ad pietatem, ad sanctitatem, ad religionem & declarandam, & excitandam, & colendam, operæ doctrinæque adhibet plurimum. Non quidem eum esse putat Cl. Autor *Platonem*, qui in tradendis morum præceptis, in explicandis colendæ virtutis subsidiis, in exponendo vitæ futuræ statu, nunquam aberraverit. Plurima omnino occurrunt, quæ vel a vero abhorrent, vel figmentis annumeranda sunt, vel multum habent obscuritatis. Hoc autem contendit, in contemplanda, in describenda, in commendanda, forma virtutis *Platonem* strenue fuisse occupatum, virtutisque & vitæ beatæ eam expressisse imaginem, cujus pulchritudo bene a natura informatos animos delectet. Eadem quomodo vitæ rationibus ostenderit, docet *Cicero Qu. Tusc. Lib. II Cap. 4*, & *Plutarchus* in *Mario* sub finem, quo singulatim Numen coluerit ardore. Homines autem sic amavit, ut, quibus cognitus erat, eum augendæ salutis humanæ studiosissimum esse intelligerent. Nec sibimet defuit ipse, quod historiæ demonstrant, ab *Ælian o V. H. Lib. IV Cap. 9*, a *Seneca de ira Lib. III Cap. 12*, & a *Diogene Laert.* in ejus *Vita segm. 26*, relatæ. Annotationes, ut & alteram dicendorum partem tangamus, vel nonnunquam Commentationes elegantes, partim Historiam spectant, partim Philosophiam, adeoque plus præstant, quam promissum fuit. Narrant autem fata *Socratis*, necem, & quæ consecuta fuerint istam; pœnam, ob *Androgeum* interfectum, Athenas vexantem; Archontum conditionem; discipulorum *Socratis* genera

genera diverſa; tres Athenienſium carceres; nonnihil de *Æſopo* fabulatore; *Socratis* Poeſin & Muſicam; hiſtoriam *Philolai*, *Archytæ* diſcipuli; condiendorum cadaverum apud Ægyptios rationem, & quæ ſunt alia. Luſtrant porro, quæ de comparanda veri cognitione diſputet *Socrates*; quatuor virtutum genera, quæ virorum, mortem non ægre ferentium, eſſe, doceat idem; initiationes, *Cereris* in ſacris factas; animorum immortalitatem, a *Socrate* propoſitam; præexiſtentiam, quæ vulgo dicitur, animorum; beatitatem animorum in cœlo; ſententiam ſapientiſſimi Græcorum, qua, ſe non aliud eſſe, quam animum, edocuit *Critonem*, item migrationem animorum, opinionem, nihil eſſe in rebus firmum & ſtabile, quod intelligentia comprehendere valeamus, harmoniam, in qua conſiſtere animam, nonnulli putarunt, *Platonis* de λόγῳ doctrinam, ſententiam de coloribus, quorum pulchritudine ætherem excellere *Plato* exiſtimavit, ut cetera taceamus. Has inter, quæ de *Cereris* ſacris agit, Commentatio inprimis eſt memoranda, ſcriptorisque in antiquitate pariter cognitionem luculenter oſtendit. Adhuc tamen luculentiores ſunt multo, de anima doctrinas quæ perluſtrant, obſervationes, eædemque ſatis multæ.

NOVA LITERARIA.

Lugduni Batavorum haud ita pridem prelo *Samuelis Luchtmanſii*, nobiliſſimi typographi, forma, quam octavam vocant, tertium exierunt *Fabulæ Phædri, olim cum Notis Variorum* a *Petro Burmanno*, Criticorum coryphæo, editæ. Nihil huic editioni acceſſit novi, niſi hoc vocare novum velis, quod errores operarum, qui in priores editiones irrepſerant, hic feliciter ſunt emendati, & ex illa *Fabularum Phædri* editione *Burmanniana*, quæ forma quadruplicata prodiit, locupletiſſimus rerum & vocabulorum Index huc translatus eſt. Ceterum editionem hanc eadem chartæ & typorum elegantia commendat, quæ ſcriptis, quæcunque nomen *Luchtmanſianum* in fronde gerunt, inſigni eſſe ornamento ſolet.

✲ ✲ ✲

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Ceillierii (*Remigii*) *Hiſtoria generalis Autorum ſacrorum & eccleſiaſticorum.* Tomus IX. 145
Tomus X. 337
Tomus XI. 673

Drieberge (*Jo.*) *de Prædeſtinatione & gratia liber.* 631

Fogginii (*Petri Franc.*) *Vera S. Romuli hiſtoria, Epiſcopi & tutatoris Fæſularum.* 150

Georgii (*Chriſtiani Sigiſm.*) *Apparatus philologico-theologicus ad Evangelia, Domini feſtisque diebus dedicata.* Volumen I. 478

Hunt (*Thomæ*) *Diſſ. ad Proverb. VII, 22, 23.* 307

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Exercitationes theologico-hiſtoricæ, in quibus Vener. D. Jo. Chryſ. Trombelli Diſſertationes de Cultu Sanctorum modeſte diluuntur.* Partes II. 489

Leſſeri (*Frid. Chriſtiani*) *Solida demonſtratio exiſtentiæ & perfectiſſimarum virtutum Dei, ex naturali & ſpirituali cochlearum & conchyliorum contemplatione concinnata.* 159

Nad (*Jo. Phil. Conr.*) *de Chartümmim, eorumque operibus, nec non de Pythoniſſa Endorea, Diſquiſitio.* 714

Orſi (*Joſephi Auguſtini*) *de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio.* Tomi II. 199
de Romani Pontificis in Synodos œcumenicas, & earum Canones, poteſtate liber. Partes II. 343

Oſiandri (*Lucæ*) *Cynoſura ſtudiorum ſacra, cum Notis* Godofr. Balth. Scharffii. 423

Philonis *Judæi Opera, quæ reperiri potuerunt, omnia, ex edit.* Thomæ Mangey. Volumina II. 385

Porſchbergeri (*Chriſtiani*) *Theocritus, Scripturam S. illuſtrans.* 421

Prokopowicz (*Theophanis*) *Lucubrationes, quæ jam Orationes, jam Poemata, jam Epiſtolas, in ſe comprehendunt.* 703

Reinhardi (*Laurentii*) *Commentarius in Canticum Canticorum Salomonis prophetico hiſtorico-dogmaticus.* 153

Relandi (*Hadr.*) *Antiquitates ſacræ veterum Hebræorum, cum Notis* Jo. Eberh. Ravii. 597

Rœderi (*Jo. Pauli*) *de Colloquio Wormatienſi, ad A. O. R. 1540 inter Proteſtantium & Pontificiorum Theologos cœpto quidem, ſed non conſummato, plena & ſuccincta diſquiſitio.* 309

Syri (*Ephraem*) *S. Patris, Opera omnia, quæ exſtant Græce, Syriace, Latine. Syriacum textum recenſuit* Petrus Benedictus. Tomus I & II, *Syriace & Latine.* 577

Tartarotti (*Hieron.*) *de Origine Eccleſiæ Tridentinæ, & primis ejus Epiſcopis, Diſſ.* 63

De Vries (*Simonis*) *Diſſ. critica de Priſcillianiſtis, eorumque fatis, doctrinis, & moribus.* 591

Walchii (*Jo. Ge.*) *Miſcellanea ſacra.* 13

Wesley (*Sam.*) *Diſſertationes in librum Jobi.* 529

Wollii (*Chriſtoph.*) *Commentationes in Theologiam Jeſu Chriſti moralem, Auguſtana Confeſſione contentam, de internis corruptelis animæ humanæ.* 680

II. *Libri Juridici.*

Anſaldi (*Caſti Innocentis*) *de Principiorum legis naturalis traditione Libri III.* 586

A Coſta (*Jani*) *Commentarius ad Juſtiniani Inſtitutionum Libros IV, ex edit.* Jo. vande Water. 412

Cumberlandi (*Rich.*) *Commentatio philoſophica de Legibus naturalibus, converſa e Latino, & Notis inſtructa, a* Jo. Barbeyracio. 580

Funccii (*Jo. Nic.*) *Leges XII Tabularum, ſuis, quotquot reperiri potuerunt, fragmentis reſtitutæ.* 463

Graviæ (*Jo. Vincentii*) *Opuſculorum nova Collectio.* 61

Grüttneri (*Sam. Franc.*) *Tractatio Juris publici Pruthenici, de Prussia nunquam & nulli tributaria.* 41

Justiniani, *perpetui Augusti, Institutionum, sive Elementorum, Libri IV, cum* Jani a Costa *Commentario, ex edit.* Jo. vande Water. 412

Kahlii (*Lud. Mart.*) *Corpus Juris publici S. Imperii Rom. Germanici collectum.* 272

Wolfii (*Christiani*) *Jus Naturæ, methodo scientifica pertractatum.* Pars tertia. 311
Pars quarta. 413

III. *Libri Medici & Physici.*

Anonymi de Phialis vitreis, ex minimi filicis casu dissilientibus, Acroasis. 79

*Chirurgi Provincialis, Epistola ad Dominum ***, occasione animadversionis pag. 249 libri Dionysii de operationibus chirurgicis, ex editione la Faye.* 111

*Observationes criticæ in Epistolam Chirurgi Provincialis ad Dominum ***, Chirurgum Parisiensem.* ibid.

Astruc (*Jo.*) *Tractatus therapevticus.* 706

Bœrhaave (*Herm.*) *Prælectiones Academicæ in proprias Institutiones rei medicæ, cum notis* Alb. Halleri. Tomus V. 507
Tomus VI. 604

Boschetti (*Bartholom.*) *Diss. de Salivatione mercuriali.* 602

A Castro (*Petri*) *Bibliotheca Medici eruditi, ab* Andr. Pasta *recensita atque aucta.* 280

Cohausen (*Jo. Henr.*) *Hermippus redivivus, sive Exercitatio physico-medica curiosa de Methodo rara ad ils annos prorogandæ senectutis per anhelitum puellarum.* 373

De Courcelles (*Dav. Cornelii*) *Icones musculorum capitis.* 30

Doppelmayeri (*Jo. Gabr.*) *Recens detecta phænomena admirandorum naturæ effectuum, quæ circa vim electricam, eique intra cameram obscuram plerumque annexam lucem, nonnulli celeberrimi Sodales inclytæ Regiæ Anglicæ Scientiarum Societatis, &c. per copiosa experimenta nostris temporibus felici-*

ter oſtenderunt, nunc demonſtrata, & ad hypotheſin commodam reducta. 84

Drackei (*Jac.*) *Orationes tres, de Febre intermittente, de Variolis & morbillis, & de Pharmacia moderna.* 636

Le Dranii (*Henr. Franc.*) *Tractatio, ſive Cogitationes, de Curatione vulnerum ſclopetariorum.* 368

Gianellæ (*Caroli*) *de Succeſſione morborum Libri III.* 416

Grashuis (*Jo.*) *Exercitatio medico-chirurgica de Scirrho & Carcinomate.* 32

Hebenſtreitii (*Jo. Ern.*) *Muſeum Richterianum, continens foſſilia, animalia, vegetabilia, marina.* 49

Hippocratis *Opera omnia, ex edit.* Steph. Mackii. 1

Mazini (*Jo. Bapt.*) *Exercitationes medico-mechanicæ.* 67
Opera omnia, nunc primum tribus Tomis diſtributa. 216

Noortwyk (*Wilh.*) *Uteri humani gravidi anatome & hiſtoria.* 316

Ould (*Fielding*) *Tractatus de Arte obſtetricia.* 473

Pepagomeni (*Demetrii*) *Liber de Podagra, Græce & Latine, ex edit.* Jo. Steph. Bernard. 302

Scharſchmidii (*Sam.*) *Relationum medicarum atque chirurgicarum Eteodromi tres.* Tomi III. 176

Schlereth (*Jo. Burch.*) *Inſtitutiones medicæ.* 565

Schulze (*Jo. Henr.*) *Diſſertationum Academicarum, ad Medicinam, ejusque hiſtoriam, pertinentium, Faſciculus primus.* 639

Schwencke (*Thomæ*) *Hæmatologia, ſive ſanguinis hiſtoria, experimentis paſſim ſuperſtructa.* 502

Taylor (*Jo.*) *Diſquiſitio candida de propria ſede organi viſus.* 476

Teichmeieri (*Herm. Frid.*) *Inſtitutiones Medicinæ pathologicæ & practicæ.* 671

IV. *Libri*

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi Geometræ Problema geometricum, publice propoſitum. 523

Mantiſſa ad recenſionem libri Clairautiani de Theoria figuræ Telluris. 655

Auſtriaci (*Dominici Corradi*) *de Calculo differentiali & integrali Commentarii analytici.* 659

Caſſini *Elementa Aſtronomica.* 21

Tabulæ Aſtronomicæ Solis, Lunæ, Planetarum, Fixarum, & Satellitum Jovis & Saturni. ibid.

Clairaut *Theoria figuræ Telluris, ex principiis hydroſtaticis eruta.* 645

De la Drevetiere *Longitudinum inveniendarum methodus detecta.* 427

Gerſten (*Chriſtiani Lud.*) *Mercurius ſub Sole viſus & obſervatus in ſpecula Aſtronomica Academiæ Gieſenſis A. 1743 die 5 Nov.* 609

Heinſii (*Godofredi*) *Deſcriptio Cometæ, qui ſub initium anni 1744 apparuit.* 512

Maupertuiſii *Opuſcula varia, Elementa Geographiæ, Diſſ. de variis figuris curvarum cœleſtium, de Parallaxi Lunæ, & Epiſtola de Cometa.* 221

Walzii (*Jo. Theophili*) *Commentatio in methodum interpolandi Neutonianam, cujus præſertim inveſtigatio analytica, eademque genuina, ante oculos ponitur, ejusdemque uſus inſignis exemplis quibusdam ſelectioribus comprobatur.* 129

V. *Libri Hiſtorici, Chronologici, &c.*

Anderſoni (*Jac.*) *Selectus Diplomatum & Numiſmatum Scotiæ Theſaurus.* 625

Anonymi Tract. de Typographiis, earumque initiis & incrementis, in regno Poloniæ & magno Ducatu Lithuaniæ. 46

Bruckeri (*Jac.*) *Hiſtoria critica Philoſophiæ.* Tomi IV Pars I. 207

Cæsaris (*C. Jul.*) *de Bello Gallico & Civili Commentarii, cum Notis* Th. Bentleji, *& conjecturis* Jac. Jurini. 496

Ceillierii (*Remigii*) *Historia generalis Autorum sacrorum & Ecclesiasticorum.* Tomus IX. 145

Tomus X. 337

Tomus XI. 673

Fontanini (*Justi*) *Historiæ literariæ Aquilejensis Libri V.* 448

Frickii (*Jo. Ge.*) *Commentatio de Druidis, Occidentalium populorum Philosophis, ex edit.* Alb. Frick i. 327

Frœlich (*Erasmi*) *Annales compendiarii Regum & rerum Syriæ, nummis veteribus illustrati.* 481

Gebaueri (*Ge. Christ.*) *Vita & res gestæ memorabiles Richardi, electi Romanorum Imperatoris, Comitis Cornubiensis & Pictavienſis.* 97

Grüttner (*Sam. Franc.*) *de Prussia nunquam & nulli tributaria.* 41

Gudii (*Gottlob Frid.*) *Vita Jo. Guilielmi Hoffmanni, J. U. Doctoris, &c.* 376

Ledyard (*Thomæ*) *Perveſtigatio Germaniæ, seu Epistolæ familiares hominis nobilis de suis Germaniæ inferioris itineribus.* 500

Mascovii (*Jo. Jac.*) *Commentarii de rebus Imperii Romano-Germanici a Conrado I usque ad obitum Henrici III.* 193

Molleri (*Jo.*) *Cimbria literata, sive Scriptorum Ducatus utriusque, Slesvicensis & Holsatici, Historia literaria.* Tomi III. 289

Muratorii (*Lud. Ant.*) *Antiquitates Italicæ medii ævi.* Tomus V. 433

Niceronii *Commentarii, historiæ celeberrimorum in republica literaria virorum inservientes.* Tomus XLII. 569

P** *Abbatis, Historia Guilielmi Conquæstoris, Ducis Normandiæ, ac Regis Angliæ.* 102

Philonis *Judæi Opera, quæ reperiri potuerunt, omnia, ex edit.* Thomæ Mangey. Volumina II. 385

Schultzii (*Ge. Petri*) *Commentarius de Mareschallis regni Poloniæ.* 44

A Turre Rezzonici (*Ant. Joſephi*) *Comitis, de Suppoſititiis militaribus ſtipendiis Benedicti Odeſcalchi, Patricii Comenſis, qui Pontifex Maximus A. 1596 Innocentii prænomine fuit renuntiatus, Oratio.* 58

VI. *Libri Philoſophici & Miſcellanei.*

Anderſoni (*Jac.*) *Selectus Diplomatum & Numiſmatum Scotiæ Theſaurus.* 625

Anonymi Auguſta Numiſmata, ſide Numorum, Sigillorum, Hiſtoricorum, Chronologorum, Criticorumque, recuſa. 334

Inſtitutio Principis, ſeu opus, quo præcipiuntur requiſita, virtutes, & officia, Principis. 348

Anſaldi (*P. C.*) *de Diis multarum gentium Romam evocatis, ſive de obtinente olim apud Romanos Deorum præſidum in oppugnationibus urbium evocatione, liber ſingularis.* 107

(*Caſti Innocentis*) *de Principiorum legis naturalis traditione Libri III.* 586

Archii (*Nic.*) *Carminum editio ſecunda.* 453

Bergeri (*Jo. Guil.*) *Stromatevs Academicus.* 264

Blanchini (*Franc.*) *de tribus generibus inſtrumentorum Muſicæ veterum organicæ Diſſ.* 295

Bruckeri (*Jac.*) *Hiſtoria critica Philoſophiæ.* Tomi IV Pars I. 207

Brunatius (*Jo.*) *de re nummaria Patavinorum.* 407

Callimachi *Hymni & Epigrammata, ex edit.* Thomæ Bentleji. 402

A Caſtro (*Petri*) *Bibliotheca Medici eruditi, ab* Andr. Paſta *recenſita atque aucta.* 280

Catonis (*M. Porcii*) *Liber de re ruſtica, ex ed.* Jo. Chriſtoph. Hayniſch. 371

De Cepagati, *Marchionis, Judicia, iræ ſtudiique vacua, in librum Gallice ſcriptum, ac Epiſtolarum Judaicarum titulo inſcriptum.* 366

Chriſtii (*Jo. Frid.*) *de Gemmis ſcalptis antiquis Liber ſingularis.* 49

Ciceronis

Ciceronis (*M. T.*) *Academica, ex recenſ.* Jo. Franc. Conrad. de Allio. 623
Cittadini (*Celſi*) *de Antiquitatibus armorum gentilitiorum liber, cum annotationibus* Jo. Hier. Carli. 429
Cruſii (*Chriſtiani Aug.*) *Commentarii de Vita rationi conveniente inſtituenda.* 183
Cumberlandi (*Rich.*) *Commentatio philoſophica de Legibus naturalibus, e Latino converſa, & Notis inſtructa, a* Jo. Barbeyracio. 580
Fracaſtorii (*Hieron.*) *Carminum editio ſecunda.* 453
Frickii (*Jo. Ge.*) *Commentatio de Druidis, Occidentalium populorum Philoſophis, ex ed.* Alb. Frickii. 327
Fumani (*Adami*) *Carminum editio ſecunda.* 453
Funccii (*Jo. Nic.*) *de Vegeta Latinæ linguæ ſenectute Commentarius.* 213
de Scriptura veterum Commentatio. 573
Galeni *Suaſoria ad artes, ex edit.* Thomæ Bentleji. 403
Gravinæ (*Jani Vincentii*) *Opuſculorum nova Collectio.* 61
Hagenbuchii (*Jo. Caſp.*) *de Græcis Theſauri novi Muratoriani Marmoribus quibusdam metricis Diatriba.* 563
Hebenſtreitii (*Jo. Ern.*) *Muſeum Richterianum.* 49
Jenſii (*Jo.*) *Lucubrationes Heſychianæ.* 16
Iſocratea *Monita,* Jacobi Facciolati *ſtudio collecta & explicata. Editio altera, locupletior.* 561
Kœleri (*Jo. Dav.*) *editarum A. 1737 hebdomadalium hiſtoricarum ex Numiſmatibus Deliciarum* Pars IX. 166
Pars X. 360
Pars XI. 555
Pars XII. 697
Luciani *Samoſatenſis Opera, ex edit.* Tib. Hemſterhuſii & Jo. Frid. Reizii. Tomi III. 241
Martini (*Cornelii*) *Aviκδοτα, ſive Epiſtolæ, ad familiares ſcriptæ, editæ ab* Herm. Frid. Braunſſen. 94
Menckenii (*Frid. Ottonis*) *Miſcellanea Lipſienſia nova.* Voluminis III Pars I. 231
Pars II. 283

Menckenii

Menckenii (*Frid. Ottonis*) *Miſcellanea Lipſienſia nova.* Voluminis III Pars III. 709
Metting (*Bernh. Clem.*) *Status militiæ Germanorum principalis & acceſſoriæ veteris & medii ævi.* 35
Molleri (*Jo.*) *Cimbria erata, ſive Scriptorum Ducatus utriusque, Slesvicenſis & Holſatici, Hiſtoria literaria.* Tomi III. 289
Noltenii (*Jo. Frid.*) *Lexicon Latinæ linguæ antibarbarum quadripartitum.* 229
Platonis *Phædo, ſive Dialogus de animæ immortalitate, Græce & Latine, ex recenſ.* Jo. Henr. Winckleri. 717
Porſchbergeri (*Chriſtiani*) *Theocritus, Scripturam S. illuſtrans.* 421
Prokopowicz (*Theophanis*) *Lucubrationes, quæ jam Orationes, jam Poemata, jam Epiſtolas, in ſe comprehendunt.* 703
Salii (*Joſephi*) *Examen criticum in varias opiniones nonnullorum celeberrimorum de rebus poeticis Scriptorum.* 431
Theognidis *Carmina, ex edit.* Thomæ Bentleji. 402
Vionnet (*Ge.*) *Muſeum nummarium, Carmen, ex recenſ.* Jul. Car. Schlægeri. 620
Vulpii (*Jo. Ant.*) *Liber de Satyra Latina natura & ratione, ejusque ſcriptoribus.* 666
Paraphraſis perpetua, & Commentarius uberrimus in Satyram X Juvenalis. ibid.
Waltheri (*Jo. Ge.*) *de primis Aſiæ Monarchis, ad locum Æſchyli in Perſ. v. 761-788, Commentarii.* 236
Wolfii (*Chriſtiani*) *Jus Naturæ, methodo ſcientifica pertractatum.* Pars tertia. 311
Pars quarta. 413
Monitum de libro, qui nuperrime in Batavia prodiit ſub titulo: La decouverte de la verité &c. 523
Xenophontis *Memorabilium Socratis dictorum Libri IV, Græce & Latine, cum Notis integris* Erneſti, *aliorumque ſelectis.* 499
Zanolini (*Ant.*) *Grammatica linguæ Syriacæ inſtitutio.* 258
Lexicon Syriacum. 261

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abeille (*Casp.*) *vita.* 573
Abortus *tertio Menſe ſolennis.* 511
Academiæ *Gottingenſis memoria in numis conſervata.* 174
Advocatorum *Eccleſiæ medio ævo dignitas illuſtrata.* 439
Æratarum *aquarum Neoſolienſium natura deſcripta.* 711
Æſchyli *loca nonnulla illuſtrata.* 236 ſeq.
Alethophilorum *Societati numus conſecratus.* 702
Alexandri *M. in divinam humanamque ſapientiam merita laudata.* 267 ſeq.
hiſtoria illuſtrata. 487
Aliprandi (*Bonamentis*) *Chronicon urbis Mantuæ editum.* 448
De Allio (*Jo. Franc. Conradinus*) *Criticis audacioribus annumerandus.* 623
Anderſoni (*Jac.*) *in colligendis Scotiæ Diplomatibus ſtudium commendatum.* 626 ſeq.
Animalium *varia genera deſcripta.* 55 ſeq.
Animi *humani quæ ſint interiores corruptelæ?* 685 ſeq.
Anniani *Monachi Ægyptii, vita.* 341
Antiquitatum *Germanicarum fontes qui?* 328 ſeq.
Apogæi *Solis motus.* 24
Aquarum *æratarum Neoſolienſium natura deſcripta.* 711
Aquilejenſis *hiſtoria literaria illuſtrata.* 448 ſeq.
Arabiæ *petrææ deſertæ, & felicis, antiquitates illuſtratæ.* 543
Arabicæ *linguæ ſtudium in explicatione Scripturæ S. commendatum.* 307
Archii (*Nic.*) *Carmina edita.* 461
Armorum *gentilitiorum antiquitates illuſtratæ.* 429 ſeq.
Arteriæ *& venæ ſpermaticæ anaſtomoſes.* 509
Aſiæ *monarcharum hiſtoria ex Æſchylo illuſtrata.* 236 ſeq.
Aſſemani (*Joſephi Simonii*) *in Opera Ephraemi Syri merita.* 577 ſeq.
Aſtronomiæ *Elementa nova edita.* 21 ſeq.
Aſtrorum *figuræ quomodo oriantur?* 224
Athanaſii *annus emortualis definitus.* 453

Athletarum *differentiæ & dieta.* 640
Ex Auguſtana *Confeſſione Theologia moralis eruta.* 681 ſeq.
Auguſtini, *Hipponenſium Epiſcopi, vita & ſcripta recenſita.* 673 ſeq.

B.

Bachiarii, *Philoſophi, vita.* 341
Barbeyracius (*Jo.*) *optime meruit de Cumberlandi de Legibus naturalibus opere.* 582 ſeq.
Barreiros (*Gaſp.*) *vita.* 572
Baſſi (*Laura Maria Catharina*) *in numo repræſentata.* 170
Benedicti (*Petri*) *in Opera Ephraemi Syri merita.* 578
Benedictus *XIV, P. M. laudatus.* 343
Ad Beneficia *exhibenda obligatio hominum explicata.* 414 ſeq.
Benini (*Vincent.*) *Italica Syphilidos Fracaſtorianæ verſio edita.* 462
Bentleji (*Th.*) *in Callimachum Notæ examinatæ.* 403 ſeq. *in Jul. Cæſarem Notarum ſpecimina.* 496 ſeq.
De Berger (*Jo. Guil.*) *laudatus.* 264 ſeq.
Bernardi (*Jo. Steph.*) *in Demetrium Pepagomenum merita.* 303 ſeq.
Berroyerii (*Claudii*) *vita.* 570
Betuleji (*Sixti*) *vita.* 572
De Bibliothecis *veterum ſingularia.* 576
Bileami *hiſtoria illuſtrata.* 552
Binomialis *theorematis demonſtratio.* 142 *formula, quæ abrumpitur pro exponente integro negativo.* 143
Blanchini (*Franc.*) *ſcripta recenſita.* 296
Bœhmeri (*Juſti Chriſtoph.*) *vita.* 557
Bonifacii *Papæ vita.* 340
Boſſuetus (*Jac. Ben.*) *refutatus.* 201 ſeq. 343 ſeq.
Bruni (*Conradi*) *vita.* 572
Brunſuico-*Luneburgenſium Ducum origines illuſtratæ.* 234
Bruyſii (*Franc.*) *vita & ſcripta.* 571
Bulæi (*Cæſaris Egaſſii*) *Hiſtoria veterum Academiarum Galliæ Druidicarum denuo edita.* 333

C.

Cæſaris (*Julii*) *loca nonnulla emendata.* 286. 496 ſeq.
Calculum *veſicæ per ſectionem curandi modi varii a variis indicati.* 112 ſeq.

Calixti (*Georg.*) *vita & ſcripta.* 294 ſeq.
Callimachi *locorum variorum emendatio tentata.* 404 ſeq.
Cancer, *morbus, unde?* 33 ſeq.
Canonicorum *origo quæ?* 438
In Cantico *Canticorum ſenſus propheticus veſtigatus.* 154 ſeq.
Capitis *muſculorum icones repræſentatæ.* 30 ſeq.
Carcinoma, *morbus, in quo conſiſtat?* 33
Cardinalium *origo quæ?* 437 ſeq.
Caroli *VI Imp. res geſtæ Inſcriptione comprehenſæ.* 336
Carolus *M. an literarum imperitus fuerit?* 234
Caſtalionis (*Joſephi*) *vita.* 573
Catharorum *ſecta deſcripta.* 436
Catonis *de re ruſtica liber denuo editus.* 371
Cereris *ſacra explicata.* 720
Chami, *& ejus poſterorum, hiſtoria illuſtrata.* 545
Chartümmim *fuerunt agyrtæ & circulatores.* 715
vox, unde? ibid.
Chiocchi (*Andr.*) *Apologia pro Fracaſtorii Siphylide edita.* 462
Choroidea *tunica organum viſus primarium.* 476
Chriſtierni *II, R. Daniæ, vita.* 556
Chriſtii (*Jo. Frid.*) *in Muſeum Richterianum merita.* 50
Chromatii, *Ep. Aquilejenſis, vita & ſcripta.* 339
Chronologia *Syrorum explicata.* 485
S. Chryſoſtomi *vita & ſcripta recenſita.* 145 ſeq.
Ciceronis *Academica notulis nonnullis illuſtrata.* 623 ſeq.
Cimbrorum *doctorum vitæ deſcriptæ.* 290 ſeq.
Cleri *quales olim medio ævo fuerint immunitates?* 445
Clericus (*Jo.*) *in Auguſtanam Confeſſionem iniquior.* 682
De Cochleis *qui ſcripſerint?* 160
Colloquii *Wormatienſis hiſtoria edita.* 309 ſeq.
Cometæ *anni 1744 obſervationes variæ.* 514 ſeq.
variatio caudæ. 517
atmoſphæra, & vapores inde adſcendentes. 518
Comitii *& fori quæ olim differentia?* 466
De Conchyliis *qui ſcripſerint?* 160
Conchyliorum *varia genera deſcripta.* 55
Concilia *Eccleſiæ varia deſcripta.* 342

Conradi *I Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 194
II Imp. res geſtæ deſcriptæ. 199
Conſcientiæ *quæ præcipuæ ſint corruptelæ?* 693
Contractuum *beneficorum ratio ex Jure naturæ explicata.* 415 ſeq.
Converſio *Dialecticorum carmine deſcripta.* 460
Cordis *motus explicatus.* 210
Corporis *humani mechanica principia explicata.* 67 ſeq.
A Coſta (*Jani*) *in Inſtitutiones Juris Commentarius denuo editus.* 412
Cumberlandi (*Rich.*) *de Legibus naturalibus liber Gallice converſus.* 581
vita. 582 ſeq.
Cuperi (*Gisb.*) *Epiſtolæ nonnullæ editæ.* 235
Curvæ, *radios ex dato puncto poſt duplam reflexionem iterum in illud reflectentes, ad invertendum propoſitæ.* 523

D.

Deos *præſides ex oppidis obſeſſis evocandi, mos Romanorum illuſtratus.* 107 ſeq.
Erga Deum *officia varia explicata.* 189 ſeq.
Differentiales *formulæ, ex duabus tribusve variabilibus compoſitæ, quomodo cognoſci poſſit, an ſint differentiæ exactæ?* 655 ſeq.
Differentialium *natura novo modo explicata.* 660 ſeq.
Diœceſium *Epiſcopalium varius in Italia ſtatus deſcriptus.* 440 ſeq.
Diplomata *Scotiæ collecta.* 627 ſeq.
Divortiorum *quæ apud antiquiſſimos Romanos ratio fuerit?* 469
Dominia *quomodo ab uno ad alterum transferantur?* 312
Druidarum *hiſtoria plenior deſcripta.* 329 ſeq.
De Druidis *Scriptorum catalogus.* 333

E.

Ebneri (*Eraſmi*) *vita.* 310
Eccleſiæ *Romanæ quales olim in Italia fuerint reditus?* 444 ſeq.
Eccleſiarum *quales in Italia medio ævo fuerint immunitates?* 445
Effluvia *puellarum ſenibus longævitatem conciliant.* 374 ſeq.
Eginharti *locus obſcurior explicatus.* 234
Electricitatis *hiſtoria.* 84 ſeq.

Electricitatis *phænomena varia.* 85 seq.
Ephraemus *Syrus an in doctrina de S. Cœna cum Ecclesia Romana consentiat?* 579
ejus Opera a variis illustrata. 577 seq.
Epigrammata *quædam Græca nunc primum edita.* 20
Episcopalium *Diœcesium varius in Italia status descriptus.* 440 seq.
Episcoporum *requisita.* 359
Esavi *historia illustrata.* 541
Ethicæ *principia explicata.* 187
Etruscarum *antiquitatum varia cimelia collecta.* 287 seq.
Evangelia, *Domini festisque diebus sacra, philologice illustrata.* 478 seq.
Evocandi *Deos præsides ex oppidis obsessis, mos Romanorum illustratus.* 107

F.

Facciolati (*Jac.*) *in Monita Isocratis merita.* 561 seq.
Febris *intermittens.* 637
Fixarum *motus in longitudinem.* 22
magnitudo. 23
Fœnori *quales olim apud Romanos modi constituti?* 467 seq.
Fœtus *situs in utero.* 319. 474
Forbesii (*Guil.*) *vita.* 570
(*Jo.*) *vita.* ibid.
Fori *& comitii quæ olim differentia?* 466
Fortunatiani, *Ep. Aquilejensis, vita & in literas merita.* 449 seq.
Fossilia *disponendi methodus quæ optima?* 50 seq.
Fracastorii (*Hieron.*) *Carmina demum edita.* 453 seq.
Epistolæ editæ. 455
vita. ibid.
Franckii (*Aug. Herm.*) *vita promissa.* 290
Fraissardi (*Jo.*) *vita.* 572
Fulberti *methodus lithotomiam administrandi examinata.* 113
Fumani (*Adami*) *Carmen de Dialectica editum & laudatum.* 459 seq.
De Funerum *sumtibus lex antiqua Romanorum explicata.* 472
Fungus, *morborum genus, unde?* 33 seq.
In Furto *deprehensi quomodo olim puniti?* 467
Furtum *per lancem & licium explicatum.* ibid.

G.

Galli (*Cornelii*) *vita & in literas merita.* 449
Gallorum *in rem numismaticam merita.* 621

Gaudentii,

Gaudentii, *Ep. Brixienſis, vita.* 341
Gemmæ *ſcalptæ Muſei Richteriani deſcriptæ.* 56 ſeq.
Gemmarum, *in libro Jobi occurrentium, nomina.* 548
Generatio *animalium ex principiis mechanicis explicata.* 77
De Germaniæ *ſtatu hodierno ſingularia.* 501 ſeq.
Germanica *quædam vocabula explicata.* 713
Germanicarum *antiquitatum fontes qui?* 328
Germanici *Imperii leges fundamentales collectæ.* 272 ſeq.
Geſneri (*Jo. Matthiæ*) *in Lucianum merita laudata.* 252 ſeq.
Geſpenſt, *vocabulum, unde?* 713
Glebarum *varia genera deſcripta.* 51 ſeq.
Gluten, *elementa corporum conjungens.* 605
Gorii (*Ant. Franc.*) *in antiquitates Etruſcas merita.* 287
Gottingenſis *Academiæ memoria in numis conſervata.* 174
Graduum *magnitudo in hypotheſi Telluris ſphæroidicæ.* 223
De Gratia *doctrina Reformatorum explicata.* 635 ſeq.
Gravinæ (*Jani Vinc.*) *vita & in literas merita.* 61
Gravinæ (*Jani Vinc.*) *teſtamentum* 62
ſcripta inedita. ibid.
Gravitatis *in Tellure leges.* 652 ſeq.
Gruteri (*Jani*) *Suſpicionum criticarum Liber X editus.* 712

H.

Hæreticorum *medio ævo largus proventus in Italia.* 436 ſeq.
Hannoverano *ſenatui quando primum jus feriundi numos datum?* 556
Haſenmulleri (*Dan.*) *vita.* 578
Hayniſchii (*Jo. Chriſtoph.*) *in Catonem de re ruſtica merita.* 371 ſeq.
Hebenſtreitii (*Jo. Ern.*) *in Muſeum Richterianum merita.* 50
Hebræorum *antiquitates ſacræ illuſtratæ.* 598 ſeq.
Hemſterhuſii (*Tiber.*) *in Lucianum merita.* 241 ſeq.
Henrici *I Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 194 ſeq.
II & III Imp. res geſtæ deſcriptæ. 199
Herctum *citum explicatum.* 468
Hermetis *Paſtoris vita & in literas merita.* 449
Hermippo *cuidam poſita Inſcriptio antiqua.* 373

De

De Heſychio *varia.* 17
Heſychius *illuſtratus & emendatus.* 17 ſeq.
S. Hieronymi *vita & ſcripta.* 339 ſeq.
Hildeſienſes *Epiſcopi jam ante Carolum IV Regalia ab Imperatoribus obtinuerunt.* 560 ſeq.
Hippocratis *editio Mackiana laudata.* 1 ſeq.
loca quædam reſtituta, aut emendata. 3 ſeq.
verſio nova ſub judicium vocata. 6 ſeq.
Hiſtoriæ *Romanæ antiquiſſimæ certitudo vindicata.* 285 ſeq.
Hoffmanni (*Jo. Guil.*) *vita & ſcripta.* 377 ſeq.
Holſatorum *doctorum vitæ deſcriptæ.* 290 ſeq.
Homeri *loca varia illuſtrata.* 18 ſeq.
De Homeri *ſtilo varia.* 18
Hoockii *experimentum de reſpiratione.* 508
Horatius *cum Juvenale & Perſio comparatus.* 670
Hycſi *apud Joſephum qui ſint?* 536
De Hyperbolæ *Aſymptoto ridicula ſententia.* 664 ſeq.

I.

Idumææ *triplicis hiſtoria illuſtrata.* 545
Imperatorum *Romanorum numiſmata collecta.* 334 ſeq.
Indulgentiarum *in Italia origo quæ?* 443 ſeq.
Innocentii *I, P. M. vita.* 339
Innocentius *XI, P. M. an unquam militiam ſecutus ſit?* 58 ſeq.
Inſcriptio *antiqua, Hermippo poſita, explicata.* 373
Inſcriptiones *Etruſcæ collectæ.* 287 ſeq.
quædam antiquæ Muratorii ſub judicium vocatæ. 564
Inſtrumenta *Muſicæ veterum organicæ deſcripta.* 297 ſeq.
Interpolandi *methodus Neutoniana demonſtrata.* 129 ſeq.
Jobi *liber ex hiſtoria antiqua illuſtratus.* 530
an veram hiſtoriam contineat? 531
quo Autore ſcriptus? ibid.
ejus ſtilus qualis? 532
nomen unde? 534
fata deſcripta. 546 ſeq.
patria quæ fuerit? 546 ſeq.
ſcientia quæ? 547
Joannis, *Ep. Hieroſolymitani, vita.* 339
Jochanis, *ejusque poſterorum, hiſtoria illuſtrata.* 534 ſeq.

Jovii (*Pauli*) *vita & numus.* 698
Jovis *Satellitum apparentia variabilis.* 28
Isocratis *Monita a Facciolato illustrata.* 561 seq.
Judæ *Thaddæi Epistola Commentario illustrata.* 709
Judaicæ *Epistolæ refutatæ.* 366 seq.
Jura *quomodo ab uno ad alterum transferantur?* 312
Juris *naturæ vis & obligatio unde?* 584
Justini *Martyris loca nonnulla emendata.* 285
Juvenalis *cum Horatio & Persio comparatus.* 670
Satyra decima illustrata. 671
De Juvenalis *satyrica poesi judicium.* 669

K.

Kohlius (*Jo.*) *a variis refutatus.* 579

L.

Lac *quomodo generetur?* 78
Lamberti (*Josephi*) *vita.* 573
Lapidum *varia genera descripta.* 54
Latinæ *linguæ inde a Trajano usque ad Romam a Gothis expugnatam facies descripta.* 214 seq.
Latinæ *linguæ Lexicon antibarbarum denuo editum.* 230 seq.
vindiciæ. 231
voces nonnullæ, in Lexicis haud obviæ. 234 seq. 286 seq. 713 seq.
in XII Tabulis obviæ, explicatæ. 464 seq.
Latomi (*Barthol.*) *vita.* 570
(*Jac.*) *vita.* 572
Leges *Imperii Rom. Germanici fundamentales collectæ.* 272 seq.
naturales ad unicam sententiam reductæ. 585
harum vis & obligatio unde? ibid.
fundamentum in traditione positum. 586 seq.
Lescaloperii (*Petri*) *Theologia veterum Gallorum denuo edita.* 333
Ligamenti *teretis femoris structura & usus.* 506
Linnæus (*Car.*) *refutatus.* 50
Lithotomiam *administrandi variæ methodi examinatæ.* 112 seq.
Longitudinum *determinatio per motum lunæ.* 228
inventio ridicula. 427 seq.

Luciani *loca varia explicata, aut emendata.* 249 seq.
In Lucianum *merita variorum laudata.* 242 seq.
Luis *venereæ curatio.* 609
Luisini (*Franc.*) *Liber tertius ad Fracastorii Josephum editus.* 462
Lumen *zodiacale quid?* 521
Lunæ *parallaxis ad longitudinum inventionem necessaria.* 228
pro hypothesi telluris sphæroidicæ determinata. 229
atmosphæræ negatæ. 25
Lupi, *quinta plaga Ægypti, quomodo explicandi?* 284

M.

Macchabæorum *libri illustrati.* 482
Mackii (*Steph.*) *in Hippocratem merita laudata.* 1 seq.
versio Hippocratis nova sub judicium vocata. 6 seq.
Magdeburgum *in numo repræsentatum.* 167
Magiæ *varia genera.* 552
Ad Magliabechium (*Anton.*) *clarorum Virorum Epistolæ promissæ.* 525 seq.
Mangey (*Thomæ*) *in Philonem merita.* 384 seq.
De Manteuffel (*Ern. Christoph.*) *memoria in numo.* 702
Mareschalcorum *Poloniæ dignitas illustrata.* 44 seq.
Marmorum *varia genera descripta.* 54
Maronitis *præcipue nunc usitata lingua Syriaca.* 264
Martini (*Cornelii*) *vita & in literas merita.* 94 seq.
(*Joan.*) *vita.* 572
Mayeri (*Jo. Frid.*) *vita promissa.* 290
Mechanicæ *corporis humani leges explicatæ.* 67 seq.
Medicas *Institutiones scribendi ratio.* 565
De Medicis *nonnullis libris judicium.* 281 seq.
Menagius (*Ægid.*) *in numo repræsentatus.* 175
Menckenii (*Ottonis*) *ad Guil. Caveum Epistolæ duæ editæ.* 287
Menckenius (*Frid. Otto*) *ab Italis refutatus.* 455 seq.
defensus. ibid.
ejus Vita Fracastorii laudata. 455
Mercurius *in Sole observatus.* 609 seq.
Metallorum *varia genera descripta.* 51 seq.
Militiæ *Germanorum omnis ævi status descriptus.* 35 seq.

Milleri (*Jo. Petri*) *de Druidum nomine conjectatio edita.* 333
Miniſterialium *dignitas illuſtrata.* 38 ſeq.
Molleri (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 291 ſeq.
Monachorum *in Italia origo quæ?* 441 ſeq.
Monaſteria *quando primum in Italia orta?* 441
quibus modis olim terrenis opibus aucta? 443
Mopſueſtani (*Theodori*) *vita.* 341
Morandus *an primus fuerit, qui in Gallia ſectionem calculi lateralem exercuit?* 113 ſeq.
Morborum *ſucceſſionis capita primaria.* 417
Morum *doctrina Chriſtiana ex Auguſtana Confeſſione eruta.* 681 ſeq.
Motus *animalium ex principiis mechanicis explicatus.* 76
Muhlii (*Henr.*) *vita promiſſa.* 290
De Münchhauſſen (*Gerlac. Adolph.*) *laudatus.* 166
Muratorii (*Lud. Ant.*) *Inſcriptiones quædam antiquæ ſub judicium vocatæ.* 564
Muſculorum *capitis icones repræſentatæ.* 30 ſeq.
Muſei *inſtruendi methodus quæ optima?* 50 ſeq.
Muſeum *Richterianum deſcriptum & laudatum.* 49 ſeq.
Muſicæ *veterum organicæ inſtrumenta deſcripta.* 297 ſeq.

N.

Neoſolienſium *aquarum eratarum natura deſcripta.* 711
Nervorum *recurrentium uſus in voce.* 509
Numaria *res Patavinorum illuſtrata.* 408
Numi *rariores varii deſcripti.* 167 ſeq. 361 ſeq. 555 ſeq. 698 ſeq.
Patavinorum deſcripti. 408 ſeq.
res Syriæ veteris illuſtrantes. 483 ſeq.
Seleucidarum in ordinem redacti. 488
Numiſmata *auguſta collecta.* 334 ſeq.
Regum Scotiæ aurea & argentea collecta. 631
Numiſmatica *res per Gallos illuſtrata.* 621
Numus, *Mariæ Thereſiæ, Hungariæ Reginæ, dicatus.* 482

O.

Obligationes *ad dandum & faciendum quomodo contrahantur?* 312

Obliquitatis *Ecliptica variatio.* 24
Odescalchus (*Bened.*) *an unquam militiam secutus sit?* 58 seq.
Oiselii (*Jac.*) *vita.* 573
Olearii (*Jo. Christoph.*) *Prodromus Hagiologiæ numismaticæ denuo editus.* 176
Osiandri (*Lucæ*) *Cynosura studiorum sacra denuo edita.* 424
Ottonis *M. res gestæ descriptæ.* 197 seq.
Ouselii (*Phil.*) *vita.* 573

P.

Palladii, *Ep. Hellenopolitani, vita & scripta.* 339
Pammachii, *Senatoris Romani, vita.* ibid.
Panodori, *Monachi Ægyptii, vita.* 341
Parcarum *fabula illustrata.* 233
Parisotti (*Jo. Bapt.*) *de anno mortis Fracastorii Epistola edita.* 457
Patavinorum *res numaria descripta.* 408 seq.
Paulini, *Ep. Nolani, vita & scripta.* 341 seq.
Peccatorum *redemtione multæ olim locis sacris in Italia opes accesserunt.* 443 seq.
Pentapoleos *status delineatus.* 539 seq.
Pepagomeni (*Demetrii*) *de Podagra loca varia emendata.* 303 seq.
Persius *cum Horatio & Juvenale comparatus.* 670
Petersenii (*Jo. Wilh.*) *& uxoris ejus, vita promissa.* 290
Petiti (*Petri*) *vita.* 571
Petrus *I, Imp. Russorum, quo morbi genere obierit?* 704
de Suecis victor glorioſissimus. 705
Pflaume, *vocabulum, unde?* 713
Phædri *Fabulæ cum Notis Burmanni denuo editæ.* 720
Phialæ *vitreæ, casu silicis dissilientes.* 79
Philelphi (*Franc.*) *vita.* 572
Philonis *vita, religio, & placita, descripta.* 386
loca varia emendata, aut illustrata. 394 seq.
Philosophiæ *quæ post instauratas literas facies fuerit?* 208 seq.
De Phœnice, *ave, varia.* 549
Platneri (*Jo. Zach.*) *in Museum Richterianum merita.* 50
Plato *animi ac virtutis magister.* 718
Platonis *Phædo denuo editus & illustratus.* 717 seq.
Plauti *loca varia emendata.* 712
Pleuritidi *succedentes morbi.* 419

Pnevma-

Pnevmatomachorum *recentiorum historia descripta.* 16
Poesis *Hebræorum illustrata.* 532 seq.
Poeticæ *rei capita varia illustrata.* 431
Politicæ *prudentiæ principia explicata.* 192
Polonorum *Mareschalci qui?* 44 seq.
res typographica illustrata. 46 seq.
Pontifex *Rom. an generali Conciliorum potestati obnoxius sit?* 343 seq.
Pontificis *Rom. in definiendis fidei controversiis judicium an reformari possit?* 200 seq.
De Prædestinatione *judicium.* 95
Prædestinationis *doctrina explicata.* 632
Preces *Ebræorum litorales illustratæ.* 284
Principis *requisita, virtutes, & officia, descripta.* 550 seq.
Priscillianistarum *fata, doctrinæ, & mores, descripti.* 591 seq.
Priscillianus, *autor sectæ, ab ipso dictæ, quis fuerit?* 592
Problemata *identica quid?* 660
Prussia *nunquam & nulli tributaria.* 41 seq.
Puellarum *effluvia senibus longævitatem conciliant.* 374 seq.
Pulsus *constans signum sanitatis.* 503
differentia. 218
Pulsuum *accuratior mensura.* 503
De Pythonissa *Endorea judicium.* 716 seq.

Q.

Du Quentai (*Bartholomæi*) *vita.* 572

R.

Ravii (*Jo. Eberh.*) *in Relandi Antiquitates sacras Hebræorum merita.* 597
Refractiones *quomodo observentur?* 22
Reizii (*Jo. Frid.*) *in Lucianum merita.* 242 seq.
Relandus (*Hadr.*) *in describendis Hebræorum Antiquitatibus sacris diligentissimus.* 598
Renaudotius (*Euseb.*) *refutatus.* 580
Respiratio *ex principiis mechanicis explicata.* 71
quid sit? 507
ejus causæ. ibid.
Retinæ *tunicæ oculi usus.* 477
Rhodomani (*Laur.*) *vita.* 573
Ribeiri (*Jo. Pinæi*) *vita.* 572
Richardi, *Romanorum Imperatoris,*

toris, vita & res gesta descriptæ. 97 seq.
Richteri (Christoph.) Museum laudatum. 49 seq.
Robortelli (Franc.) vita. 570
S. Romuli, Ep. Fæsularum, Acta an sint fide digna? 151
natales & mors. 152
Ruckerus (Jo. Conr.) in nova Commentarii Jani a Costa in Institutiones editione quid præstiterit? 412
Ruddimanni (Th.) in Andersoni Collectionem Diplomatum Scotiæ merita. 626 seq.
Ruffini, Aquilejensis, vita & scripta. 337 seq. 450 seq.
Rusticæ rei vocabula nonnulla explicata. 372

S.

Sabæorum ac Sabaismi historia. 550
Sadoleti (Jac.) vita. 560
Salivæ morbi. 603
Salivatio mercurialis quomodo instituenda? 604
Sanctorum cultus medio ævo qualis fuerit in Italia? 434 seq.
De Sanctorum cultu doctrina Pontificiorum refutata. 89 seq.
Sanguinis indoles per analysin chemicam non eruitur. 505
Sanguinis & seri proportio. 504
Sanguis sani hominis blandus. 606
Sarcoma, morborum genus, unde? 33 seq.
Sarnellii (Pompeji) vita. 573
Satellitum Jovis apparentia variabilis. 28
Saturni annulus. 26
quomodo generari possit? 226
In Saturno fasciæ observatæ. 25
Satyræ Latinæ natura & ratio descripta. 666 seq.
Schlægeri (Julii Caroli) in Vionneti Museum nummarium merita. 620 seq.
Scirrhus, morbus, in quo constat? 33
Scotiæ Diplomata & Numismata collecta. 627 seq.
Scribendi apud veteres Arabes modus qualis? 553
Scripturæ veterum antiquitates illustratæ. 574 seq.
S. loca nonnulla explicata, aut illustrata:
Gen. I. 96
24 seq. 694
II, 1-3. ibid.
VIII, 21. 156
X, 14. 537
16. 546

Gen.

Gen. X, 30. 534
XII, 16. 538
XIV, 5. 536. 541
6. 536. 537. 547
7. 536
18. 598
XV, 2. 543
18. 536
XX, 19. 540
XXII, 16. 536
XXIII, 6. ibid.
XXX, 14 *seq.* 158
XXXII, 2, 3. 157
8, 9. ibid.
11. ibid.
29. 536
XXXIII. 541
XXXVI, 6. ibid.
8. ibid.
24. 541
31, 32. 542
33. 534. 542
34. 542
35. 537. 542
36-39. 542
XXXVII, 25. 541
Exod. VII, 3. 687
VIII, 17. 284. 285. 551
X, 9. 542
XII, 16. 694
18. ibid.
XVII, 15. 156
XII, 11. 694
Num. XII, 3. 531
XXII, 5. 552
XXIII, 7. ibid.
Num. XXXI, 8. 552
XXXIII, 31, 32. 538
Deut. I, 1. 543. 545
II, 10, 11. 537. 541
12. 541
20. 536
23. 537
V, 12-15. 694
X, 6. 538
XII, 32. 96
XVIII, 11. 552
XXVIII, 66. 233
XXXIII, 2. 284. 538
Jos. XIII, 2-6. 536
22. 552
XV, 10. 541
XXIII, 12, 13. 536
XXIV, 9. 552
Judic. III, 5. 536
XVI, 19. 156
1 *Sam.* IV, 3. 232
XII, 3. 18
2 *Sam.* III, 15. 232
V, 8. ibid.
XIII, 6. ibid.
XVI, 2. ibid.
XVIII, 13. ibid.
1 *Reg.* V, 3. 19
XI, 18. 538
XII, 33. 232
1 *Chron.* I, 21. 535
IV, 9. 534
40. 536
V, 19. 539
XXIII, 8. 19
2 *Chron.* IX, 17. 158

2 Chron. XXXVI, 14. 599
Nehem. VIII, 4. 158
XI, 27. 537
33. ibid.
Job. 530 seq.
II, 9. 284
VI, 4. ibid.
VII, 5. ibid.
6. 233
XXI, 15. 284
XLI, 6. ibid.
Pſ. VII, 1. 545
IX, 17. 233
XVIII, 9. 158
16. ibid.
XXVII, 5. ibid.
XXXV, 38. 233
XXXVII, 20. ibid.
XL, 8, 9. 157
XLII, 7. 540
XLV, 8. 16
LXXIV. 95
13, 14. 541
LXXVI, 3. 598
LXXVIII, 45. 284
LXXXIX, 11. 541
38. 157
XCVII, 1. 537
6. 299
CV, 3. 284
CIX. 388
CXIII, 15. 233
CXX, 5. 538. 544
Prov. VII, 22, 23. 307
XXVI, 6. 284
Cantic. I. 155 seq.
Cantic. I, 5. 538
14. 540
II-VIII. 155 seq.
Eſ. III, 18. 307
VI, 10. 687
XI, 10. 156
12. ibid.
XVIII, 1. 301
XXIII, 6. 632
XXVIII, 15. 552
18. ibid.
XXIX, 1. 599
XXXI, 4. 233
XXXVIII, 14. ibid.
XLII, 11. 539
LIII, 11. 15
LX, 7. 538
19, 20. 157
Jer. XXV, 20. 541. 543
XLVII, 4. 537
XLIX, 28-33. ibid.
Thren. IV, 21. 541
Ezech. IX, 4. 711
XIV, 14. 531
20. ibid.
XVI, 46. 540
53. ibid.
55. ibid.
XXV, 16. 538
XXVI, 18. 537
XXVII, 17. 549
19. 535
XXX, 5. 538
XLVII, 1-10. 540
Dan. IV, 6. 716
XI. 482. 484

Joel. II, 20. 542
Mich. VI, 5. 552
Zephan. I, 4. 551
Habac. III, 3. 538
Sap. XVI, 6. 400
1 *Macc.* V, 14. 538
VI, 2. 487
VIII. 488
XIII. 430
XV, 39. 483
Matth. I, 21. 636
IX, 13. 634
XIII. 155
XVI, 16. 207
22. 423
XVIII, 11. 634
XX, 28. 636
XXVI, 28. 635. 636
Marc. II, 14. 709
VI, 49. 716
XVI, 15. 635
Luc. I, 2. 389
IX, 56. 634
XIX, 10. ibid.
XXI, 25. 479
XXII, 32. 207
XXIV, 31. 423
37. 716
Jo. I, 10. 634
29. 635
III, 16, 17. 634
V, 38. 389
VI, 63. 96
X, 15. 636
XI, 52. ibid.
XII, 47, 48. 635
XVI, 8. 16
XVII, 9. 636
Act. II, 9. 401
VIII. 710
27. 259
IX, 5. 156
XI, 19-21. ibid.
XV. 204
XVIII, 18. 601
XX, 32. 389
XXI, 5. 284
Rom. II, 16. 422
III, 7. 95
IV, 18. 248
V, 18. 635
VI, 1 *seq.* 15
VII, 7. 696
VIII, 26. 16
32. 635
34. 636
IX. ibid.
XIV, 15. 635
XV, 9. ibid.
12. 156
XVI, 17. 158
1 *Cor.* III, 16. 16
19. 531
VI, 19. 16
VIII, 11. 635
XIII, 1. 300
2 *Cor.* V, 14, 15. 635
VI, 16. 16
XII, 7. 284
Gal. III, 25, 26. 95
Eph. I, 6. 156
V, 2. ibid.
25. 636
Phil. II *seq.* 96
Col. I, 6. 635
1 *Tim.* I, 15. 634

1 Tim. II, 4. 635
6. ibid.
III, 2. 15
IV, 3, 4. 710
VI, 20. 421
2 Tim. I, 12. 421. 422
14. 421
II, 17, 18. 14
Tit. I, 3. 389
II, 11. 635
1 Pet. I, 23. 389
III, 19 seq. 96
2 Pet. II, 1. 635
15. 552
1 Jo. IV, 1-3. 711
Hebr. II, 9. 635
VI, 1, 2. 14
VII, 27. 601
IX, 28. 636
X, 26-29. 635
Jac. I, 14, 15. 696
18. 389
V, 11. 531
Jud. 709 seq.
Apoc. II, III. 155
V, 6. 156
VII, 3. 711
IX, 4. ibid.
XII, 7-12. 157
Secundinæ *descriptio.* 349 seq.
extractio caute suscipienda. 474
Sedulii, *Poetæ Christiani, vita.* 342
Selah, *vocis, sensus vestigatus.* 232 seq.
Seleucidarum *numi in ordinem redacti.* 488
Senibus *longævitatem conciliant effluvia puellarum.* 374 seq.
Sensuum *externorum doctrina ex principiis mechanicis explicata.* 72 seq.
internorum ratio quæ? 74 seq.
De Sepultura *lex antiqua Romanorum explicata.* 471 seq.
Severi (*Sulpicii*) *vita & scripta.* 342
Sigilla *Scotiæ collecta.* 628. 630
Sigillum *Dei in frontibus fidelium explicatum.* 711
Slesvicensium *doctorum vitæ descriptæ.* 290 seq.
Solani (*Mosis*) *in Lucianum merita quæ?* 246
Solutionum *chymicarum leges mathematicæ.* 519
Sorites *Dialecticorum carmine descriptus.* 460
Specifica *remedia quomodo assumenda?* 569
Pro Sphæroide *fluido æquilibrii conditiones.* 647 seq.
Stellæ *nebulosæ observatæ.* 224
(*Claudii*) *vita.* 573
Stromatevs, *vox, quid notet?* 265
Superstitionum *medio ævo in Italia vestigia.* 435
Synesii, *Ep. Ptolemaidis, vita & scripta.* 341
Syriacæ *linguæ usus demonstratus.* 258 seq.
elementa tradita. 259 seq.

Syriacæ

Syriacæ *linguæ Lexicon editum.* 262 seq.
dignitas & utilitas commendata. 263
versiones Scripturæ S. recensitæ. 263 seq.
usus apud Maronitas. 264
Syriacorum *quorundam Scriptorum vitæ.* 340
Syriæ *Regum Annales confecti.* 482
Syrorum *Chronologia explicata.* 485

T.

Tabularum *XII leges explicatæ.* 463 seq.
harum historia illustrata. 464
Targionii (*Jo.*) *institutum, edendi clarorum virorum ad Magliabechium Epistolas.* 525 seq.
Telluris *figura sphæroidica.* 221. 645
Temperamentorum *doctrina ex principiis mechanicis explicata.* 69
Terebra *occulta, instrumentum chirurgicum.* 475
Terrarum *varia genera descripta.* 54
Testaceorum *animalium natura vestigata.* 160 seq.
Testiculorum *defectus viros fœminis similes reddit.* 510
De Testis *qui scripserint?* 160
De Testis *singularia observata.* 160 seq.
Ex Testis *quomodo existentia & virtutes Dei demonstrari possint?* 161 seq.
Thaleri *Ducum Saxoniæ descripti.* 166 seq. 361 seq.
variorum Principum Imperii descripti. 555
Principum Silesiæ descripti. 698
Ex Theocrito *Scriptura S. illustrata.* 422 seq.
Theologiæ *moralis principia explicata.* 189 seq.
natura & necessitas. 684
Theologica *studia quomodo instituenda?* 424 seq.
Theorematis *binomialis demonstratio.* 142
formula, quæ abrumpitur pro exponente integro negativo. 143
Thoracis *motus alterni causæ.* 508
Thucydidis *de bello Peloponnesiaco narratio vindicata.* 282 seq.
In Traditione *fundamentum legum naturalium positum.* 586 seq.
De Tragœdiis *singularia notata.* 432
Tridentinæ *ecclesiæ origo unde?* 63

Tridentinæ *ecclesiæ primi Episcopi qui?* 65 seq.
Trombelli (*Jo. Chrysost.*) *refutatus.* 89 seq.
Tuborum *capillarium phænomena explicata.* 651
Turneminii (*Ren. Josephi*) *vita* 571
De Typographiis *Poloniæ varia.* 46 seq.

U.

Variolarum *& morbillorum examen.* 638
De Vasconcellos (*Augustini Manuelis*) *vita.* 572
Vasorum *uteri & placentæ nexus.* 322
Velleji *Paterculi locus emendatus.* 712 seq.
Venæ *spermaticæ & arteriarum anastomoses.* 509
Venenorum *operatio.* 608
Venetis *motus juxta Branchium refutatus.* 26 seq.
Vesicæ *calculum per sectionem curandi viæ variæ a variis indicatæ.* 112 seq.
Vicedominorum *in Italia dignitas illustrata.* 440
Viguierii (*Nic.*) *vita.* 570
Vionneti (*Ge.*) *Museum numarium denuo editum.* 622
Viri *menstruorum mutationem patiuntur in perspiratione.* 511
Virtuti *quomodo animus humanus conformandus?* 187 seq.
Vis *centripetæ in planeta ratio ad gravitatem.* 226
Vitrum *cur sit fragile?* 83
Virgilii *loca nonnulla vindicata.* 235
Vocabula *quædam Germanica explicata.* 713
Latina in Lexicis non obvia. 234 seq. 286 seq. 713 seq.
Voluntatis *humanæ theoria explicata.* 184
Urinæ *secretio & differentiæ.* 219
Uteri *gravidi descriptio.* 317
Vulnera *sclopetorum.* 369 seq.

W.

Walchius (*Jo. Ge.*) *laudatus.* 14
Welficorum *Ducum historia illustrata.* 234
Wermuthi (*Christiani*) *Numismata Imperatorum denuo edita.* 334 seq.
Wicmanni, *Archiep. Magdeburgensis, historia illustrata.* 363
Wilhelmi *Conquestoris, Regis Angliæ, res gestæ descriptæ.* 102 seq.
Winckleri (*Jo. Henr.*) *in Platonis Phædonem merita.* 717 seq.
Wolffii (*Christiani*) *ad Hazfeldum quendam monitum severum.* 523 seq.
memoria in numis conservata. 702. 703
Wollastoni (*Guil.*) *vita.* 570
Wormatiensis *Colloquii historia edita.* 309 seq.

X.

In Xenophontis *memorabilibus Socratis dictis loca varia emendata.* 499 seq.

Z.

Zoroastris *quale fuerit systema?* 551
Zosimi, *Papæ, vita.* 339

Errores operarum hi sunt emendandi: *Pag. 6 lin. 21* pro *Edisor* leg. *Editor*; *pag. 7 lin. 16* pro *Hippocrati-* leg. *Hippocratis*; *pag. 62 lin. 12* pro *Joannis* leg. *Jani*; & *pag. 720 lin. penult.* pro *fronde* leg. *fronte.*

* * *

id Nov. Act. Erud A. 1745 Mens. Nov. pag. 648. 650. 662.

Fig: II.



Fig: III



ad Nov. Act. Erud. A. 1745. Mens.
Decemb pag. 699. 701. 702.

Fig I.

Fig II.

Fig III.



Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.